142

SAGGIO DI BIBLIOGRAFIA RA

…no lo fece console di questa città. Per…

1293

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/nicolaipartheniii02gian

NICOLAI PARTHENII

GIANNETTASII

NEAPOLITANI E' SOCIETATE JESU

ANNUS ERUDITUS

IN PARTES QUATUOR,

SEU

STATA TEMPORA DISTRIBUTUS.

ILLUSTRISS., ET EXCELLENTISSIMO

PRINCIPI

ANTONIO RAMBALDO I.

S. R. I., COLLALTI, ET TARVISII

COMITI, &c.

DICATUS.

PARS III. Autunni Surrentini.

PARS IV. Hyemes Puteolanæ.

NEAPOLI, Apud Dominicum Raillard, MDCCXXII.

SUPERIORUM FACULTATE.

AUTUMNORUM SURRENTINORUM

LIBER I.

CAPUT PRIMUM.

Dum per hortum motandi corporis cauſsà deambulatur carmen recitatum eſt, cui titulus, Surrentina Tempe.

POſt Idus Sept. anni MDCLXXXXVI., quo pluvii dies ante Autumnum Æquinoctium inciderunt, ex inſperato dies amœnâ amœnitate amœnus, ac facilis illuxit, quocircâ ut placidâ illa cœli clementiâ fruerer, atque interruptâ ob malas tempeſtates quotidianâ corporis exercitatione iterum pro meâ conſuetudine uterer, Lucilium acceſſo, cui, cum præſto affuiſſet, Deſcendamus, inquam, in hortum motandi corporis cauſsâ, ne putreſcamus quaſi fungus. Et ille: Laudo conſilium, verùm quidni Surrentum uſque, vel, ſi id magis lubet, in Campeſtria proficiſcamur? ſic longiuſculâ ambulatione crudum præ nimiâ humiditate humorem concoquemus. Tùm ego: Quia ſemita aquoſa nimis, aër humidulus; quare potius duco curſitare per Xyſtum. Ille verò: Rectè tu quidem; nam ſemitæ admodum an-

In Surrenti Campeſtribus ſemitę admodum anguſtę; hoc illis deeſt ad omnimodam amęnitatem.

anguſtæ, & ager nimis frondoſus, quippè qui arboribus ſtrictim conſitus: apriciora hæc ſi loca forent, nihil deſiderarem amplius. Cui tùm: Id ipſum ego vellem: ſed vix ullus locus eſt, cui nihil ad fælicitatem deſit. Lucilius verò: Nempè nihil eſt, quod vitio vacet, ſed deſcendamus jam, ſaluberrima iſtæc erit ambulatio poſt triduum, quo ob pluvias nos domi continuimus; & ſanè innubis hæc cœli facies, pacatiſſima hæc diei temperies, nos blandiſſimè invitant. Nihil igitur moræ factum: acceptiſque petaſo, & baculo, in hortulum perreximus. Dum autem curſaremus, ſic me Lucilius compellat: Quando autumnale jam appetit Æquinoctium, non erit abs re ſi tuis de Autumnis te interrogem: quodnam illis exordium facies? nam hæc amœniſſima terrarum ora, elegantiſſimum rus iſtuc in Æſtatibus à te deſcripta, illarumque exordium fecerunt. Tùm ego: Poeticam illis frontem appingam, & fortaſsè non invenuſtam. Et ille: Videlicet? Ego verò: Non multis ante diebus, quàm tu me convenires, inſanii præter ſpem; atque illo agitatus Phœbi œſtro (hoc enim poëtæ inſaniunt) carmen eructavi benè longum: atque ei hunc feci titulum, Surrentina Tempe: hanc operi præfigam epigraphen, probas? Et ille: Quidni probem? quippè egregiè, & ad rem factum, ſed; quæſo, ut recites, ſpero illud mihi carmem fore jucundiſſimum. Cui ego: Atqui verſus incudi nondum redditi: ut expoliti mox fuerint, recitabo, erunt ſic auribus minus ingrati: te enim faſtidioſis eſſe auribus, non ſum neſcius. Tùm ille: Fateor me faſtidii delicatiſſimi; nec mihi quidquam ingratius accidit, quam vel ineptas quaſdam cantilenas, quibus ne perpauxillum quidem ſalis, vel imperplexas quaſdam, ac perdifficiles, quibus, ac ſi Bœotica eſſent problemata, Oedipo opus eſt, invitis auribus excipere: in tuo ſtylo nihil hujuſmodi. Cui ego: Coquinaria verba. Et ille: Imò è tripode: neque tu puer, cui caput demulceam, age, age ſis, jam recita. Tùm ego: Geratur mos hic tibi, verùm ſedeamus in Calopſide. Et ille: Iſtuc quàm volebam, mox iterum curſitabimus, cum igitur ſedimus, ego carmen hunc in modum memoriter recito.

SURRENTINA TEMPE.

Surrentina Tempe deſcribitur, & commendatur.

Aurea Sirenum loca, feliceſque receſſus,
Et ſemper placidis vernantia rura viretis,
Quò ſe, Theſſalia nuper, Pindoque relicto,
Agmine cum toto Muſarum invexit Apollo,

Fert

Fert animus luſtrare oculis, & tollere cantu:
Quare agite, & veſtros ſi Vates dicere honores
Aggreditur, conjuncta choro, & nova Numina veſtro,
Vos ſacrum inſpirate animis, Acheloides, œſtrum,
Artibus & patriis inſignem reddite alumnum.
Quà frontem glaucâ præcinctus arundine Sarnus
Labitur. Herculeas & fluctibus alluit arces, Situs.
Atque ſuam immiſcet lympham Crateride, longo
Auſonia è gremio prorumpit in æquora tractu
Altis terra jugis, circùmque interlita ponto.
Altera Crateris pars, quæ curvatur ad Auſtrum,
Solis & occidui petit attenuata cubile.
Vertice in extremo Zephyri quà ſuſcipit auras,
Atque oleis circùm lætis præcincta vireſcit,
Inclyta Tyrrhenæ ſurgunt delubra Minervæ.
Contrà Theleboum ſtant regna: brevis ſonat inter *
Perpetuò refluens alternis fluctibus æſtus. Capreæ Inſula.
Verùm ubi ſe primo tellus ſale ſpargit, amœnæ,
Umbroſæque ſedent Stabiæ, dextrâ altus in auras *
Vertice canenti ſeſe Lactarius infert:
At virides lævâ campi, colleſque benigni,
Dives ubi jactat Liber ſua dona: neque ipſos
Præ Stabiis quidquam Dictæos ampliùs agros,
Nec Tuſcos curat colles, colleſque Falernos.
Atque ſuas oſtentat opes Pomona, virenti
Semper flore comas, præcinctaque tempora pomis.
At curvus terræ in gremio ſe circinat arcus;
Qualis, ubi cœlo præfulſerit Iris, aquosâ
Dum varios pingit Titan in nube colores.
Inque ſinus cornu geminus conſurgit utroque
Mons: humiles circo in medio de gurgite clivi
Recta ferunt ſurſum ſua culmina: quæ ſuper ampla
Planities extenta jacet, campique patentes.
Quos alii longo virides curvamine colles
Circumdant, inſtar caveæ, pulchrâque coronâ,
Mirè intertext, cingunt herboſa theatra.
Planitiem ſata rura tegunt, & amœna vireta:
Latè & odoriferis, & pulchris iride pictâ
Floribus, & ramis ornant frondentibus horti.
Quin etiam diſtincta nitent, variataque tractim
Ædibus, & villis; altâque ad ſydera mole
Surgunt Fana, micant pinnato & vertice turres.
Umbroſi paſſim calles, via plurima in unguem
Extenta, & plures ſub aprico vertice pulchri
Proſpectus, quà curva aperit ſua brachia Crater,

Stabiæ, Oppidũ omnibus fructuum generibus abundans.

Et placidis criſpatur aquis, & murmurat auris.
At quà frondoſi ſinuatur ſcena theatri,
Principiò leni colles conſurgere clivo
Incipiunt; pomiſque virent, & mollibus uvis.
Alta tenent oleæ, denſæque cacumina quercus,
Frondoſæque nuces, & caſtaneæ hirſutæ.
Stant & convalles inter viridiſſima Tempe;
Sera quibus ſe Flora comis ornare decoris,
Et ſeris gaudet Pomona rubeſcere gemmis.
It raucus per ſaxa ſonans revolutus ab alto
Rivus, & electro ſaliens pellucidior fons.
At non ulla magis tellus venatibus apta;
Venationibus Cāpeſtria iſthæc aptiſſima.
Seu curſare animus campeſtria: ſeu tibi colles
Perluſtrare humiles amor eſt, vel ſcandere montes:
Seu vallis per opaca ſtudes agitare moloſſos.
Ficedulæ hìc dulces, hìc raucus paſſer, & ulmo
Turtur ab excelsâ reſonans, nitidique palumbes,
Hìc & ruſticula, & pinguedine læta coturnix,
Turdique, merulæque & amantes frigora brumæ,
Frigillæ falluntur: ali quibus ipſe Camœnis,
Cumque tribus poſſit divis formoſus Apollo.
Hìc Milvi, hìc Aquilæ, Vulturque atque Harpa rapaci
Vungue minax, Percoſque fugax, longo Ardea roſtro
Terribilis, Falcoque ferox: qui remige pennâ
Dum properant prædam ſupra, captantur & ipſi.
Non lepores deſunt ſylvis, damæque fugaces:
Comprenſos quos dente ferat tibi vertagus acri.
Sed majora freti ſuccedunt otia, & auræ
Felices Zephyri per ſcrupea ſaxa per antra,
Tritonum ſemper cantu pulſata, choroque
Nereidum, & blando ſemper luſtrata natatu.
Quà latus eoum tenuem ſe flectit in arcum,
Et rupe abruptâ concluditur (alta ſub auras,
Et directa mari ſurgit, mirabile viſu)
Manè auræ ludunt molles, umbræque ſalubres
Latè undas pelagi, ſcopuloſque, & litus opacant.
Ipſe etiam primo clivi ſub margine ſylvæ
Florentes, longè ramis frondentibus umbrant
Æquora; pacato ſeſeque in marmore pingunt;
Ut credas ipſa ſylvas frondeſcere in undâ.
Stant ſparſi paſſim ſcopuli, cauteſque per æquor
Projectæ, gremio diſſectæ plurima rupis
Eſt ſpecus: & fluctus in concava viſcera miſſi
Saxorum: velut in cœcas immiſſa cavernas
Stagna: ſitu pulchro, & tractim variante figurâ,

Proſpectus præbent oculis mirantibus alto
Pendentes ſcopuli, ſaxorum plurimus horror;
Et nox furva loci, latebræque per ima repoſtæ,
Ac ſubcæruleus color interpictus in undâ,
Dum lux per rimas radians illabitur, & dum
Sciſſa repercuſſu cautes illuſtrat opacas;
Mira animos, mirâ delectant lumina ſcenâ.
Hic mons abſciſſis hàc illàc rupibus, imâ
Ab radice, jugique patens faſtigia ad uſque
Aſcendit; cochleæque ſinum de more retortum,
Non uno inflectit gyro, penituſque reducit.
Perque helicis ſeſe ductus externa refuſis
Fluctibus inſinuat Tethys, ſerpitque recurrens
Perque cavas rimas ſcopulorum, perque latebras:
Et placidè irrumpens immurmurat, & ſale cano
Aſpergit latè cautes, atque herbida ſaxa.
Namque imi muſco ſcopuli, & lanugine molli
Intecti, pictique virent: ceu prata coruſca
Flore novo: gratos & odores naribus halant.
At medium læti frutices, herbæque virentes
Prætexunt latè rupem: faſtigia ſylvæ
Summa tenent, ſertumque velut ſylveſtre coronant.
Interdum ſummo deſcendens vertice rivus
Per ſcopulos, per ſaxa cadens, ceu conſona fila
Percurrens, varias imitatur murmure voces.
Hic verò incurvi medio ſub fornice montis
Exciſa in ſaxa muſcoſa ſedilia ſurgunt:
Currit & undoſum ſcopulus projectus in altum;
Illius inque acie, vivoque è murice facti
Stant, humileſq; gradus, quos, cùm criſpatur ab aurâ,
Leniter aſſultans rauco Thetis alluit æſtu.
Hic matutino conſidens tempore carthis
Otia Socraticis, vel cantu fallere: adunco
Sive hamo poteris vafros comprendere piſces;
Qui crebri curſant per ſaxa herboſa, virentemque
Attondent muſcum, & denſas ſpatiantur in algas.
Aſt antrum lævâ ſcopuli de parte cavatum,
Inciſâ ſub caute patet; perque intima montis
Antrum in Surrentino depingitur.
Viſcera prælongo tractu ſe porrigit: ex quo
Per ſecreta cavæ rupis via ducit odorum
In ſcopulum, longoque extant ſubſellia circo.
Sæpè hîc, in medio dum Sol libratur Olympo;
Di maris undiſoni Glaucus, Proteuſque, Palæmon:
Tritoneſque citi, & Phorci, Portumnus, & ipſe
Neptunus, placido componunt lumina ſomno.

Illius

Illius inque aditu ſpeluncæ è parte ſiniſtrâ
Incurvant cava ſaxa ſinum, fluctuſque repoſtos
Concludunt placido in gremio: Galatea lavari
Hic ſolet, atque Ephyre, Niſæaque, Cymodoceque;
Pollias, & Lubra, & formoſior una videri
Sirenes inter cunctas Colomelis, & ore
Purpureo, & niveis mammis, flavoque capillo:
Eſt ſpecus umbroſum juxtà, quò protinus uno
Inſiliant ſaltu Nymphæ, cum gurgite ab alto
Aſpiciunt celeri Glaucos properare natatu.
Hic rupes medium turrito vertice in æquor
Irrumpit, ſcopuliſque fretum diſtinguit odoris:
Atque ſinu terebrata, cavo curvamine, tota
Fluctibus immiſſis aperitur pervia: & illam
Exarmata ſuis ſubit horia armamentis.
At contra quoniam reſpondent Herculis arces,
Totaque vitifero quæ ſubjacet ora Veſevo,
Idcircò rupem ſubeuntibus ilicet offert
Proſpectu miro ſpecies variata, propinquam
Atque urbem prenſare putant, mirabile viſu.
Parte aliâ, occiduo qua Sol lavat amne quadrigas,
Et Surrentini ſeſe pars altera circi
Incurvat, glaucâ collis præcinctus olivâ
Aſſurgit; ſenſimque jugum demiſſus in undas,
Arcton in adverſam ſpectat, portuſque Dicarchi.
Planitie in primâ, quam juxta attollitur alto
Vertice mons, ſaxo conſurgunt facta vetuſto
Mœnia Sirenum felicia, quæ cava circùm
Præcingit vallis rivo, perfuſa ſonanti.
Vitiferi circùm colles, ſylvoſaque Tempe,
Et rura, & virides horti, fonteſque coronans.
Urbs exculta loci Genio: gens more paterno
Comis, & officiis animos edocta mereri.
Nempè refert mores Sirenum, animumque benignum.
Surrenti Deſcriptio. *Hinc gemina, atque illinc nautis venientibus ora*
Opportuna jacet: medius diſcrimine longo
Stat collis, quem circuitu totum tenet amplo
Urbs impoſta ſuper: fabricata crepidine in ipſâ
Parthenopen contra ſpectant palatia: & udos
Deſpectant errare greges pellucida ſubter
Æquora, & herboſas circùm percurrere cautes
At colle in medio, vivoque in viſcere rupis
Eſt oblonga, patens ſpecus informata rotundo
Fornice: quam circùm conſtructa ſedilia quadro
E lapide, immiſſique tegunt ſubſellia fluctus.

Hic

Hìc Fauni, hìc Panes, hìc capripedes Satyriſci,
Sæpè ſedent deſeſſi æſtu, nimioque labore;
Collectumque fugâ ſudorem gurgite tergunt.
Aſt intus formata manet ſpecus altera, circi
In morem, Doriſque aditus tranſmiſſa per arctos
Speluncam duro ſcalpris in monte cavatam
Alluit: & circùm viſuntur marmore ſedes
E niveo poſitæ: medioque in fornicis orbe
Curva, atq; ampla patent ſpiracula, ſe quibus intus
Lux agat, & radiis perluſtret concava Nymphæ.
Hìc quibus eſt cordi pudibunda modeſtia, molles
Sæpè lavant artus, ſeſeque abs Sole tuentur.
Magnum opus, & populi pro majeſtate Latini.
Nam quæcunque jacent Surrenti mœnia circùm
Antiqui monumenta ævi, poſuiſſe feruntur
Romani, dum divitiæ, dum regna manebant.
At collis, lævâ qui ſurgit parte theatri,
Inclinata dies dum ſeri veſperis horas
Percurrit, leni Zephyro perflatur, & umbra
Æſtivo Cancri ſub ſydere gratus amica eſt,
Herbiferi propter ſcopuli, cauteſque virentes
Conſurgunt, placidumque ſonant, dum rore refuſo,
Alternis veniens ſeſe ſuper ingerit æſtus.
Hìc ſinus abſciſſâ medius ſub rupe pateſcit,
Et brevis ora, leves quæ rauco à gurgite cymbas
Accipiat, tutoque cavâ in ſtatione recondat,
Arboribus celſum redimitur culmen, & undâ
Fons medius vitreâ vivo de pumice manat.
Extenti hàc, illàc muſcoſo murice circùm
Præcingunt oram ſcopuli, quibus otia ſæpè
Fallit piſcator, vel amaros Phillidis ignes
Solatur cantu, ſeu piſcibus inſtrui aſtus.
At contra, undoſo quà gurgite fluctuat altâ
Doris aquâ, longos diſponunt ordine caſſes,
Et labyrinthæo circumdant æquora gyro:
Curva quibus capiant radentes litora thynnos.
Non longè, extremum quà collis in æquora clivum Pollii Felicis Villa.
Demittit, Neptunus ubi ſua templa (nivali
Marmore quæ quondam ſacrarat Pollius, ædis
Magnificæ ut cuſtos eſſet, ruriſque ſuperbi)
Spargebat ſale cæruleo, ſtat circus, & illum
Perfundit per ſtricta fluens Thetis oſtia apertæ
Rupis: & in medio quondam gratiſſimus undâ
Manabat dulci quamquam profuſus amaro
Æquore fons: circùm conſtructa, ſedilia, curvæ

Ad

Ad ritum caveæ, queis ſidens plurima turba
Æquoreos Polli ludos ſpectabat, amico
Cum ſacros de more Deo celebrabat honores.
Molliter expanſo collem percurrere remo,
Et luſtrare ſinus, ſertumque videre coronæ
Sylviferæ, cauteſque manu prenſare virentes;
Multa animis, & multa oculis ſincera voluptas:
Quæ turbas animi, & curas mulceat acres.
Sed quo Fatorum caſu, quo numine Divum
Huc ſe Pieridum cœtu ſociatus ovanti
Ex Helicone ſuo, Pindoque invexit Apollo,
Dicite, Sirenes, cauſſaſque aperite canenti.
Poſtquam Caucaſeis emiſſa è rupibus horrens
Immani erupit ritu gens Caſpia, & omnem
Barbara latè Aſiam ferro vaſtavit, & igne.
Hinc & Abydenas victrix rate vecta per arces,
Europam petiit, Græcoſque aggreſſa ſolutos
Præ luxu, & noſtris diſcordes ritibus, armis
Quàm facilè edomuit, regnumque evertit Eoum.
Civileſque ſimul cultus gens aſpera, & artes
Ingenuas, docti & monumenta excindere ſæcli
Vi conata; furor Scythico ſtat pectore cantus.
Cœpere hinc ſenſim nullo ſqualeſcere cultu
Ingenia, & doctæ ſordeſcere Palladis artes;
Nullus honor lauro: ſacros non amplius amnes
Pimplæos ibant hauſtum, Cyrrhamq; diſerti.
Aurea nec plectro reſonabant fila: neque ultra
Dona ferebantur ſacris votiva Camœnis:
Supplice nec voto Phæbum de more vocabant.
Hæc ſecum indignans animo formoſus Apollo
Dum verſat, pulchraſque dolet contemnier artes;
Muſarum acciri cœtum jubet, illicet illæ
Conveniunt, patulæque ſedent ſub tegmine quercus:
Quam propter fluvio ſeſe Peneus amœno
Devehit, & lætas riguo ſecat agmine ripas,
Ut Muſæ ſedere novem, tum Phœbus Apollo
Aggere ab herboſo ſic incipit ore profari:
Non hæc, Pierides, tot terra exculta per annos,
Et cunctas inter fortunatiſſima quondam,
Hoſpitium poſt hàc nobis dabit; omnia quando
Et ferro, & Scythico ſqualent vaſtata furore,
Non hìc ingenia, & doctæ non amplius artes,
Ut quondam viguere, vigent: non laudibus ultra
Tangitur, aut clarum quis lauri affectat honorem:
Deſolata jacent paſſim loca ſacra; neque ullus,

Ni

Ni vaſtator adit ſacratas barbarus umbras;
Nempè, ut fatidicos imâ ab radice ſecuri
Succidat truncos, ſylvaſque incendat: & ipſos
Divinos Fontes ſcelerata polluat ore.
Ergo agite, inque alias mecum concedite ſedes.
Theſſala nunc Tempe valeant, ſylvæque valete
Pieriæ, viridiſque Hilicon, Parnaſſus, Oeta:
Atque amnes valeant ſacri, Peneus, & Orneus;
Angyraque, Dirceque, & dulce fluens Aganippe.
Ipſaque terra parens quondam generoſa virorum
Græcia, & extinctis valeant cum civibus urbes.
Illi hæc, concordi plauſerunt murmure, Divæ
Pieriæ: vetereſque animo ſtat linquere ſedes:
Inque nemus migrare novum, nova rura, novoſque
In ſaltus penetrare, alioſque inviſere montes:
Sed loca quæ curſu teneant, quibus & nova figant
Hoſpitia, ancipites volvunt ſub pectore Muſæ.
An Zephyri ad fines, an convertantur ad Eurum?
Anne Notum, Boreamve petant, gelidoſque Triones:
Et mediis ſeſe ſiſtant in vallibus Æmi?
Hæc dum ſolicitâ verſabant mente ſorores
Caſtalides, Phœbuſque pater, medio ilicet alveo
Penei Siren viſa eſt conſurgere: & ore
Sic Phœbum blando, ſociaſque affata Camœnas:
Non te, Phœbe pater, non vos dilecta ſororum
Turba mihi, dubios teneat cura anxia: pandam
Ipſa ego nunc vobis quæ ſint felicia Tempe,
Quæ pro Theſſalicis habitandæ; ſacrique receſſus
Qui ſint, qui culti montes, & amœna fluenta.
Eſt locus Hiſperiâ in magnâ, Cratera Pelaſgi
Appellant; toto quo non felicior alter
Orbe locus, mare ſeu ſpectes, ſive aëris almam
Temperiem, læto vel dites ubere terras.
Crateris de more ſinum curvatur in amplum
Collibus extentis tellus Campana: feracis
Ubertas cui mira ſoli, cui plurima ponti
Mollities, tepidæque auræ, & clementia cœli;
Et felix dedit ipſe ſitus cognomen opaca
Hìc nemora, hìc ſacri fontes, hìc flumina, & undæ
Irrigua, ripas propter, perque arua fluentes.
Sunt hìc & rupes, & amicæ in rupibus umbræ:
Et lenes rident Zephyri, Soleſque benigni.
Hìc cultæ gentes habitant, devotaque vobis
Ingenia, & blandi mores, atque apta mereri
Officiis animos molliſſima pectora: & omnes

Ingenua hic florent artes, ſtudiumque Minervæ.
Verùm alias quantum ſuperat Campania terras,
Atque ſinus quantum Crater ſupereminet omnes:
Tantum illum pars una ſuper pulcherrima ſurgit.
Surrenti ſinus hic, hæc ſunt felicia Tempe,
Queis non Æmoniæ ſunt componenda, neque horti
Heſperidum, neque Medorum ditiſſima rura.
Hæc loca Sirenes primùm coluere, relicto
Peneoque, Amphryſoque, & patrio Acheloo.
Atque etiam nunc illa tenent, ſemperque tenebunt:
Et felix illis agitabunt finibus ævum.
Ergo agite, & quò terrarum blandiſſima tellus
Campano Cratere jacet, circùmque benigno
Alluitur fluctu, & læta pubeſcit aprici
Vbertate ſoli, Zephyrique afflatur ab auris;
Sedibus his, curſum tandem celerate, relictis.
Illùc Parthenope, vos illùc cærula Neſis,
Leucopetre, Prochyteque ſoror, Colòmelis, & omnis
Sirenum chorus invitat, blandòque natatu
Obvius occurrit jamjam venientibus, & ſe
Numinibus jungit veſtris, cœtuque beato.
Vos doctæ invitant gentes, moreſque benigni,
Surrentinum Et placidi invitat vos indulgentia cœli.
Muſarum ſedes. Hæc Siren hyalò vultum fucata colore
Effata, in medio fluvii ſe condidit alveo
Mox & tranſmiſſo pernici flumine curſu,
Per medium fugit Ægæum; mediumque per altum
Jonium tranſvecta, freti ſpumoſa Sicani
Clauſtra ſubit, curſùmque tenens Scyllæa ſecundum
Æquora, Tyrrheni findit ſalis æquora caudâ.
Hinc ubi Tilleſi pervenit ſaxa, Ligæam
Ocinari de fonte vocat, vocat inde ſororem
Leucoſiam, & quotquot Pæſtana per æquora Divæ
Sirenes vitreis habitant in ſedibus, & quot
Hinc vel oliviferæ Delubra antiqua Minervæ,
Illinc vel Capreas, piſcoſaque ſaxa frequentant.
Haud mora, cæruleis undoſæ è Doridos antris
Accitæ veniunt diæ Sirenes, & unum
Agmen agunt, hoc illa choro ſociata ſororum,
Craterem ingreditur, primoque à limine magno
Parthenopen clamore vocat Sebethide ab undâ,
Leucopetramque ſuo verſantem rure Veſevi,
Eque altis Neſida jugis, ſociamque Dicarchim,
Et Surrentino appellat Colomelida ab antro.
Extemplò Divæ, ſocio ſermone vocatæ,

Accur-

Accurrunt, celerique ſecant vada ſalſa natatu.
Vnda ſonat percuſſa, fretiſque ardentibus omnis
Semifero latè ſpumat ſub pectore Crater.
Vt cœtum coiere ſimul Sirenes in unum,
Theſſala tum ſocias læto ſermone profatur;
Sic ingreſſa: Choros, ò divæ, ducite feſtos,
Et feſtos vitreo celebrate in marmore ludos:
Namque hæc, quæ dudum colitis Crateridos oræ
Herbida ſaſſa, ſinus, perflataque mollibus auris
Antra, petunt Muſæ, Muſarumque auctor Apollo:
Queis amor eſt, Pindo, ſpretoque Helicone, beati
Crateris veſtri pulchras inquirere Sedes,
Excultas hominum ingeniis, & moribus aureis:
Regnaque veſtra deæ, Surrentinoſque receſſus
Incolere, & doctis hic exercere palæſtris
Palladias cupiunt artes, numeroſque canoros.
Ergo agite, & Phœbo venienti occurite: amico
Accipite & gremio Muſas, plauſuque fovete.
His dictis læto plaudentes murmure divæ
Sirenes, bifidâ diffindunt marmora caudâ,
Lætitiæ inditium, & celeri occurſare natatu
Feſtinant alacres Phœbo, cœtuque ſororum
Pieridum, curſumque citant umbroſa ſecundùm
Litora, & herboſas fragranti murice cautes,
Remigio ulnarum, & concentibus aëra pulſant:
Hinc reſonat cantu tellus, hinc unda natatu.
Et jam Palladii luſtrabant herbida collis
Blanda cohors pelagi, cum accedere viſus Apollo
Auratâ invectus conchâ, Muſaſque trahebat.
Ipſe tenens lævâ citharam pulſabat eburno
Pectine, percurrens numeris fila aurea miris,
Reſpondere quibus certabant carmine Muſæ
Blandiloquæ, legeſque lyræ ſervare canoræ.
Continuò curſum campo Sirenes aquoſo
Accelerant: micat ante alias formoſa ſorores
Parthenope, micat ipſa loci regina beati
Purpureo inſignis vultu Colomelis: & omnes
Virgineum Muſarum agmen, Phœbumque ſalutant,
Mox blandis citharæ numeris, cantuque marinas
Adjungunt unà choreas; varioque recurſu
Spumoſos miſcent ſpumoſis orbibus orbes,
Et labirynthæis depingunt æquora gyris.
Poſt ubi fluctivagis Divæ indulſere choreis,
Et Muſæ cantu, & citharæ crinitus Apollo,
Sedibus optatis primam dixere ſalutem:

Inque actam læti exiliunt, terrâque potiti
Perpetuas figunt ſedes: perque arua beata,
Et Surrentinos agitant grata otia colles.

Hæc ut memoriter recitavi; tenebam enim carmen tùm primum contextum; Bellè, inquit Lucilius, Autumnos auſpicatus es. Poeticum iſtuc exordium à te expectabam: & decebat quidem certè poetam, & tuum iſtuc otium Surrentinum: quo ſi ego fruerer, fortaſsè etiam inſanirem. Plurimùm ſanè debes tu locis hiſce, in quibus & valetudinem recuperas, ut cœlo hoc nulla tibi ſalubrior medicina, & tot elegantes libellos ſcribis, noſque ad ſtudia literarum acribus ſtimulis incitas, atque urges, verùm multò magis hæc tibi debent loca, quæ tu per totum terrarum orbem (nam quò tui nòn pervenerunt libelli?) tanto cum plauſu celebriora feciſti. Abſit verbo adulatio, ut tibi noſtri cives, ita & Surrentini, in quorum jus civitatis admiſſus jam es, monumentum ponere deberent. Cui ſtatim Ego: Mittamus iſtæc, quæ niſi tuum candidum ingenium planè noſſem, adulatoria appellarem. Atque hæc ut jam ſunt dicta, ſurreximus, perque Xyſtum iterum curſitatum eſt.

CAPUT II.

Fit mentio Circæi Fani, quod non longè à Surrenti pomærio fuiſſe memoriæ proditum eſt.

MAnè ante Id: Octobris accerſitis Lucilio, & Vellejo, qui valetudinis cauſsà me pridie convenerat; Eamus, inquam, Surrentum uſque. At Lucil: Quidni potius, inquit, in Campeſtria? Eamus, quæſo, in eam ſemitam, quæ in ipsâ montis crepidine mari imminet, atque utrinque arboribus conſita eſt, nihil illâ amœnius, nihil alſius, proſpectu jucundius nihil eſt: me fateor tantâ voluptate afficit, ut nihil ultra. Cui ego: In illam aliàs, nunc Surrentum ire conſtitui: etenim nobilis quidam in ſuam me villam, quæ non longè à pomærio eſt, qui locus ad Circen dicitur, invitavit, nimirum ut monumenta Circæi Fani, quod eò loci fuiſſe, memoriæ datum, inſpicerem. Tùm Lucil: ſi ita, veniam lubens, illa enim videre geſtio quàm maximè: & erit, ut opinor, Vellejo gratiſſimum ſcio quippè illum veterum monumentorum curioſiſſimum, imò efficiemus, ut Romanum etiam aquæductum, & ciſternas videat. Tùm Vellejus: Rem mihi perjucundam facietis, audivi enim à Sex: Nigro opus illud eſſe quàm per admirabile. Quibus

De Circæo Fano diſquiritur.

ego:

ego : Sed eamus tandem . Et illi : per nos ilicet; i præ igitur, te ponè ſequemur lubentiſſimè. At, quæſo, inquit Vellejus, ut modico gradu præeas : nam ſi ſecus, te minimè aſſequar; nam tu pedibus, ut & in reliquis, es velociſſimus, ut non ſine defatigatione te interdum ſequar. Hic Lucil: Optimè monet Vellejus. Parthenie, tu celeri admodùm gradu curſitas : quod tibi haud ſcio an ſalutare ſit : ita enim bilis incaleſcit, atque hypocondria inflammatur, quo malo non leviter laboramus. Cui ego: Imò ſic crudum humorem concoquo, & conſopitos ſpiritus excito; verùm nolo vobis eſſe incommodo; quare juxtà peregrinantium leges nobis à majoribus præſcriptas, Vellejus, qui imbecillior eſt, præcedat : etſi perdifficile mihi ſit paſſum continere. Dum igitur expenſo gradu pergimus, Si ad Circæum promontorium, inquit Lucil: Circen habitaſſe perhibent, cur hic illius Fanum, quod ibi potiùs eſſe debuiſſet? Cui ego : Quid mirum? Etenim cum Circen ex earum numero fuiſſe, quas Sirenes antiquitas appellavit, verìſimile ſit, haud equidem abs re factum puto, ſi gens; quæ à Sirenibus Urbi ſuæ nomen fecit, imò & ab illis primùm habitatam arbitretur, illarum uni hic Fanum extruxerit. Et ille : Probabilia prædicas ; unum tamen habeo, quod obiiciam : ſi ut eſt apud Lycophronem in Caſſandrâ, tres fuere Sirenes, quæ à Græciâ in Italiam navigarunt, & tu in Nauticis aſſentiris : quarum unam ad Ocinarum obiiſſe tradunt, inque Terinæo ſcopulo tumulatam, de qua tu in Naut.V. ſic habes.

Circe una ex Sirenibus.

Sirenes tres.

Hinc viridem Linum, & Tylleſia ſaxa relinquo;
Et Baccho lætam gemmato in colle Terinam,
Oſtiaque Ocinari legimus, tumulumque Ligææ.

Hoc enim nomine appellabatur, ſecundam ad Leucoſiam inſulam, ab illa ità nuncupatam, qua de tu etiam in eodem libro mentionem facis, ſepultam ferunt. Tertia fuit Parthenope noſtra, quæ, ut ais in Bellicis,

excepta hoſpitiis à rurifluo Sebetho.
Sirenum genus Euboicis prima intulit oris.

jam Sirenem non fuiſſe Circen manifeſtum eſt. Cui ego: Acutè tu quidem, & eruditè, ut cætera. Sed me facilè expediam. Etſi illæ tres, quas enumeraſti ex Lycophrone, & meis Nauticis, præcipuæ fuerint, veriſimile tamen eſt, multas poſt illas, imò & antè navigaſſe. Præterea illas omnes antiquitas Sirenas appellavit, quæ ſuis illecebris viros allexiſſent : inter has verò inſignem fuiſſe Circen poëtarum, & Homeri in primis decantatum carminibus eſt. Atque hæc cum dicerem, pro villæ foribus amicum obviam habe-

Quænam Sirenes ab Antiquis appellatæ?

habemus, qui ſtatim accurrens nos comiter excepit, atque in rus ſuum introduxit, mox per Xyſtum in pervetuſta quædam monumenta perpauculis paſſibus perduxit. Erant eò loci juxtà collis crepidinem ſubſtructiones Templi, quod penè integrum extitiſſe uſque ad abavi ſui ætatem affirmabat, illius deinde avaritiâ exciſum, candidè fatebatur: èque illo pluſquam triginta columnas diſtractas: quarum quædam erant ex porphyrite, quædam verò ex biſalte, ara è Pario marmore, quæ adhuc Surrenti viſitur in viâ expoſita, juxtà ſacram quandam ædem, pavimentum ex texellis pretioſorum lapidum contextum, cujus pars] adhuc extat ſunt item quidam cavi, amplique fornices partim ex lateribus, partim ex quadro ſaxo compactis miro ordine: ex columnis duæ marmoreæ in ipsâ viâ conſepultæ adhuc ſunt. Dum hæc monumenta attentè, curioſèque luſtramus; Haud quidem ferendum, inquit Vellejus, tàm inſigne veterum monumentum, quod per tot ſæcula integrum extiterat, avaritiâ exciſum tàm brevi eſſe, ac penè eradicatum, non ſanè tanto ego me piaculo obligaſſem: quin potius omni ope, atque operâ effeciſſem, ut inſtauratum, inque dies expolitum perſeveraſſet, quid enim hac veſtrâ in urbe inſignius conſpici potuiſſet? At ille: Ineruditus meus ille abavus, & ad rem potiùs attentus, quàm ad iſtiuſmodi decora, Ego verò illum de figurâ interrogo. Et ille: Oblongum, ut plerumque fit, Fanum fuiſſe ferebatur: quòd ex fundamentis coniicere proclive eſt: & molis quàm vaſtiſſimæ, magnam enim hinc marmoris copiam aſportatam pro certo ſcio. Cui ego: Aſſentior facilè, nam ſi tot columnæ teſtudinem fulciebant, & tantæ magnitudinis, maximum fuiſſe Fanum liquidò conſequitur. Hoc loco ille: Non longè à meâ hac villâ maximæ ſunt fabricæ ex lateribus, quadratoque lapide; arcus item, & fornices vaſtiſſimi, quibus ædes duorum nobilium ſuperædificatæ, quocircà juxta Fanum ædes etiam fuiſſe manifeſtum eſt; à quo verò inſtructæ, minimè proditum eſt. Hic Lucil: me intuens: Num cenſes, inquit, & Fanum, & ædes, à Pollio Felice facta? Cui tùm ego: Haud equidem credo. Id enim minimè Statius, qui adeò accuratè Surrentinam Pollii villam deſcripſit, & Fana in illâ Neptuno, & Herculi inſtructa, hæc verò, & magnifica quidem, ſilentio prætериiſſet. Imo facilè inducor, ut credam Fanum à Surrentinis fabricatum, ædes ab aliquo Romanorum equitum Tiberii ævo, quo omnis hæc Crateris noſtri ora villis, & ædibus, quà magnificentiâ, quà pulchritudine conſpicuis, ità conſita erat, ut unam tùm maximam, tùm fre-

Fani Circæi veſtigia, & Monumenta.

Alia antiquitatis rudera.

Tiberii ævo omnis Crateris ora villis, atq; ædibus magnificis ornata.

frequentiſſimam urbem credidiſſes. Tùm Lucil: Aſſentior prorſus. At Vellejus: Pergamus, inquit, ad illa monumenta, quæ non longè ab hinc ſunt: aveo enim illa circumſpicere. Eamus, tùm ego: At Amicus ità nos comiter rogat: Quæſo, ut hic ſedeatis parumper: voluptas erit piſcatores videre retia ad litus deducere, qui cum mei inquilini ſint, ſi quem ceperint exquiſitum piſcem, ad nos afferent, nec erit ille non gratus, Saturni dies cùm ſit. Nos tùm illi gratias agimus, atque in conſpectu conſidimus. Dum autem ille multa à nobis urbanè percontatur, retia, quæ ſagenas vocant, ad litus piſcatores deduxerunt piſcatu quamplurimo, delectatus ſummoperè Vellejus eſt multitudine piſcium hàc, illàcque per retia ſalientium, ſquamiſque nitentium miro, varioque modo, quod ille nunquam anteà conſpexerat, meque intuens, Nunc inquit, teneo tuum illud,

Hic piſcatores ſolventes retia in undas
Aſpicit, & captas properare ad litora prædas.
Cernit & incluſos reſilire indagine piſces,
Et nitido ſquamas argento, auroque nitere,
Atque oſtro, minioque, coruſcantique ſmaragdo.

Intereà loci dum hæc diceret, adeſt piſcator cum ciſtellâ piſcibus benè plenâ. Erant ſex mulli, tres ſoleæ, totidemque ſcorpenæ, menæ duodecim, minutarum verò loliginum, quas marinas ficedulas appellant, pugni duo, quibus omnibus amicus nos liberaliter donavit, cui cum gratias egiſſemus pro tantâ in nos humanitate, rogamus numquid domum vellet? & ille ut benè valeatis, ſtatimque ad viſenda reliqua monumenta, quæ indicaverat, duce puero, quem comitem nobis dederat, haud enim illum venire paſſi ſumus, etſi ſæpius id rogaret, diſceſſimus.

CAPUT III.

Quorundam amicorum in Surrentinum adventus, à quibus de fodina ad Nicatem inventa, mentio habita: & quo aurum, argentumque modo eruatur, expoſitum. Atque hinc arreptâ occaſione nihil admodum eſſe, quod in Meridionali Italiæ parte, non abundè proveniat, demonſtratum.

JAm dies ad umbiculum dimidiatus, in alteram pronus partem vergebat, cùm me tùm primum à meridiano ſomnulo excitatum, puer adit: nunciatque phaſelum quemdam ad oram applicuiſſe, quo duo noſtrates advecti erant, meque

De Fodinâ ad Nicatem inventâ ſermo habitus.

meque pro poſtici antri foribus præſtolari. Tùm ego: Accipe clavem, i, oſtiumque aperi, ſed vide ne tuo illo grallatorio gradu incedas: id enim antiquum obtines, ut tardus ſis. Et ille: Naturam vincam; volabo quaſi avis, ne fuſtuarium mercam. Et ego: I tandem, mox ipſe te ſequar; cumque abiiſſet, ego Lucilium accerſo, qui & ipſe tùm primùm erat experrectus: deque hoſpitum adventu certiorem facio. Et ille: Eamus illicò in amicorum occurſum, aſſumptiſque umbraculis, in hortum procedimus, dum autem imus: Quinam, inquit, Lucilius hi erunt hoſpites? Cui ego: Illos Maſsâ ad delubrum advectos arbitror: eruntque Capito, & Nigidius. At Lucil: Quid ſi Neapoli veniant! Tùm ego: Haud equidem ita animum induco, id ut credam, ſiquidem phaſeli, qui Neapoli redeunt, tardius appellunt, neque quiſpiam de ſuo nos adventu admonuit. Tùm Lucil: Dies alſior ſolito eſt, Zephyruſque perflat vehementius: quocircà poterat quis tempeſtivè profectus, quamcitiſſimè appellere. Cui inquam ego: Probabilia prædicas, verùm qui ſint, conjectare. Et ille: Non dubito quin tibi familiariſſimi, qui te inſperatò opprimere volunt. Sed jam ſecundo deſcenſu tranſmiſſo, ad penſilem pontem deventum erat, cum Lælium, & Sextum Nigrum obviam habemus, quos ut vidi in amplexus irruens, arctiſſimè complexus ſum, quos ſimul ac toto pariter ſinu Lucil: amplexatus eſt, Divinavi, inquit, Parthenie. Cui ego: Tu ſemper in ſcopum collineas, tanti eſt acri ingenio eſſe. Intereâ loci dum hæc dicerem, adeſt puer, qui ad ſarcinulas deferendas ſubſtiterat, nunciatque Maſsâ ad delubrum duos alios adveniſſe. Tùm ego; Fauſtiſſimus, inquam, hic nobis dies, erunt hi quidem Nigidius, & Capito: quibus omnes obvii ſtatim imus, mox occurſantes totis ulnis complectimur. Illi verò cùm præter opinionem Lælium, & Sextum, viderunt, ingenti gaudio affecti ſunt: & Fortunatus, inquiunt, hic nobis dies eſt, qui tot amicorum conſpectu, conſortioque nos exhilaravit. Quibus tùm ego, Eamus domum, ut calorem temperetis, ſiccoque induſio ſudorem abſtergatis, quia verò Sextus Niger præ reliquis ab æſtu vexatus, quippè qui delicatiſſimi temperamenti, meam illi ſciadem, qua ſe ab Sole defenderet, in manus trado: ſuam verò Lucil: umbellam Lælio porrexit. Poſtinde cuncti modico clivum gradu conſcendimus. Ut verò in calopſidem ventum eſt, jubeo in eâ ſedere tantiſper, ad hauriendum ſpiritum, proſpectumque Crateris amœniſſimum contemplandum, quo Lælius, utpotè novus loci hoſpes, mirificè delectatus eſt.

Cum

Cum demum ex horto in periſtylium ingreſſi ſumus, Ut elegans, inquit Lælius; ut concinnum iſtuc periſtylium eſt, puteumque in medio animadvertens, Eſtne, inquit, ad me intuens, frigida iſtæc aqua? Cui ego: Imò frigidiſſima. Hauriamus, inquit ille. Tùm ego jubeo puerum haurire, qui dum trochleâ ſitulam trahit, eſt enim puteus altiſſimus inſpiciens Lælius totum putei orificium viridi adjanto inveſtitum, Optima, inquit, erit, ac ſalubris hæc aqua, nam ubi adjantus adnaſcitur, optimam eſſe aquam tradunt. Cui ego: Imò ſaluberrima: Æquanis enim è jugis ſcatet: perque teſtaceos canales Surrentum, perque Surrenti pagos inducitur, eſt etiam vi urinam movendi prædita, atque inteſtina lavat miro modo, quapropter abſq; medicamentis urinam cientibus, quæ διουρητικὰ Galenus vocat, hac ego uſus unâ, tantum profeci, ut ex multorum annorum pertinaci viſcerum obſtructione liberatus penè ſim. Mox ubi Lælius hauſtam aquam colluiſſet, idque reliqui feciſſent, in ſuperiorem domus contignationem conſcendimus; ſedimuſque ad magnam deambulationis feneſtram juxtà hypæthræ arcum, quà placidiſſimi aura ventuli perflabat. Ut verò in ſediculis ſeſſum eſt, ego Lælium, Sextumque rogo, ſi quid novarum rerum ad me Neapoli afferrent, & ut amici valerent? Tùm Lælius: Amici valent planè benè: teque omnes ſaluere jubent: atque in primis Eulalius, qui magno me oravit opere, ut tibi ſuo nomine ſalutem plurimam dicerem. Unus tamen vel in paucis charus Cn: Bellus, hecticâ derepentè febriculâ correptus eſt. Cui tùm ego: Rem mihi, Læli, peracerbam narras, & ſi non inopinatam omninò. Jamdiù enim hoc illi malum timebam, quippè delicatiſſimi temperamenti, ſæpè illum admonui ne ſe tantum literis involveret, ſuæque valetudinis rationem duceret, at meis ille admonitionibus nunquam paruit. Hic Læl: Quid facias? ſic ſumus omnes, qui in ſtudio literarum libidinem habemus; tu ipſe, qui ſana aliis das crebrò conſilia, ſecus agis, ut facta dictis conſentire non videantur, neque ſcio an aliquis ſit, qui ætatem in libris magis contriverit, præter te. At ego, tùm inquam, jam conſenui, & robuſtam corporis valetudinem nactus ſum. Hoc loco Sextus; De me certè quidem, Parthenie, queri nequaquam potes; tuis enim monitis ſemper acquievi, meque à literis, ne in morbum inciderem, diligenter continui. Cui ego: Ut bellè me præoccupaſti! tu contrario laboras vitio, ut te calcaribus urgeam, opus ſit, ſed redeamus ad Cn; Bellum, cujus mihi lues ſummoperè diſplicet; Reddiditne per os ſanguinem? Et Læl: Pauxillum: & tuſſiculâ item vexatur. Cui ego: Erat ne ſanguis vitioſus?

Ubi adjantus adnaſcitur, Aqua ſalubris.

Et ille : Ità ajebat Celſus noſter , qui , quoniam in memoriam ſermo inciderat tui , ex me petiit , qua tu hic valetudine uterere , & quo in ſtatu Autumni eſſent , quos dum tuas Æſtates legeret , magnoperè expectabat . Tùm ego : Gratiam homini habeo , quem ſcio mei amantiſſimum, ſed quid tu illi ? Te , inquit Læl: valere , dixi baſilicè , operamque omnem in Autumnis ſcribendis ponere , ac locare . Benè , inquam ego : ſed quod tandem de Cn: Bello judicium ferebat ? Tùm Læl: Non bonum , erat enim excreatus ſanguis niger , & craſſus , ego , ut de me conjecturam facio , morbum puto graviſſimum . Vellem inquam ego, ut illi tempeſtivè conſulerent : nam ſi ſecus inutili conſultatione , ut plerumque ſolent , tempus ducent , amittemus juvenem tùm ingenio , tùm indole vel in paucis rarum , ſemper apud nos illud uſuvenit , dum Romæ conſulitur , Saguntus expugnatur , ſed cedo tandem ſi quid mihi novi ex urbe apportas . Et ille : Accipe , rem gratam tibi narrabo : Ad Nicatem , qui mons , ut te certè non latet , Apennini pars eſt ; quiq; per Alliphas longo tractu deſcendens in Maſſicum vergit , Samniteſq; à Campanis , Volſcis; & Auſonibus diſterminat : ad Nicatem , inquam , infra Æſcrniam non multis ab hinc diebus argentifodina inventa eſt : cujus fruſtum illinc allatum , mihi ad te perferendum dedit Quintus Caſo , mox è marſupio eductum in manus dedit . Acceptum ego argentiferum lapidem attentè, accuratèque conſidero . Tùm ad me Lucil: Eſtne , inquit , probatum argentum iſtud ? Cui ego : Ita mihi videtur , quamquam , ut ex hoc coniicio , non adeo dives futura fodinâ ſit . Et ille : Vereor ne modicus admodum futurus proventus ſit , nec reſponſurus expenſis . At ego : Exiguum lucelli quamvis inde obventurum , è Republicâ tamen duco erui è fodinâ , ſic enim & argento abundaret , quod quantum conducat , vos ipſi coniicite ; & multorum otioſorum operæ occuparentur , quod maximum ſanè Reipublicæ emolumentum affert: ſi ità fieret , quanti dives auri , argentique noſtra hæc regio foret ? quot miſerorum familiæ ſublevarentur ? multæ quippè . Hic Lucil: Conſultò tu quidem , verùm ubinam hujuſmodi aurifodinæ ? Cui inquam ego : Sunt equidem , & plurimæ apud Brutios , quorum amnes non raro arenam auream vectant ; memini me admodùm puero , inventam hujuſcemodi arenam ad Annibalis caſtra , & Neapolim ad Prætorem miſſam , quam cum in fuſorio ad ignem argentarii probaſſent , optimum eſſe aurum deprehenderunt ; ſunt etiam quædam citra Silam , in cujus ſinu magnas eſſe fodinas veriſimile eſt ; Nec Garganum

Nicates Mons.

Argenti auriq; Fodinæ quamplurimæ apud Brutios.

ganum vacare auro, atque argento, nec Apenninum arbitror. Tùm ille: ſi ità eſt, ut dicis, cur tantas opes negligimus? Quia, inquam, ubertas, & feracitas ſoli nos deſides, ac ſupinos facit, ſi minus terra omnis generis frugum, ſi minus fructuum daret, tùm indigentiâ induſtrii, quæ in penitis latent, perquireremus, inque abditum terræ ſinum perrumperemus. Tùm ille: Vera narras: experimento enim comprobatum eſt, eos laboris patientes magis eſſe, quos magis pauperies premit. Hoc me loco Sextus interpellat: Verumne quod ajunt, unà cum auro, & argento reliqua etiam metalla procreari? Cui ego: Ita enim verò, quemadmodum enim unà cum ſanguine, humores cæteri, ita cum auro reliqua metalla progignuntur, ſive quod illa imperfecta naturæ ad optimum tendentis, opera ſint, ſive quod ex minus aptis terræ humoribus diſtincta ab auro corpora concreſcant. Sed age, tùm ille, quando hac in re ſumus, dic ſodes (nam qui iſta melius?) quo pacto à reliquis aurum ſeparatur? Cui ego Saturni ope, atque operâ, plumbi nimirum miniſterio, ſcis enim hoc cognomento plumbum à phyſicis nuncupari, quod illi aſtro ob ſimilitudinem ſubeſſe feratur; ſeparatur autem tùm aurum, tùm argentum hoc modo: liquantur confuſa illa, atque indiſcreta metalla unà cum plumbo, hoc autem cætera conſumit, ac devorat: atque hoc modo defæcatum aurum, argentumque reſtant. Hic Lucil: Anne hinc, inquit, voracem filiorum Saturnum perhibent, quòd reliqua plumbum metalla devoret? Rem ipſam putaſti; inquam Lucili, miror oppidò ingenium tuum, excole, quæſo, illud, atque exerceto: magnus nimirum vir fies. Et ille: Habeo tibi gratiam, quod ità de me ſentias, faciam quatenus imbecillæ mihi vires dabunt. At Sextus: Sed omiſſis officiis iſtis redeamus ad fodinas. Cui tùm Lucil: Ut video, Sexte, te auri recordatio delectat, detergitque faſtidia illa tua, cave illud adames, id enim nec ſapientem, nec religioſum virum decet. Et ille: Non auro diteſcere, Lucili, mihi cordi eſt, ſcis enim me totum reliquiſſe, verum erudiri: teneſque illud profectò, eum & ſapientiorem, & religioſiorem eſſe, qui eruditior idem eſt. Tùm Lucil: Credo equidem: verùm ego jocari volebam: decebant nimirum inter ſeria feſtivi ſales, & conditus feſtivitate ſermo gratior auditoribus fit. Et ille: Tuum ingenium probè noram, Lucilli; bellus tu quidem homo, & ad gratias, & lepores natus. At Lælius: Verùm factâ jam juſta jocis intercapedine, redeamus ad ſeria, ac docta, quæ ego præ jocis, & feſtivitatibus fero. Non putabam, Parthenie, tantas in

Cur tantæ opes in Neapolitano Regno neglectæ.

An cum auro, & Argento reliqua etiam Metalla procreentur.

Aurum à reliquis ſaparatur plũbi ope, quod Saturnus nuncupatur à Phyſicis.

Exponitur modus, quo ſeparatur aurum, & argentum à reliquis metallis.

noſtro regno divitias procreari, unam Peruviam auro divitem arbitrabar. Cui ego: Tanta terræ hujus felicitas, ut nihil amplius accedere poſſit, nempè nihil eorum deeſt, quæ vel ad uſum, vel commodum incolarum deſiderantur: quæque ſingula, ſingulæ regiones gignunt, una hæc cuncta producit: quo ſit ut plurima aliis ſuppeditet, ipſa indigeat fermè nihil, niſi fortaſsè paucis quibuſdam, quæ ad luxum potius, & morum corruptelam deſerviunt, quæ expediret quidem certè ſi non accerſerentur, ità enim fieret, ut non tantum molleſcerent animi, nec tanta pecuniæ vis hinc aliò diſtraheretur. Tùm Lælius: Prudenter, tu quidem, & ut νομοθέτην decet, ſed enumeremus jam, ſi lubet, quæ tellus hæc noſtra ex ſe procreat. Cui ego: Facerem niſi vererer ne aliis crearem faſtidium. Tùm cuncti uno ore, Imò rogamus, ut lubeat, quid enim jucundius noſtris auribus eſſe poteſt, quàm terræ, in quâ nati, educatique ſumus feracitatem audire, neque hi enim ſumus, humili qui genio, ac ſervili, aliena magis amant, quàm propria, ut mirum quantum domeſticarum rerum inſolens eos faſtidium teneat. Tùm ego: Gaudeo, quod tàm generosâ à naturâ dotati eſtis indole; morem igitur veſtro geram ingenio, cui ut obſecundem par eſt: accipite igitur, rem numeris omnem complectar meo more. Metalla (ut ab his initium faciamus, à quibus occaſio data eſt) ut modò dicebam, non deſunt plurima, & magno futura emolumento, ſi modo adeſſet, quæ una deſideratur, induſtria, æs, ferrum, vivumque argentum affatim ſuppetunt, ſtamni item, & plumbi non contemnenda vis eſt; quæ verò mineralia novi dicunt, (quod quidem acceptum uſu vocabulum latinitate donatum eſt) tantâ copiâ proveniunt, ut major deſiderari non poſſit, ſulphur, nitrum, bitumen, è quibus alumen, ſummâ quidem induſtriâ educitur, abundè Phlegra, & Veſuvius evomunt: aliiſque in locis plurimum naſcitur ſpecularem lapidem Brutiorum feraciſſima tellus magnâ copiâ ſubminiſtrat, ut & reliqua hujuſmodi: Pix in Silâ abundè coquitur, in quâ & Græca cera. Manna item, quæ etiam in Gargano optima colligitur. Mel, & cera nullibi non obvia: Tarentinum optimum, neque deeſt calaminum, quod in Brutiis provenit, etſi inferioris notæ, quàm ſit Indicum, apud hos montanum ſal ſcinditur: commune verò apud Apuliæ litora coquitur, & concreſcit. Bombycum tanta nutricatio, atque cultura eſt, ut jam non ſolum principes, ſed infimæ etiam plebis lanii, fartores, coqui oloſericis veſtibus induantur. Goſſypium abundè, præſertim in Brutiis, in Veſtinis crocus legitur: in-

Noſtri Regni Felicitas, & Ubertas ob oculos ponitur.

que

que omnem Italiam diſtrahitur. Sed ut ab his proximè ad fruges tranſeamus, tanta in Apuliâ, quam Dauniam vocant, tanta in noſtrâ Campaniâ, tanta in Brutiis circa Crotonem, ac Metapontum, reliquiſque in regionibus etiam montanis tritici omnis generis copia, atque etiam Indici, & leguminum cæterorum: tanta oryzæ in Picentinis, & Magnâ Græciâ, colligitur, ut non ſolum alienis non indigeat, ſed ſufficiat etiam quammultis. Vini, & quidem omnis generis tantum procreat, ut compluribus Italiæ populis ſuppeditet. Hic Lucil: Sed illud vel nimis validum, ac fumoſum, Ut Veſuvianum, Herculanum, Terinæum, Apulum: vel nimis aſperum, ut Atellanum, Surrentinum. Fateor, tùm ego: Verùm nonne Stabienſe, & quod in proximis collibus exprimitur delicatum? nonne vernum Nolanum? nonne Pauſilypæum optimum, ac ſanum? imo ſubaſperum illud ſi mari devehatur, aſperitatem illam exuit, ac fit delicatum, ut etiam vinum Circæo immutari poculo credas. Tùm ille: Mira narras, & mihi nova omnino. Sed qua id cauſsâ contingat ſcire aveo abs te, quocircà exprome quod ſentis; quod & Sexto gratum erit. Hic Nigidius, qui diù tacuerat, Imò, inquit, & Capitoni iſto. Tùm Capito: Quid, inquit, tu Sexte?

Quare Vinum aſperum ſi mari devehatur, aſperitatem exuit?

vide quorſum dicta iſtorum ſpectent. Et ille feſtivus dies eſt, quis illos jocari vetet? per me liceat quantum volunt. Neque ego, tùm Capito, adeo ſeverus, ut id vetem, quod tu concedendum putas, atque me mox intuens, Tu verò ſi Stabienſe illud in promptu habes, jube, quæſo, hùc puerum efferre: cupio periculum facere ſi verum dicas, atqui id ipſum, ut ex vultu coniicio, Sextus tuus deſiderat. Ita verò, inquit Sextus: age, jam prome, heus puer, accipe, quod tibi mandat dominus. Tùm ego: I', Fabiole: nivem compara: & duo illa vaſcula, Stabienſis unum, alterum aquæ nivato, fac citò; curatoq; ut ſint gelidiſſima. Et ille: Illicò factum, curatumque dabo. Ut puer ad mandata faceſſenda conceſſit, tùm inquit Sextus, Quis te iſtiuſmodi vino donavit? numnam liberaliſſimus homo Cajus Nardus? Cui ego: Divinaſti, Sexte, non multis ab hinc diebus novem mihi phyalas, quarum ſingulæ quatuor heminas capiebant, tranſmiſit, illas ego in vinaria cella aſſervo pro amicis: nam me ſcis eſſe abſtemium. Hic Lucil: Sed redeamus in viam, à qua nos vinum abduxerat: & quod ſcire avebam, expromito. Tùm ego: Difficilè oppidò eſt hujuſce rei cauſſam reddere, quorumdam enim effectum, quò mirabiles illi magis ſunt, eò abditæ magis latent cauſſæ, crediderim tamen, & motu illo navis, & marino aëre

nimiam

nimiam illam acritudinem domari : itàque dulcedinem induere, ac fieri gratius, niſi hujuſmodi vino illud evenire putandum ſit, quod Perſicis tùm nucibus, tùm pomis, quæ & præcoqua vocamus, accidiſſe memoriæ datum eſt: quæ cum in nativo ſolo noxii humoris eſſent, in noſtrum translata vitium omne decoxerunt, atque hinc illud Martialis,

Poma præcoqua, & Perſicæ Nuces in noſtrum ſolum translata, Vitium omne decoxerunt.

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,
Nunc in adoptivis Perſica chara ſumus.

Hic Lucil: Probabile quidem iſtuc, ſed pergamus porrò. Tùm ego: Gregum, & armentorum vis tanta, ut ſi Campaniam, ſi Samnium, ſi Veſtinos, Frentanos; Pelignos, Apuliamque utramque luſtres, ſi magnam mox Græciam atque in hâc Silam, quæ Arcadia Italiæ eſt, tanta pecudum omnis generis multitudo paſſim occurrit, ut incredibile dictu ſit. Hinc caſei tanta copia, & tàm varia conſicitur, ut majorem non deſideres. Hoc loco Lucilius ſic me interpellat: Sed non habemus adeo probatum, ut Parmenſis: Cui Ego: Imò probatiſſimum, nonne bubalus, qui ad Calabriæ Appenninum juxtà quem Sibaris fontes ſunt, Parmenſe longè melior? hic tanti æxtimatur, ut quotannis ad Regem mittatur, non item optimus Martius tùm Lucanus, tùm Apulus? nonne exquiſitiſſimus Campanus, qui Octobri, cum primæ incipiunt tempeſtates; undè & nomen ſortitur, conſicitur? Quin imò, ut non longè exempla petam, hic Maſſæ ad delubrum, caſeus quidam coagulatur, quo nihil delicatius. Hic Nigidius, & Capito, ita res eſt, inquiunt, ut Parthenius dicit: & nos ipſi teſtes ſumus, qui ſæpè palato, penes quem ſumma hac in quæſtione authoritas, periculum fecimus. At Lucil: Verùm ſi ita res ſe habet, cur tantum Parmenſis laudatur? Quia, inquam Ego, ità ſumus, ut domeſtica minus placeant. Et ille: Aſſentior tandem, quam multa nobis gratiora forent, ſi longè, & magno pretio compararentur, quæ quia domi naſcuntur vilia cenſentur. Vix hæc cùm puer nivata attulit cum pateris filicatis, quem ut vidit Sextus, Porrige, inquit, puer potorium, & infunde. Cui ego: Mane tantiſper: accipiam pauca quædam bellaria, ne vinum noceat. Et ille: Dulcia bilem generant; habeſne tantillum illius caſei? Tùm ego: Lubrenſis minimè, ſed Calabri illius laudatiſſimi, quem mihi altero ab hoc die Piſo dono miſit, homo, ut ſcis mihi devinctiſſimus. Et ille: Profer, amabo, mi Parthenie, quem ſtatim ego è penu unà cum pane educo: ſinguliſque fruſtum porrigo, vix in os bucceam intulerunt, cùm omnes pari ſuffragio

Caſei diverſa genere præſtantiſſima.

pro-

probatiſſimum conclamarunt, mox ad vitra ſermonem tranſduximus. Heus infunde, puer, Sextus, inquit, Nardoque propinans hilariter exhauſit. Capito Piſoni propinavit, Lælius mihi: Lælium verò Lucilius invitavit. Ut biberunt, calidis labris vinum perquàm optimum pronunciarunt, qua celebratâ feſtivitate, ad alia digreſſi ſumus.

CAPUT IV.

Cum in Surrentino verſaretur Cardinalis, Capreas profecti, cuncta Tiberii Cæſaris monumenta, quæ adhuc extant, circum luſtravimus, deque ſpecu, quam Tiberii appellant.

VErſabatur mecum unà in Surrentino Cardinalis præſul, qui ut quotannis ſolitaverat intercapedine aliquâ à negotiis factâ, brevi vacatione, geniali in agro, ac ſalubri perfruebatur, cum verò quodam die à meridiano ſomnulo Suetonii Tranquilii XII. Cæſarum vitas eleganti ſtylo ſcriptas legeremus; inque Tiberii tandem obitum, quo exoriri paululùm Roma viſa eſt, perveniſſemus, ita ad me Cardinalis: Nuper me Caprearum antiſtes inviſendi gratiâ convenit, quem cum rogarem quid ad me novi è Capreis afferret? Tùm ille: Id, quod gratiſſimum ſcio futurum tibi, quippè viro veterum monumentorum ſtudioſiſſimo. Et ego: Numnam aliquot Cæſarum numiſmata, & Tiberii in primis? Ille verò: Majus quoddam, & recentiſſimè inventum. Cedo, inquam tùm ipſe, quid iſtuc tandem ſit? Et ille: In montis verticè, qui ad Orientem eſt, ubi Tiberius magnificas illas moles excitavit, ſtatua quædam reperta eſt penè integra, inque Pario marmore inſculpta; cubiculum vero in quo inventa, humo effoſſa, qua totum erat oppletum, texellatum, è minutis, niveiſque lapillis quadratis viſitur. Hic ego Antiſtitem rogo: Suntne veſtigia aliqua Ædium Tiberianarum? Et ille: Pluſrima, quæ nec Senatus conſulto, nec tot millibus operarum, nec ipſo tempore, quod rerum omnium voraciſſimum eſt, dirui potuerunt, quæ cum ſic habeant mihi Capreas proficiſci in animo eſt, & cuncta illa antiqua Tiberii monumenta perluſtrare. Qui tibi labor non erit inutilis: poterunt enim illa Autumnos tuos locupletare. Cui tùm ego: Jamdiù id mihi in votis erat; quocircà res cadit ex animi ſententiâ, vereor tamen ne pluviæ, quæ totâ hac æſtate ceciderunt, profectionem interturbent. At ille

In Capreis Veſtigia multa Ædium Tiberianarum recens inventa;

ille : Spero rem votis ceſſuram, mihique negotium dat phaſelos conducendi : jubetque præſto eſſe antequam albicaſceret : ne incommodum eſſet à Sole, ſi tardiuſculè ſolveremus. Ego nihil cunctatus Navarchum accerſo, jubeoque benè manè ad ſcopulum cum expeditiſſimis phaſelis ſe ſiſtere, ut in Capreas curſum teneremus, quo verò ante diluculum expergiſceremur, tempeſtivè cænavimus, & quidem cænulâ tàm brevi, quàm eleganti : quæ vermiculis cerealibus delicatiſſimis, bovis medullâ elixis, jecuſculo vitulæ, non ſumine, ſed oleo purgatiſſimo, novo Ligurum more frixo, vervece pinguiſſimo, ac jurulento, acetarioque ex lactucâ ſeſſili confecta eſt, pro ſecundis menſis cydonea conditura, & lauroceraſum imbutum ſaccharo; quæ bellaria ſtomachum fovent miro modo, mox precario ſerto, & Virginearum laudum ſyllabo recitato, cubitum conceſſimus.

Poſt brevem ſomnum tempeſtivè excitatus ad hypæthram me confero, ut è ſtellis quota noctis hora eſſet, colligerem, cùm verò ſupra Lactarium emerſiſſe Luciferum deprehenderem, veſtibus induor : audioque Cardinalem jam experrectum, uti ſomni perquàm modici, cui cum proſperum diem impertiviſſem, moneo eundi jam tempus eſſe. Et ille : Quota hora eſt? inquit. Cui ego : Tertia à mediâ nocte. Ille verò : Octava ſcilicet noſtro more ab Occaſu ſupputata. Ego tùm, ipſiſſima. Stant ne, tùm ille, in promptu phaſeli? Et ego : Sic arbitror, quòd ut certiùs teneamus, famulum viſum mittam, interea dum famulus redit, nos horarias preces decantamus, quibus abſolutis, nunciatum eſt phaſelos eſſe expeditiſſimos, quapropter nullâ morâ interpoſitâ, in ſcopulum proficiſcimur, unâ cum Q. Marcio, Cn: Galerio, & C. Marcello, quos ſecum Cardinalis in Surrentinum deduxerat. Sed jam in phaſelum recepti, tàm procùl à litore navigare cœpimus; ut & Surrentini collis proſpectu delectaremur, & hoſpites illi litoris amœnitatem, & plurima ſparſim antra, & ſinus proſpicerent. Ut ad promontorium venimus, ſtatim Cardinalis, quæ villa Pollii Felicis, quod Neptuni fanum, quique circus fuiſſet, compendio docet : & ſtagna in rupe concluſa digito commoſtrans, Hic, inquit, Naumachia in ſolemnibus Neptuno ſacris à Pollio habebatur : inque me intuens, Attuliſtin', inquit Papinium? Cui ego : Eſt ad manus, non enim eram neſcius, fore ut hic loci legeretur. Et ille : lege igitur, audient hi noſtri peramantes hoſpites auribus lubentiſſimis. Tùm ego Statii carmen de villâ Pollii limpidâ voce perlego, quo lecto, ad eum locum deventum

Locus, ubi Naumachia in ſolemnibus Neptuno ſacris à Pollio habebatur, à Cardinali Cantelmo monſtratus.

tum eſt ; ubi Herculis fanum extitiſſe memoriæ traditum eſt, de quo poſtquam ad hoſpites Cardinalis diſſeruit; lege, inquit, ejusdem authoris Herculem Surrentinum. Ego tùm carmen perlegere aggreſſus ſum. Vix dum legeram, cum univerſo Pollii ſinu tranſmiſſo, ad Lubrenſis promontorii flexum devenimus, hîc alterius theatri proſpectu, ſertoque olearum viridiſſimo recreati ad noſtri collegii villam properamus, quæ ad mare modico in clivo, longâ pergulâ, decuricoriâ, & Apianâ uvâ undique conveſtita, quàm maximè conſpicua conſurgit. Hoc loco me Marcellus interrogat, cujus eſſet villa, quæ cæteris elegantior videbatur? Noſtra, inquam ego (erat enim Marcellus ex noſtro ordine orator vendibilis) at olim ab Romano aliquo equite excultam fuiſſe ipſum vocabulum argumento eſt, illam enim corrupto vulgi more cognomine *Pipianum* vocant, an verò Livianum, an Poppæanum dicendum, definiri non auſim. Quinimò hìc loci plurimæ villæ ſunt, imò & pagi, quibus iſtiuſmodi Romanorum detorta vocabula inſunt. Atque hæc cum dicerem, me navarchus rogat, vellem ne ut rectà in Capreas proram flecteret, an oram legeret uſque ad Athenæum? Tùm Cardinalis: Placet, inquit, peramœnam, & opacam oram circumluſtrare. Ille igitur, ut juſſus fuit, cœpit oram radere, nos verò viridiſſimâ ſcenâ delectari. Cum verò ad quandam aquulam, quæ ex edito, ac prominenti ſaxo rectà in mare defluens quaſi appenſa, unde & vulgò nomen factum eſt, videbatur, venimus, Hic, me reſpiciens, inquit Cardinalis, rudera ſunt antiquæ molis: meminiſti? Cui ego: Commemini, quæ mox ut propiùs ſucceſſimus, oculis complexi ſumus. Dum autem illa hoſpitibus commoſtrat, Non eſt, inquit, hiſce in locis, ſitus aliquis vel opportunitate commodus, vel amęnitate amœnus vel proſpectu pulcher, in quo ſubſtructiones non viſantur veterum ædificiorum. Nempè ſapiebant Romani quorum ævo, & Tiberii vel maximè, univerſus iſtic Crater ædificiis paſſim conſitus videbatur. Quia verò celeri curſu phaſelus excurrebat, jam propè Athenæum ventum eſt. Ut primùm tenuimus. Summo iſto in vertice, inquit Cardinalis, Minervæ delubrum fuit, à Tyrrhenis, ut arbitror conditum. Aain'? Cui ego; Ajo, enimverò. Atque hinc Statius, qui adhuc in manibus eſt. Minervæ Delubrum, ejuſque Rudera.

Prima ſalutavit Capreas, & margine dextro
Sparſit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.

Cum enim hi è Greciâ in Italiam navigarunt, in has primùm ſedes allapſi, fanum hoc Palladi conſecrarunt: atque hinc Grajam etiam Minervam poëtæ nuncuparunt. Tùm

ille: Eruditè tuquidem: ad hoſpites verò: Adhuc Fani pavimentum è texellis pellucidis compactum, viſitur, juxta turrim illam ſpeculatoriam, quam videtis in edito illo colle; columnæ marmoreæ, in quarum capitellis inſculptæ noctuæ, ſpectantur in templo etiam in colle, qui Sirenuſas ſpectat, ædificato: meque intuens, Meminiſtin', inquit, quanto conatu, & labore conniſi ex duro illo, ac difficili ſcopulo in ſupremum verticem evaſimus? Cui ego: Memini quidem certè, verùm quanto majore mox redivimus? me ſæpè in præceps ruiturum credidi, cum in nudos, procliveſque lapides offenderem. Quia verò jam die multum erat, æſtuſque inceperat effervefcere, rectâ Capreas contendimus, quoniamque ſecundo flatu Eurus ſpirabat, vela dedimus: inque Capreas breviſſimo curſu delati ſumus. Antea verò quàm in terram pedem inferremus. Placet, inquit Cardinalis, priuſquam in oppidum aſcendamus Tiberii ſpecum, quam miram oppidò, viſuque dignam accepi curioſè, attentèque circumſpicere. Cui ego: Id ſanè percommodum; nam tranquillum admodum mare eſt, & latus illud inumbratum; ſi verò pomeridiano tempore Zephyrus afflaverit vehementior, neutiquam introire poterimus: adeò humilis eſt aditus, imò neque hoc ipſo phaſelo licebit; quocircà accerſamus piſcatorem illum, qui ſuâ nos horiâ in ſpeluncam invehat. Rectè excogitaſti, tùm ille; piſcatore igitur accerſito, in ſpecum, qui ad meridionale inſulæ latus eſt, ire perreximus; Inquem, ſimul ac venimus, illicò in horiam inſilivimus, atque ſpeluncam ſubintramus: hinc tantiſper juxta oſtium immorati, quo externâ ab oculis depulsâ luce, opacitati aſſueſceremus: & ſic cuncta clariùs videremus, mox ut ſubalbidum fieri antrum cæpit, illud lento admodum remo totum perluſtramus. Eſt in montis ſinu durâ è ſilice rupes: quæ anguſto, humilique aditu patet: ex quo in vaſtum hàc illàc ſinum ſe circinat, qui niſi interdum prominentibus hic ſaxis, curvantibus illic ſe ſinubus, variaretur exacti præſe circuli ſpeciem ferret, in fornicem aſſurgit teſtudinatum veriùs, quàm arcuatum, qui ſcabrâ ſilice dentatus, laciniatuſque eſt; ſaxorumque ſtriis diſtinctus, aquâ per oſtium infusâ omnem latè ſpecum alluit, rupes perpetuis ſtillis ſcatet, quæ ſenſim lapideſcentes vario veluti textu fornicem pingunt, atque colorant, qui quaſi Attalico factus opere, ipſo in aditu manifeſtiùs conſpicitur, imò repercuſſa è mari lux non unam, & verſicolorem iridem appingit. Poſtquàm igitur omnem antri circuitum perluſtravimus, magno delectati opere ſumus quà vario mirabilique ſitu, quà horrore, ſtru-

Tiberii ſpecus mira deſcribitur.

ctu-

ctuque loci, quà magnitudine : mirati & naturæ artificium ſumus callidiſſimum, & mirum oppidò; quo tàm pulchram, mirandamque ſpecum elaboravit, tandem egreſſi, inque phaſelum recepti, in Oppidi oram contendimus. Inter redeundum ità me Cardinalis interpellat: Tiberiine conatu, an Naturæ magiſterio excavatum fuiſſe antrum arbitraris? Cui tùm ego: Naturæ, inquam, cui facillimum factu erat, arte verò fieri poterat nullo modo, quo enim ſcalpro, imò quantis ferramentis, tàm vaſta, tàm profunda ſpecus ſcindi potuiſſet, atque incurvari? ſi fixile ſaxum fortaſsè concederem, at duriſſima cum ſit cautes, quà rigidiorem Marpeſiam non puto, nego enim verò; præterea cum profunda ſit aqua, manifeſtò colligitur hominum operâ, ac labore cavari minimè potuiſſe. Tùm ille: Probabilia, quæ dicis, ſed factam à Tiberio ſpeluncam diſſipatiſſima apud hos incolas fama eſt, idque à majoribus accepiſſe, modò piſcator ille narrabat: Præterea mira quidem illa, quæ à Romanis, quorum ea fuit potentia, ut majorem univerſus terrarum orbis nunquam viderit, nec viſurum deinceps puto, tentata ſunt. Ego verò: Dictam à Tiberio ſpeluncam exiſtimo, quòd in eam ille ventitare ſolitus, cumq; ſuis licentiùs agere, & ſummo in æſtu lavari; atque hinc ab eodem elaboratam error dimanavit: quòd in re ſimili cadit non ſemel. Atque hæc ubi dicta ſunt, in oram, in quam jam ventum erat, deſcendimus. Mox reliqui cum Cardinale ſellis geſtatoriis, quibus uti eo loci mos eſt, in oppidum, quod in ſuperiore colle ſitum eſt, deferuntur, ego per compendiariam, atque opacam ſemitam mihi benè notam, pedes in altum conniti cæpi, idque ut eâ corporis defatigatione ſudorem elicerem: quod maximè ſalutare expertus ſum, in oppido ad Carthuſianorum cœnobium divertimus, qui eo, quo par erat, obſequio Cardinalem exceperunt, tractaruntque per quàm munificè. Hic poſtquam conſeſſum eſt, cænobii præſidem percontatus Cardinalis eſt, ſi quid ſcitu dignum de Tiberianis monumentis haberet: Ille eadem prorſus narravit, quæ Cardinali Præſul attulerat. Qui, hæc cum dicerentur, interfuit: exceptuſque comitèr, ac benevolè à Cardinali, atque ad prandium invitatus. Quoniamque ad umbilicum jam dies venerat, ſacris peractis, ad menſam accubuimus. Inter epulas memorabat Præſul, inter rudera illa Tiberianarum ædium ingentes theſauros repertos eſſe, quos Tiberii familiares infodiſſe arbitrabatur, quòd cum nobis minimè videretur probabile, ille, uti id pervinceret, ajebat ità ſenes illius oppidi commemorare, ab aliis ſenibus auditum.

Cui tùm Cardinalis : Atqui inanes hæ vulgi opiniones ſunt qui, ut ait Cicero, Ex veritate pauca, opinione multa æſtimat, quod unus veriſimili aliquâ ſpecie commentus eſt, ſtatim ratum, firmumque habet, imò ſic illius ingenium eſt, ut ubicumque vetera rudera ſunt, ibi theſauros recondi arbitretur. Tùm Præſul; Non repugno, inquit : tamen pleraque vera eſſe, veriſimile porrò. Ut autem quod de hiſce ruderibus fertur, verum credam, ex eo inducor, quòd non multis ab hinc menſibus, quidam, quos Necromantes vocant, in hanc inſulam appulerunt : abductoque clam uno ex incolis, quem magnâ ſpe, & promiſſis oneraverant, in verticem montis perrexerunt : ibique theſaurum repeeriſſe, rumor dimanavit, atque hâc occaſione reperta eſt ſtatua illa marmorea, de quâ aliàs ad te retuli. Hîc Cardinalis : Ibimus, inquit; & monumenta illa, quæ vera ſunt antiqui ævi divitiæ, perluſtrabimus : theſauros habeant, quibus eſt amor. Hinc jubet geſtatorias ſellas cum phalangariis præſto eſſe, ut poſtquam meridiatum, preceſque dictæ, in altum montis faſtigium aſcenderet, ſtatimque ad diffindendum brevi ſomnulo diem profecti ſumus.

Sed jam non longo è ſomno excitati, veſperarum ſtatim precibus recitatis quoniam Zephyro, qui multos antea dies ſpirare intermiſerat, vehementiùs perflante, alſior dies erat, & iter benè longum, in montem illiuſmodi ſellis deferimur. Et ſanè tantâ pernicitate per ſalebras illas, ſaxoſoſque calles, eoſdemque anguſtos, atque impeditos illiuſmodi homines percurrebant, ut mirum oppidò videretur, & quamvis interdum ſellæ ut interpoſita ſaxa evaderent, altè ſummo labore attollendæ forent, totique ipſi largiſſimo ſudore defluerent, ab incœpto tamen curſu neutiquam deſiſtebant, etſi ob nimiam defatigationem ad quingentos quoſque paſſus phalangarios permutare opus eſſet. Tandem duobus exactis admodùm horis, in ſuperiorem verticem evaſimus, ubi præcipuæ Tiberii Cæſaris ædes inſtructæ extiterunt. Commemorant enim quædam alia ad litus ædificia fuiſſe, quod ad Septentriones ſpectat : quorum perpauciſſima id temporis veſtigia extant. Ut verò clariùs, quæ deſcribenda, teneantur, paulò altius exordiar. Capreæ inſulæ ſunt Tyrrheni maris, inque ipſo Campani Crateris veſtibulo ad ſpeciem à Naturâ poſitæ. Major, quæ & præcipua, forma eſt oblonga, & novem millia paſſuum patet circuitu univerſo, reliquæ ſcopuli veriùs, quàm inſulæ, major igitur, quæ una nunc nomen obtinet, in geminos montes aſſurgit, altior ad occidentem eſt, qui ſtatim demittitur clivo aſpero, & difficili : in ſupremo planities jugo eſt, ferti-

Capreatum Deſcriptio.

lis,

lis, atque exculta; humilior ad Orientem attollitur, clivo mitior, & quà oleis, quà fructiferis arboribus latè inveſtitus. Supremo in culmine planities eſt, etſi non æqua omninò, ambituque M fermè paſſus complectitur, hanc verò univerſam Tiberii domum occupaſſe antiquæ pilarum ſubſtructiones argumento ſunt. Ex illo quaquà verſus pulcherrimus proſpectus eſt. Ipſo enim in conſpectu ad orientem Minervæ colles, quà villis, quà ſylvis diſtincti, atque interpicti, ipſumque Deæ delubrum conſpiciebantur: altior verò Lactarius cum vicinis montibus, qui etiam Æquana juga veteribus dicta, ſupereminet: levâ Crateris penè univerſi ambitus, & ipſe, qui Campaniam cingit, Appenninus; dextrâ Tyrrhenum mare, Sirenuſæ, Amalphis ora, & quidquid ultrà. Pæſtanum ſinum Leucoſiam uſque excurrit, conſpicuum eſt. Imò ferunt, cùm ſerenum cœlum eſt, atque immunis à vaporibus Finiens circulus, Palinurum uſque oculorum aciem excurrere, haud ſanè ſcio an pulchrior, amœniorue alter eligi ſitus potuiſſet. Hoc igitur in plano ædes erant Tiberianæ, quarum rudera luſtrare cępimus. In aditu gemina columnarum fragmenta Numidico è marmore extant: à quibus antiquæ fabricæ cerni incipiunt, quoad præcipuas veniatur. Hìc vaſtiſſimi, immenſique fornices in ipſo penè montis ſinu extructi, pilæque grandiſſimæ, quæ & impoſitos fornices, & totum palatii pavimentum ſuſtentabant: in medio ciſterna vaſtiſſima, quę adhuc integra, aquam, quæ è ſuperioribus diffluit, ſinu colligit, ac ſervat. Eſt & uſui cuidam Solitario, qui hîc ad ædiculam degit, ſtipe à paganis corrogatâ, & horti herbulis, quem ipſe ſibi excolit: atque beatus parvo, à curis, & tumultu liber, quàm feliciſſimè vivit; ad lævam ciſternæ longa itinera, quorum fornices lateritii, è dextrâ verò lævâque itinerum cellæ ejuſdem ſtructuræ, his ſervos, & jumenta habitaſſe rectè Cardinalis opinabatur. Ex hiſce itineribus longi canales ſubtèr viſebantur, per quos aqua in hortos, & ad domeſtica miniſteria immittebatur, circa ædiculam quædam cubicula teſſellata, in quorum uno ſtatua inerat marmorea, quam cum attentè, curioſèque Cardinalis contemplatus eſſet: Hæc certò inquit, Liviæ imago eſt; ut ex illius numiſmate conjecturam facio. Cui ego: Aſſentior: veriſimile oppidò. His perluſtratis, in montis crepidinem, quæ rectà mari imminet, progreſſi, æquum hîc planum animadvertimus, & circa murorum veſtigia: quoniamque pilarum etiam veſtigia viſebantur, non improbabili conjecturâ exiſtimavimus ibi marmoreum olim Xyſtum, quod ambulacrum latinè dicimus, extitiſſe, ex quo amœniſ-

Tiberii Domus proſpectus pulcherrimus.

Rudera, quæ extant, graphicè depinguntur.

niſſimo illo proſpectu Tiberius perfruebatur: atque horis pomeridianis egelidas Zephyri, ſalubreſque auras, qui ferè nunquam editiſſimo illo in colle, apertoque ſilet, liberrimè capiebat, hic morati tantiſper, capti amœnitate loci, proſpectuq; illo mirabili, tandem non facilè divulſi, in ſpeculam venimus. In edito ad dexteram jugo, qui quà Auſter ſpirat; lenè conſurgit, ingens viſitur fabrica, quam ſpeculam fuiſſe, & forma, & ſitus manifeſtò arguunt: ità que incolæ commemorant. Ex illo euntes Puteolis, ac redeuntes Alexandriâ claſſes, & quotquot Tyrrheno commeabant naves, quàm longiſſimè circumſpectabat. Tandem poſteaquam varia hàc, illàc rudera illiuſmodi vidiſſemus, quoniamque dies inclinabatur, ſellis iterum accepti, in litus deſcendimus: atque hinc phaſelos ingreſſi, quàm citiſſimo curſu velis, remiſque properato, in Surrentinum ſerò pervenimus.

CAPUT V.

Dum per Xyſtum deambulatur, Luſitanæ navis ad ultimum Africæ promontorium fusè naufragium enarratur.

Luſitanæ Navis naufragiū enarratur.

A Meridie, ubi veſperarum preces, ſertumque precarium defluxerunt, ego meo more ad menſulam ſedens eruditis me libris involvo: & jam exactâ clepſydrâ erat, cùm me Balbus, ac Sextus è ſomnulo excitati aggrediuntur: utque in Muſæum pedem intulerunt, Dii immortales! inquit Sextus: tantane tibi diſcendi libido eſt, ut ne ſomnulo quidem, quòd omnes factitant, & natura reapſe poſtulat, indulgeas? non tenes id jugulum petere valetudinis? Tùm Balbus: Rectè, ut aliàs, monet Sextus, divelle te, quæſo, è menſulâ iſtâ, quæ hoc tibi tempore nocentior peſte eſt, ſine, ut primi erumpentes è ſtomacho vapores diſſipentur, utque prima cibi concoctio abſolvatur, quo tandem cocto, vegetior factus, erudito labori par eſſe poſſis, ſi ſecus faxis, tibi funebri ſpaſmodiâ quamprimùm parentabimus; cùm verò ſuprema tibi ſolventur, quàm pauciſſimi admodùm erunt, mihi crede, qui tibi chari lacrymulas aliquot fundent, quibus ſuum erga te amorem teſtentur, cæterorum verò quidam fortaſsè mœrore afficientur, quidam quibus ſimplex, candidumq; ingenium, egregium amiſiſſe virum Societatem noſtram dicent, alii, quibus durior indoles, te tibimet fatum conſciviſſe dictitabunt, cœterùm perſolutis more majorum officijs, nemo unus

unus erit ; qui de te ampliùs cogitabit, niſi fortaſsè, qui tuos libellos evolvens, tuum ingenium, tuorumque in illis morum effigiem contemplabitur; imò ſi literarum erit tùm interſtitio, te humato, læti omnes, atque hilares in villam ad relaxandum animum ſtatim concedent. Tùm ego: Vera prædicas, neque iſta me latent. Et ille: Verùm ſi ità, tui rationem ducito, & paulò majorem valetudinis curam habeto. Faciam, inquam tùm ego. Sed nolo putetis me omnem valetudinis curam depoſuiſſe, ſoleo quippè ſomnulo, & quidem breviſſimo diem diffindere, à quo preces decanto, quo mox ſacro perfunctus munere, ne otio tabeſcam, inque noxias incidam cogitationes (nunquam enim mens hominis vacare poteſt) eruditum libellum evolvo, quo intentus ſtudio animus aliò liber non evagatur. Tùm Balbus: Morem iſtum tuum laudo, verùm ſervandus eſt modus: qui ſi deſiit nihil rectè omnino, tenes quippe illud,

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit conſiſtere rectum.

Surge igitur, inque hoc deambulacro tantiſper corpus motemus. Tùm ego ſtatim aſſurgo, & Deambulemus, inquam. Ubi cæptum deambulari, ità me Sextus rogat; qui in omnes diſcendi occaſiones ſemper imminebat: Cedo, quid amœni, curioſique perlegiſti? Cui ego: Imò lacrymabilem, inquam, & quàm maximè miſeram tragœdiam. Et ille: Numnam Euripidem, vel Senecam præ manibus habuiſti? Minimè, tùm ego; verùm authorem recentiſſimum. Ille verò: Sed quænam illa, quam in novo iſto authore perlegiſti, tragœdia? exprome, quæſo, ſummo illam avemus opere abs te audire. Cui ego. Luſitanæ navis ex Indiâ in Europam redeuntis ad ultimas Africæ oras tàm miſerum, quàm quod miſſerrimum, naufragium. Tùm ille: Repetas, quæſumus, (ut pro Balbo etiam ſpondeam) erit nobis gratiſſimum: en tibi aures attentiſſimas accomodamus. Dicam, tùm ego; verùm ἐν ἐπιτομῇ, ut Græci dicunt: ut verò Plautino utar verbo, tribus bolis. Tùm Balbus: Imò pluribus, & diſtinctè: &, ut dicitur, ab ovo uſque ad mala, volumus enim ne quid prætermittas. Tùm ipſe: Sed res eſt benè longa: & vereor ne gravis futura ſit veſtris auribus tàm prolixa narratio. Et ille: Minimè verò: imò jucundiſſima, age igitur, ordire telam: nos te animo, atque auribus dicentem ſequemur. Quibus tùm ego: Atqui audite dabo operam, ut illam quàm potero diſtinctè, ac de verbo ad verbum referam.

V. Kal: Februarii anni MDCLXXXVI. ſolverat è Goano portu Luſitana navis ex illarum genere, quas Gaulos vo- Gaulus, Navixim ſpecies Luſitanarum.

vocant, in quâ præter innumerum diverſarum nationum populum, Siamenſes legati abs ſuo ad Luſitanum regem miſſi, devehebantur: nimirum ut veterem amicitiam, & inter utramque gentem commercia novo fædere renovarent. Et jam toto illo, quod inter Indiam, atque Africam interiacet, Oceani ſuperato, ad extremæ Africæ promontorium, cui ab acubus novi nomen fecerunt (Acillæum mihi novis terris nova nomina imponenti liceat nuncupare) pervenerat. Qui in ſpeculis malorum nautæ primi terras deprehenderunt, arbitrati montes, qui in conſpectu erant, eos ipſos eſſe, qui alterum Africæ promontorium ad Occidentem incurvant, atque ob id ἑσπέριον κέρας à veteribus appellatum nonnulli opinantur, mihi in Nauticis, ut certò noſtis, Acronotos eſt. Tenemus, tùm illi: imò Balbus verſiculos etiam recitavit hoc modo:

Extremæ Africę Promontorium Acillæum.

Acronotos Africæ Promontorium.

Ergo pererrato venies cum denique ponto
Acronoton, tu magna alacron ad certamina pubem
Inſtrue: luctandum vento, & cum fluctibus atris.

Cui ego: Laudo memoriam tuam ſingularem. Sed pergamus porrò; haud enim innectere moras licet, cùm iter eſt benè longum. Ad iſtud igitur promontorium ventum eſſe nautæ vigiles conclamarunt. Dux navis, & Gubernator, quorum intererat accepta ab exploratoribus diligenter examinare, nullâ inquiſitione adhibitâ, in re tanti momenti quam maximè neceſſariâ, illicò ad illud ipſum ſe promontorium perveniſſe temerè crediderunt. Quocircâ, ut, navigationis ratio poſtulabat, à Meridie in Septentrionem iter, deflexo ſtatim clavo, direxerunt, & quaſi pericula omnia ſecuri evaſiſſent, quæ plurima in extremis illis Africæ oris eſſe ſolent, nullâ cautione, nullâ diligentiâ, neque amplius in ſpecula excubantibus de more nautis, ſupini navigabant, quoniamque ſereno cœlo, lucente lunâ, ſecundus è puppi ventus perflabat, quàm celerrimè in terras, atque in naufragium properabant. Hic Sextus: Magnum oppidò piaculum: nempè ſecundo quamvis curſu, & quieto quamvis mari, ſupinis eſſe nautis non licet, quando tot ex improviſo pericula exoriri poſſunt, ut ni vigil magno derepentè conatu inſurgas, pereas neceſſe eſt. Cui ego, Ita enim verò, ſed proh miſeros! pœnas ſtatim dederunt, ſiquidem tàm ſubito in terras impetu, atque unà in periculum inciderunt, ut nullo modo, & terras vitare, & periculum evadere potuerunt. Nobilis quidam Siamenſis, ex quo iſtæc accepimus, tantâ ea nocte animi perturbatione, tantâ ſolicitudine vexatus eſt, ut etſi maximè vellet, conciliare ſomnum potuit ullo modo, quocircà

Vigilantia in Gubernatore Navis neceſſaria.

cà è ſuo cubiculo egreſſus, ad navis ſpondam ſedit : & ut perturbatum continuâ fluctuatione animum aliò diverteret, & ſic ægritudinem allevaret, prætervolantem quaſi avem, fluctuſque magnâ vi, celerique curſu dividentem navem proſpectabat : cùm derepentè, dum oculos erigit, longiuſque obtutum figit, denſam ſe videre umbram viſus eſt, quo aſpectu territus, ita gubernatorem ad clavum vigilantem interpellat; Anne terra iſtæc eſt, quam in conſpectu habemus? ille, cùm reverâ terram eſſe animadvertiſſet, ità ſubito correptus timore trepidâ voce exclamat : Terra, terra eſt in conſpectu : perivimus, ſimulque inflectere gubernaculo curſum validè adniſus eſt : demittiq; jubet vela; quia verò in ipſo penè litore navis erat, dum ſic temerè flectitur, ter in ſcopulos tàm valido ictu puppis occurſavit, alliſaque eſt, ut & circumflecti minimè poſſet, & vitari ictus præ feſtinatione non licuit; quoniamque violenta concuſſio, & repetita fuerat, diſruptam jam navim crediderunt, ad anthliam idcircò, ut hauſta præ vulnere aqua exhauriretur concurſum tantâ trepidatione eſt, ut jam quiſque de naufragio, extremiſque omnibus cogitaret; cùm verò mox ne guttam quidem accepiſſe navim viderunt, refecti tantiſper animi nautarum, & ad periculum propulſandum promptiores facti, ſummo igitur conatu, ſummâ diligentiâ ſe naufragio eripere, èque periculoſis illis cautibus, quibus ora prætexebatur, ſubtrahere aggreſſi ſunt: nimirum ita ſunt deſides naturâ homines, ut nonniſi ultimis in caſibus dilegentiam adhibeant, quæ ut principiò ſalutaris, ita inutilis poſtremò eſt. Sed quæ in tantâ animorum perturbatione, ſummâque deſperatione rerum ſolertia eſſe poterat? temerè igitur, ut ſors ferebat, reſcindere malos, jacturam rerum facere, exonerare navim, quò levior aſſurgeret, quàmcitiſſimè omnes unâ operâ conati ſunt, verùm id ità perficere, ut ſaluti prodeſſet, haud quaquam potuerunt; etenim immenſi fluctus, qui ex alto in procurrentes ſcopulos magno impetu irrumpebant, navim altiſſimè attollebant, mox, ut refluentes ſubſidebant, illam derepentè in cautes, ac ſaxa demittebant, in quæ tanto præceps occurſu, pulſuque valido incidebat, ut diù ſuſtinere impetum non quivit : diſſociari igitur, diſſui, diſrumpique ſenſim membra, laxatiſque mox cuncta compagibus, diſſolvi magno ſtrepitu audiebantur : congeries verò illas tabularum, ac trabium diſtrahi, abripique fluctibus, tantoque fragore frangi, ac dejectari, ut horribile & viſu, & auditu foret. Quia verò puppis prima ictus pati cæperat, prima etiam, quaſſari, diſtrahi, atque aperiri cæpit, &

Navis Luſitana in ſcopulos occurſat, ac diſcinditur.

& quamquam diſſecti jam mali eſſent, ejecta tormenta; & quidquid tùm oneris pro tempore ad manus haberi poterat, nihilo tamen minus præ irruentium vi fluctuum tàm validè, tàm frequenter in cautes collidebatur, ut jam ad pulveris tormentarii cellam, cui à D: Barbarâ militare nomen eſt, aperta tota, atque diſrupta pateret: jamque aqua, quæ torrentis inſtar plurima inundabat, primum victrix tabulatum occupaverat, mox ſecundo brevi ſuperato, totam penè navem demerſerat.

Ad conſpectum hunc tàm miſerabilem, quàm qui maximè, cuncti exhorruere: & quaſi in Orci aditu conſtituti eſſent, immenſum illicò clamorem ediderunt: inque altiores navis partes magno concurſu, ac feſtinatione procurſum eſt: tanta verò, tamque repentina perturbatio animorum fuit, ut caſibus in hiſce plerumque cadit, ut compluries, quo ſe à morte redimerent, citiùs perierunt. Quod autem maximum malorum fuit, oppleto jam ſpatio, quod inter primum, & ſecundum tabulatum interjacet, tota confeſtim annona corrupta, atque in fluctus diſperſa eſt. Tandem exſuperante mari, ita navis ſubſedit, ut fundum carina contingeret, totumque diù immobilem ſcopulos inter navigium ſtetit. Quæ tùm conſternatio, qui terror, quique omnes luctus pervaſerit, qui ululatus exorti, ac fremitus, non modò verbis difficillimum explicare eſt; ſed ne adumbrare quidem aliquo modo poſſumus: quis enim dicere, vel ſaltem complecti animo potis eſt, quod cuique certa ante oculos mors, & tàm horribilis, ac miſera, inferre in mentem poterat? nullus quidem certè, adeò terribilia ſunt, atque inſolentia, quæ tùm oculis obiici, mentique conſueverunt. Nihil enim aliud licebat audire, quàm ſingultus, & lamenta: nihil aliud videre, quàm hàc, illàc curſare, mutuò in ſeſe impingere multitudinem, ac ſingulos ſingulis præpedimentum obiicere; hos verò, qui priùs inimiciſſimi ſe capitaliter oderant, nunc ex animo complecti, & veniam mutuò dare, & petere, nulla tempè tùm cauſſa diſſidii, quando omnia unà cum vitâ peritura erant: illos in genua accidentes auxilium, & vitam à Superis implorare: alios, & hi plurimi erant, vacuas in mare capſas, truncos, tabulas, & quidquid naufragis uſui eſſe videbatur, proiicere: ſeque unà undarum, ſortiſque arbitrio committere; tantus autem, & tàm immanis cunctorum clamor, ac tumulus erat, ut navis in mille ſe partes dirumpentis horribilis cæteroqui fragor, atque horrendi undarum fremitus, quæ ad rupes incredibili impetu frangebantur, minimè exaudirentur.

Navigantium, ſeu naufragorũ conſternatio, ac Luctus ob oculos ponitur.

Mox

Mox ut tumultibus hiſce modus aliquis factus eſt, qui adhùc naufragâ in navi perſiſtebant, maturo conſilio de ſalute cogitare cœperunt: viſumque cunctis eſt è navigii fragmentis quaſi ratem componere, qua tutiùs in terram appellere poſſent, priorum exemplo moniti, qui cùm tumultuosè tàm aſpero ſe ſaxis mari, & tàm furioſo dediſſent, fermè omnes vel abſorpti fluctibus, vel colliſi ad cautes perierunt: mirum oppidò, & luctuoſum erat tot infelices homines, inque tanto vitæ diſcrimine, omni ope: omni auxilio deſtitutos in transverſum agi, ac miſerabilem in modum pereuntes proſpicere. Nobilis ille Siamenſis colligatis duabus invicem tabulis innixus, & omni conatu nando, in terram incolumis evaſit. Ex Legatis, qui ſecundas partes agebat, uti ætate robuſtior, & lacertis erat, cùm brachiis, tùm pedibus connisus enavit: ſecumque literas ab rege creditas, & acinacem, quo donatus fuerat, aſportavit. Hic Sextus; Ego, inquit, in tanto periculo præ vitâ curaſſem cœtera nihil. Rectè tu quidem, inquam ego: verùm ille aliter ſentiebat: & credula ſemper ſpes eſt. Numnam tu, inquit Sextus, de Bellicis cogitaſſes? nam tibi illis nihil admodùm charius eſſe pro certo habeo. Cui ego: Utique ſi potuiſſem: & me ſalvo, ſalva illa voluiſſem, verùm ad propoſitum revertamur, res enim, ut dixi, prolixa ſatis eſt. At Balbus. Multum ne igitur tragœdiæ ſupereſt. Cui ego: Multum ſanè, nec longè ſumus ab ovo. Perge; Tùm ille: dies longus eſt, & tua mihi oratio gratiſſima. Tùm ipſe: Atque audite jam: filumque orationis retexo. Poſtquam hi ad litus, in quod jam fermè cuncti ſe Luſitani deduxerant, tandem pervenere, agitari illicò novis curis, nova imminere pericula animadvertunt, nec minus ipſi, quàm qui adhuc in navi erant, angebantur, nam etſi extra naufragii aleam ſe conſtitutos viderent, quam quidem nondum illi evaſerant, quorum vita tantum à morte aberat, quantum ipſi ab undis: nimirum ferè nihil; attamen non tàm evaſiſſe periculum, quàm commutaſſe videbantur; & in Scyllam, ut ajunt, è Carybdi incidiſſe: ut ſcilicet fame, ſitiq; perirent, quæ quò diuturnior miſeris mors, eò intolerabilior, atque acerbior eſt; nihil enim omninò victus apud ſe habebant, & eò loci ſe perveniſſe conſpiciebant, ubi ne pecudum quidem, vel ferarum pabula erant, imò probabilis timor, ne ipſi, quòd acerbiſſimum cunctorum malorum eſſet, ferarum, quibus Africa abundat, pabula futuri eſſent; acerrimum inſuper frigus eo tempore ſæviebat, ipſique tenuiſſimo amictu, & hoc benè madido, veſtiti, neque un-

Quo nam pacto aliqui in terram incolumes evaſerint.

Sed commutaſſe periculū non evaſiſſe viſi ſūt.

quam cœlo tam rigido aſſueti; quocircà mirum in modum vexabantur. Nobilis ille Siamenſis, qui animi fortitudine, & fiduciâ penè incredibili cæteris præcellebat, audaciſſimum pro tempore conſilium cepit, ſe iterum in navim natatu devehere, ut veſtes, quas ibi reliquerat, & ſi quid nautici panis non dum corruptum, diſperſumque eſſet, & quidquid item pretioſi in ſuperiore navi, ubi ſuas Luſitani divitias repoſuerant, adhuc remaneret, ſecum in terras aſportaret; innixus igitur tabulæ, tantâ quà animoſitate, quà agilitate, quà etiam lacertorum robore per placatiores jam fluctus enavit; ut brevi, atque incolumis in navim, imò veriùs lignorum diſſutam, ac penè diffractam congeriem, evaſerit; quæ tamen, quippè molis vaſtiſſimæ, adhuc ſupra fluctus eminebat. Vix dum tenet, cùm omnia occupaſſe aquam animadvertit, quo viſo, non omni ſpe concidit, neque animo deſpondit omninò; magnus ſe ſupra ſemper attollit animus, nec difficultatibus retardatur, nec periculis obruit. In cellam igitur gubernatoris ingreſſus, telam reperit ex auro texili, cum vini cado admodùm parvo, & nautici perpauſillum panis, quæ in unum compoſita faſcem, ac colligata tabulæ, quà enaverat, adnectit, mox iſtæc ante ſe agens, in litus contendit: quod acri tandem natatu, ſummâque defatigatione ſoſpes prenſavit. Hic Balbus: Laudo viri confidentiam, quam tamen imitandam vix duco. Cui ego: At animoſus ſis in periculis neceſſe eſt, plerumque enim cadit, ut non tam periculo, quam opinione periculi opprimamur: noſtræque ſuccumbamus timiditati, quæ vim menti aufert, nec cedit conſilio locum. Et ille: Non oppidò, ſed quid tùm poſtea? Ego verò: Iſtuc jam ibam: accipite, at timeo ne Sexto, cui hilarior animus, grave futurum ſit tàm longam, & tam miſerabilem hiſtoriam audire. Tùm Sextus: Imò, quæſo, ut enarres: curioſa enim eſt: & tua oratio, quamvis de re moleſtâ, delectat tamen. Tùm ego: Hic, quo de modò dicebam Siamenſis, cùm in litore videret quoſdam populares ſuos, qui unà cum ipſo in Europam navigabant, nudos algere, & tremere, ob frigoris vim intolerabilem, tactus illorum miſeratione, quam adduxerat è navi telam, eis tradidit, quo ut potuiſſent modo, induerentur: ſeque ab immani illo frigore aliquo modo defenderent. Et quia planè noverat, quod ſi illis etiam vinum credidiſſet (panis nauticus adeò ſalſedine maris imbutus, ut ne famelicis quidem uſui eſſe potuerit) fore ut brevi abſumeretur: idcircò illud Luſitano cuidam, qui cum ſummam contraxerat amicitiam, hac conditione, dedit, ut ex

æquo

Nobilis cuiuſdã Siamenſis animi Fortitudo,

æquo uterque biberet, cùm ſitis coëgiſſet. Hic Balbus: Iſtic, inquit, nimis ſincerè feciſſe mihi videtur, at minus cautè, quiſnam cuipiam fidem ſervet, cùm improba in rebus urget neceſſitas; apud quam non amicitiæ ratio locum habet, non leges, ac jura quidquam valent? Cui ego: Optimè tu quidem, quod in re præſenti bonus hic Siamenſis expertus re verâ eſt, & malo ſuo. Et ille: Credo equidem, quis enim ſecùs fieri putaſſet? Sed perge enarrare, ut facis. Tùm ego: Luſitanus, quem nè vidiſſe quidem aureos Tullii de officiis libros exiſtimo, cùm illi triduo vinum, & parcè admodùm ſuppeditaſſet, eâ ſcilicet inductus ſpe, fore ut aqua ad levandam ſitim brevi inveniretur, quartâ die cùm nulla rivi, nulla fontis veſtigia apparuiſſent, nullâ prorſus habitâ amicitiæ ratione, nullâ officii; atque humani, divinique juris immemor, ei vinum negavit, à quo ipſe totum, quod habebat, priùs acceperat, cumque ille datam ſibi fidem, rem ſuam depoſceret, perq; Superos omnes obſecraretur, ſummâ ipſe ingrati animi notâ, ſummâ injuſtitiâ, amicum, reique dominum, ac benefactorem ſui, indignè, ac ſuperbè pro more gentis rejecit, & ſe ne patri quidem ſuo illius vini guttam daturum jurat, ſi jurare eſt id, & non potiùs pejerare. Hoc Sextus loco: Peſſimè hic cum amico, & benefactore egit, præſtabat mori potiùs, quàm tanto ſe ſcelere obligare. Sed quota pars hominum virtute, atque honeſtate ducitur? quàm pauciſſimi admodùm ſunt, quibus hæ cordi virtutes inſunt. Verùm miror, quòd madidi, & fere nudi, noctu, & ſub diu, & tempore tàm rigido, non ſint præ frigore enecti. Cui ego: Rectè dubitas, perijſſent ſanè, ni Luſitani milites ſecum tormentarium pulverem, & ſclopos tuliſſent, qui non è reſte ſulphureâ, ſed è ſilice, laxatâ rotâ, ignem accipiunt, atque explodunt, ego in meis Bellicis Calchopyros voco; his enim igne excitato, calefacti ſunt ipſi, & veſtes ſiccatæ, ſed pergamus porrò. Poſtquàm tandiù expectatum quoad omnes è navi in litus convenerunt, inque unum, qui hàc, illàc diſperſi, adunati ſunt, cenſus habitus; ducentique numerati, reliqui, qui primi cæco in fluctus impetu ſe projecerunt, demerſi ſunt, uſque adeò verum eſt, nihil temerè, etſi in ſummo periculo, agendum eſſe.

Luſitani cujuſdam Ingratitudo in Benefactorem ſuum, atque inhumanitas.

Altero à naufragio die, qui domino ſacer, primuſque hebdomadæ recurrebat, fuſis ad Deum precibus, quid ipſis eò loci agendum eſſet, conſultarunt. Quia verò tùm Dux navis, tùm gubernator non longè abeſſe ajebant Bonæ ſpei Promontorium, ubi Hollandi non contemnendam

colo-

coloniam habebant, eòque uno, aut altero die perveniri poſſe, illùc iter inſtitui omnibus viſum eſt, quoniamque perbreve iter putabatur, complures, quò expeditiùs ſe in viam darent, quod è navi annonæ aſportaverant, ibi reliquerunt. Hic Sextus: Peſſimo hi conſilio fecerunt, nempè tutius eſt ſerò ſaturum venire, quàm citò jejunum; neque unquam imitandus Æſopicus canis eſt, ut ſpe alterius, etſi majoris, præſentem cibum abiciamus. Cui ego: Ità verò, ſed quid facias? ſæpè mens hominum ità malis obruitur, ut vix rationi locus relinquatur. Verùm efficiam nunc ego, quod inſtitui. Iter igitur aggreſſi, in denſiſſimas ſylvas, ſeu veriùs fruticeta, ubi paucæ admodum proceræ arbores viſebantur, intrarunt: Cum verò toto die per difficiles, atque implexos calles iter habuiſſent, nonniſi perexiguâ reſpirandi ergo bis interpoſitâ morâ, adeò vexati fame, quæ illâ corporum defatigatione vehementiùs excitabatur, adeò torqueri ſiti, quæ propter Solis ardorem nocentiſſimum magis accendebatur, cuncti cœpere, ut jam utraque intolerabilis omninò eſſet: & eo magis, quò grandi, celerique gradu iter fecerant, & circa meridiem ferventiſſimus æſtus eſſet.

Per denſiſſimas ſylvas iter aggreſſi, ad Bonæ Spei Promontoriũ contendunt.

Inclinante ſe jam die, nox appetebat, cùm ad ſtagnum quoddam perventum tandem aliquando eſt, quo viſo, tantâ omnes lætitiâ, tanto gaudio affecti, ut incredibile dictu ſit; nec diù cunctati ſummâ animi voluptate, ut nunquam aliàs, ad ſatietatem uſque biberunt. Hic Luſitanis ſubſiſtere viſum eſt: quocircà excitato ſtatim igne, conſederunt, quidam cancros, quos plurimos habebat lacus, piſcati ſunt: quibus ad ignem toſtis aliquo modo fami conſuluerunt; reliqui, & hi plures, poſtquàm iterum abundè bibiſſent, laſſitudine magis, quàm fame vexati dormierunt. Hic Sextus: Et hi imprudenter quidem, quoniam in alterum diem tolerata fames, acerbiſſima eſſe ſolet: & nonnunquam cholerica tormenta, quod genus morbi, & dolorem maximum affert, & fatale eſt, ingenerat. Cui ego: Ita eſt, ut dicis, atque hi malo ſuo experti proximo die ſunt, quæ cùm illuxiſſet, iter iterum aggreſſi tempeſtivè ſunt, priùs autem, quò ſe contra ſitim præmunirent, liberiùs potarunt. Primi præibant Luſitani, ſequebantur Siamenſes, quorum princeps legationis propter ætatem jam adfectam, & vires corporis imbecilles aſſequi primos nullo modo poterat. Ne verò Luſitani, qui duces erant itineris ex ipſorum conſpectu longiùs abſcederent, gentem omnem in tres manus partiti ſunt, quarum una ultimos Luſitanorum aſſequi, neque illos unquam è conſpectu amittere juſ-

ſa

ſa eſt : ſecunda, ut primam aſſequeretur eodem modo : hanc verò in conſpectu ſemper habere tertia conaretur : & ut quà primi iter flexiſſent, qui proximè ſequebantur, ſigna reliquis darent. Hàc igitur ratione iter facientes per æquiores quoſdam montes, & minimè difficiles, ſed nudos omninò, atque incultos primùm tranſierunt, quibus tandem ſuperatis, in æquos campos devenere, in quibus nulla hominum, nulla pecudum veſtigia apparebant. Verùm horridæ circùm ſolitudines, & ſqualidæ arenæ, in quibus unus dumtaxat puteus repertus eſt : ſed cujus aqua adeò amara, ut ne guttam quidem haurire potuerunt. Cum autem primi Siamenſium immorari Luſitanos indicaſſent, cæteri fontes ab illis adinventos arbitrati, alacriores facti, iter celeriùs conficere conati ſunt; verùm adeò debilis ſenior legatorum erat, & adeò lento ob id gradu incedebat, ut nonniſi occidente jam Sole aſſecuti primos poſtremi ſint. Ad quos ſimul ac perveniunt, diſceſſiſſe longiùs Luſitanos cognoſcunt, neque ullis precibus induci potuiſſe, ut legatum, reliquoſque Siamenſes opperirentur; imò conſultiùs eſſe dicere, atque eis etiam ſalutare, ſi ad victum veſtigandum primi ipſi præiviſſent : neque profuturum quidquam Siamenſibus ſi unà cum ipſis fame, ſiti, totque inter, ærumnas Luſitani periiſſent. Quæ cum legatus à ſuis accepiſſet, convocari Siamenſes jubet, qui ſtatim circa illum adunati, ſummo mœrore, parique doloris ſenſu affecti ſunt conſpectu ſenis tàm venerabilis, & qui Regis præ ſe vices gerebat; quem penè exanimem tùm fame, tùm laſſitudine conſpiciebant. Ille benè eos ſperare jubet: & quoniam haud quibat Luſitanos, qui duces itineris præibant, aſſequi præ languore, ac laſſitudine, ſequerentur ipſi : & cùm primùm ad Hollandorum coloniam veniſſent, quæ quidem propè eſſe cenſebatur, mitterent ſibi equum, vel currum cum victu, ut & ſubſtentari, & ferri in coloniam poſſet, ſi adhùc in vivis fuiſſet : ſin minus ſuprema more patrio perſolverent. Vix ille hæc, cùm illacrymari repentè omnes, & non tantùm ſuam, quantùm ſenis ſortem deflere, magnis lacrymis, magnis queſtubus cœperunt. Mox quia abeundum, etſi inviti, diſceſſerunt. Miſera fati neceſſitas, ubi quis id facere compellitur, quod prorſus nollet. Divelli tamen ab ſene magnæ quidam indolis, animique fortiſſimi adoleſcens, quem unicè legatus amabat, habebatque filii loco, non quivit. Hic Balbus: Rarum, inquit, charitatis exemplum, quod minimè ab homine barbaro expectaſſem. Cui ego : Quamplurimi inter barbaros ſunt, qui majora edunt virtutis, & maſculæ quidem exempla, quàm

Mirum charitatis exemplum in Siamenſi Adoleſcente.

quàm noſtri: in quibus non raró quoſdam invenies, à quibus humanitatis ſenſum, nedum virtutem requiras. Hic igitur (redeo tempeſtivè in viam, ne ſerò domum veniam) cum veteri famulo apud legatum reſtitit, cæteri abierunt, & grandi aſſequi Luſitanos gradu conniſi omnibus nervis ſunt. At quoniam Siamenſes quidam, qui ut Luſitanorum iter obſervarent, longiùs ante proceſſerant, ex edito colle ſignis explicatis, ut conventum erat, illàc iter dirigendum eſſe commoſtrabant, illum idcircò in collem, ubi & Luſitanos conſediſſe, & rivum repertum opinabantur, reliqui contenderunt, quem tandem ſextâ horâ pomeridianâ defeſſi tenuerunt. Hic verò neque Luſitanos, neque aquam eſſe, ut ſtatim acceperunt, tanto oppreſſi mœrore ſunt, ut de vitâ penè deſperarent. Mox factis iterum animis, cùm non longè abeſſe Luſitanos, & jam conſediſſe veriſimile ducerent, in viam iterum triſtes, ac defatigati ſe dederunt. Quæ cùm per aſpera rupium, & confraga iniretur, incredibile ſanè dictù eſt, quanto labore vix duobus ſolidis horis confecta tandem ſit. Prima omnium cura fuit de perquirendâ aquâ, quâ de anxii ſtatim ſocios rogarunt, quàm longè abeſſe ab illis acceperunt; quare angi iterum, atque excruciari quoad veniſſent, ſe miſeri ſenſerunt. Expletâ tandem aliquando, qua deperibant, ſiti, majus reſtabat à fame tormentum, cui ſubveniri nullo modo in præſentiarum poterat: imò nec tolerare, ut quiſque mori præ potiùs elegiſſet, quàm tàm acerbo cruciatu torqueri. Siamenſis ille, de quo ſæpè mentio habita, ſedatâ ſiti præter ignem, quem Luſitani accenderant pronus præ laſſitudine dormire cœpit: & uſque ad diluculum, quo demum excitatus à frigore eſt, altiſſimè condormivit. Hic Sextus: Qui fieret, ut tantâ cruciati fame indormirent? ego ſi incœnatus eo cubitum, vix dormio. Cui tùm ipſe: Ità plerumque fit; accidit tamen non ſemel, ut magna laſſitudo ſomnum conciliet, qui tùm non tam refectio animantis quæſita à naturâ, quàm evigilandi impotentia, quæ in morbis ferè ſemper lethalis; verùm redeamus ad Siamenſem: experrectus, tanto dolore excruciari præ fame cœpit, tàm acerbè, ut expedire ſibi viſum, eò loci permanere mortem opperiens, quæ tandem malis omnibus finem imponeret. Mox ubi Luſitanos, ſuoſque vidit ſpe vitæ, iterum ſe viæ, ſortique committere, eâdem tùm ipſe animatus ſpe aſſurrexit, viamque cum reliquis ingreſſus eſt; ſuperat nimirum tormenta vitæ amor, & ubi exigua ſpes lucet, vel deſides accenduntur animi: nec pati dura recuſamus, quando eadem perpeti alios, qui-

Fame, ac ſiti intolerabili torquentur.

buſcum

buſcum ſocietas eſt; animadvertimus. Imò tanta erectus ſpe eſt, ut ſocios curſu præverterit, cumque in herbidum collem ſe contuliſſet, ſtatim ſoli viriditate illectus, impulſuſque defatigatione, ſuper viriditatum primò campum ſedere, mox cubare, dormire tandem incœpit. At ubi experrectus eſt, penè rigidas coxendices, & crura ſummo membrorum dolore ſenſit: illorumque uſum ſe prorſus amiſiſſe credidit, quocircà deſpondere iterum, & mortem, quam propè eſſe probabile erat, conſtanter opperiri; fieri tandem poſſe, ut tantis, & tàm duris malis maximo malorum mederetur, atque hæc ſecum deliberans iterum obdormivit. Et ſanè ſomnum morte, cui ſimilis, brevi terminaſſet, ni familiaris quidam unà cum famulo de illius ſorte ſollicitus diù hàc, illàcque pervagatus, reperiſſet, repertumque illicò excitaſſet. Qui mox amici ſermone confirmatus, ſpeque brevi in coloniam perveniendi animatus, aſſurrexit: cumque ſimul ipſis ad Luſitanos profectus eſt: qui tùm primùm ad aquam quandam ſtationem fixerant. At fames extrema erat, atque intolerabilis omnino: in arida quædam fruticeta ignem idcircò ſtatim conjiciunt, ut ſic lacertos, ac ſerpentes in illis occuli ſolitos adurerent, atque ſemitoſtos hoc modo comederent: quidam cùm ad aquam divertiſſet, viridantia quædam folia conſpicatus, derepentè evellit, & licet amara eſſent, quammaximè avidiſſimè devorat; nempè nihil admodùm eſt, vel inſuave, vel amarum, quod fames non condiat. Ille verò aliquantulum ſedatâ foliis illiuſmodi fame, illicò ad univerſum cœtum, quaſi repertæ ſalutis nuncius advolavit, quo omnes continuò erecti, ad illa ſe folia contulerunt tanquam ad ambroſiam, quibus abundè paſti, totam ibi noctem tranſigerunt. Hic Balbus: Proh miſeri! inquit, qui pecudum pabulo ſaturati, pecudum etiam pro more dormivere. Sed quid facerent? toleranda fati neceſſitas. Et ego: Nihil eſt tàm inſolens, quòd in vitâ hominum interdum non cadat quocircà paratiſſimum ad extrema omnia habere animum neceſſe eſt. Sed quod reſtat, ſtatim exequor. Craſtinâ, qui quintus ab incepto itinere erat, benè manè viam corripuere, certâ ſpe ducti, fore, ut illo tandem ad coloniam pervenirent, quâ novas ſpe animi vires accepere, plurimùm enim ad erigendos in malis animos præſentis remedii concepta ſpes valet: & præſens id facilè ſibi quiſque fingit, quod vehementer exoptat. Et jam itinere nunquam interrupto, ad meridiem uſque progreſſi erant, cùm in edito collis vertice aliquot homines conſpicantur, quos ſimul atque vident, eos ipſos eſſe, quos tanto labore, tantoque deſi-

Quonam pabulo ſe refecerint.

deſiderio requirebant, certò arbitrati ſunt; è longinquo enim quinam mortalium eſſent, non benè dignoſcebantur: magno igitur profuſi gaudio, alacri, grandique gradu illis obviam procedunt; at hæc miſeris brevis lætitia fuit: ex qua ingenti mœrore animi ſtatim decidentes, in parem doloris ſenſum inciderunt. Erant enim illi tres Æthiopes, qui ultimas illas Africæ oras incolunt (Cafros novi appellant) gens immanis, exlex, nulloque humanitatis ſenſu prædita: in varios populos dividitur: ex his qui reliquis minus barbari, Hothentones nuncupantur, ex quibus iſti tres erant, qui cùm ex alto collis faſtigio tot ad ſe gentes venire conſpexiſſent, ſpeculatum quinam forent mortalium, proceſſerant, nec minore ipſi, quàm hi timore perculſi, plurimi enim Luſitani erant, & ſclopis armati, barbari verò, & pauci, & unis tantùm jaculis præmoniti. Quia verò Luſitani eos ſpeculatores eſſe, & non longè univerſam barbarorum gentem abeſſe exiſtimabant, ingenti formidine correpti, jam immanem ſibi imminere necem ab illiuſmodi barbaris prò certo habebant. Quoniam verò magis expedire ſibi ducebant, ſi tot ærumnæ, totque intolerabiles cruciatus honeſtá morte finirentur, accedere ad ſe barbaros paſſi ſunt, qui cùm plurimos eos eſſe deprehendiſſent, illicò pedem retulerunt: ceſſatumque tantiſper utrimque eſt mutuo metu. Mox cùm paululùm Luſitani progreſſi eſſent, tùm Æthiopes, ac ſi duces ſe itineris præbere vellent, præire pergunt: digitoque caſas quaſdam, imò veriùs tuguria commoſtrantes, ut illùc iter flecterent, geſtu, quando verbis non poterant, ſignificabant. Hi, qui fame, qua acerbiſſimè cruciabantur, nihil admodùm eſſe, quod pejus cadere in ſe poſſet, perſuaſum jam habebant, nihil cunctati ad caſas illas, quas Æthiopes indicaverant, & quas versùs ipſi præibant, iter illicò direxerunt, Poſtea verò quàm ad eas, quæ in collis clivo ad tres, quatuorve erant, devenerunt, minimè barbari paſſi ſunt, ut propiùs accederent; erat autem juxtà quidam callis, per hunc illos ad proximum pagum deducunt, quo toto itinere barbari de Luſitanis continuò diffidentes, veritique ne quid molirentur, illorum motus, geſtus, verba, nutus ipſos obſervabant. Tandem ut ad pagum, in quo quadraginta fermè caſæ arboreis ramis contectæ, & in quibus ad quadringentos habitabant, perventum eſt, tùm barbari, quaſi in tuto jam poſiti, neque quidquam amplius pertimeſcentes intrepido, præſentique animo propiùs ad eos accedunt, & pro libito curiosè, attentèque contemplati ſunt. Delectabantur maximè Siamenſium habitu, atque ornatu, quem

In Æthiopes Cafros, humanitatis expertes, incidunt.

Ad Pagum tandem perveniūt.

quem nunquam alià s ſpectaverant. At hujuſcemodi Æthiopum curioſitas illis, qui fame validiſſimâ torquebantur, ſatis importuna videbatur, nec defuere, qui in illa tuguria pedem inferre auſi ſunt, ut ſi quid eſſet, quo famem levarent, ſibi acciperent; omnes verò tùm geſtu, tùm ſignis, ut muti ſolitavere, ſe extremâ fame laborare barbaris ſignificabant, qui ſeſe mutuò intuentes riſum ridebant quàm ſolutiſſimum, neque ſe percipere quid hi vellent, videbantur. Quia verò hàc, illàc per campos magnam bóvum, oviumque copiam Europei animadverterunt, obſecrati per Superos omnes ſunt, ut aliquot illorum ſibi venderent; id verò cùm tandem illi cognoviſſent, duo tantum verba identidem repetebant, Nicotianam nimirum herbam, qua pulverem, cujus avidiſſimi conficiunt, & quoddam monetæ genus, quæ una genti nota eſt; *Patacham* Hiſpani vocant. Tùm Siamenſis, de quo ſupra, duos illis obtulit adamantes, quos à Principe legationis dono acceperat, cum à cæteris derelictus eſt; at barbari, qui illos non ſecus, àc lapides reliquos habebant, nihil æxtimarunt. Hic Balbus: Nempè tanti res valent, quanti eas æſtimamus: & nos ipſi opinione noſtrâ pretia facimus; quare tu non abs re in Bellicis habes in re conſimili.

Rebus in humanis ea ſtat, quam concipis ipſe:
Et concepta trahit tua te ſententia, non res.

ſed perge, ut cœperas, res oppidò curioſa quam audire auribus operæ eſt: quin & ad viciſſitudines rerum humanarum contemplandas mirificè facit. Nullus, tùm ego, Nicotianum pulverem, neque monetam illam habebat, præter navis gubernatorem, qui aliquot in marſupio ſibi eſſe deprehendit: quatuorque illiuſmodi argenteis bovem, qui viliùs Hollandis à barbaris diſtrahi conſuevit, mercatus eſt. Verùm quid bos unus tot inter famelicos, qui totos ſex dies, nihil niſi quædam arborum folia comederant? Gubernator, qui emerat, ut primùm ſemitoſtus, illum cum ſuis popularibus, & parcè admodùm devoravit. Siamenſes ne bucceam quidem unam per Superos omnes obſecrati obtinere potuerunt; quocircà hi hominum quotquot vivebant miſerrimi, in abundantiâ rerum eadem ac Midas, & Tantalus, ut eſt in fabulis, patiebantur. Imò Luſitani obteſtati, quod ſi ex bobus, vel ovibus, vel unum vi cepiſſent, ſe illos barbarorum furori relicturos.

Quidam Siamenſis cum vidiſſet Æthiopes ſignato auro minimè duci, neque velle bovem, quem argento diſtraxerant, aureâ monetâ vendere, hoc uſus commento, ut eos alliceret, tùm eſt. Caput aureo textili mirè exornavit, at-

que hoc peregrino more concinnus ſe in barbarorum conſpectum dedit : nempè ingenioſa artium inventrix fames. Barbari illiuſmodi ornatu magnoperè capti ſunt, quod ille, ut vidit, illicò obtulit, ſperabat enim fore, ut ſaltem bovem, vel oves aliquot, pro illo ornatu, quod plus trecentis aureis pendebat, impertirentur, verùm illi, qui præter curioſitatem, nihil in ornamento æxtimabant, quartam ovis partem obtulerunt. Hic Sextus : Tanti ergo ovis armus ſtetit ? Tanti, tùm ego, at quid improba fames, ſexque durata dies non extorquebit ? avariſſimus ſis licet, ita facias neceſſe eſt. At Balbus : Cùm vita emitur, quanti quanti ematur, benè emitur. Cui ego : Rectè tu quidem, Balbe, ſed ferri extra oleas non vacat. Vix armus ſemitoſtus fuit, cùm illum avidiſſimi illicò Siamenſes comederunt. Verùm id acuere famem, non verò ſedare fuit. Siamenſis de quo ſæpè, cum vidiſſet Luſitanos bovis pellem projeciſſe, amicum accerſit, & re communicatâ, quæſitum pellem eunt, majori quàm Argonautæ cupiditate ad vellus aureum profecti, quam mox inventam quaſi theſaurum accipiunt, ignique admovent, ut pilos adurerent, ac paullulum torrerent, id ſimul ac reliqui Siamenſes conſpicati, derepentè quaſi vultures advolant ad prædam, atque unà omnes in pellem irruentes momento devorant. Intereà, quidam è barbaris curioſè globulos aureos tunicæ cujusdam Siamenſis, quibus in oculos inſertis, una tunicæ extremitas alteri adnectitur, contemplabatur : quòd ille animadvertens, ſtatim diſtrahit, eoſque barbaro donat, eâ ductus ſpe, ut ſaltem capram ab illo extorqueret, at barbarus domum ingreſſus, vas lactis accepit, deditque Siamenſi, quod. tamen accipere, & cum gratiarum quidem actione opus fuit. Poſtquàm autem tàm parcè, & ferarum potiùs more, quàm hominum paſti ſunt, magnum circa ignem conſederunt, ibiq; totam penè noctem inſomnes tranſegerunt, timore barbarorum, qui & ipſi continuò ulularunt, quaſi feræ, barbaricumque in morem choream duxerunt, quo ſic novos illos hoſpites, & ſibi ignotos omninò perterrefacerent, ne in ipſos, ipſorumque armenta impetum feciſſent, nec dubium quin miſeros hoſce deleviſſent, ſi id poſſe ipſis viſum foret, erant enim hi plurimi, & ſclopis armati, quibus barbari terrentur miro modo.

Iter proſequuntur Luſitani verſus Oceani litus.

Proximo mox die, primò manè iter aggreſſi versùs Oceani litus : quod quidem illis ſalutare fuit, nam cum illùc circiter meridiem perveniſſet, magnam juxta litus concharum copiam repererunt : quibus abundè ſaturati ſine pretio, ſine invidiâ, Larga nimirum natura eſt, neque invida,

Ubi magnâ concharum copiâ ſaturati ſunt.

da, quia verò, ut aquam nanciſcerentur, iterum interiora ſylvarum petere cogebantur, plurimam ſibi quiſque earum copiam comparavit, ut cęnare commodè poſſet, mox ire aquatum cęperunt. Et quamquam ſummâ diligentiâ, ac feſtinatione iter feciſſent, non niſi ſub noctem ad perexiguum quendam rivum devenerunt, cujus aquam, & ſi ſalſa eſſet, urgente nihilominus ſiti, non modò ſalſam, ſed turbidam etiam ſuaviſſimè potarunt: corporibus hoc modo curatis, propter eundem rivum noctem transduxerunt; ne verò ab Æthiopibus circumvenirentur, per vices cuſtodiam agebant; atque ex intervallo vigiles altiùs inclamabant, ut ſic vigilare eos, ſi qui circùm curſarent barbari, intelligerent; quem morem toto illo infeliciſſimi itineris tempore ſervaverunt. Sequenti die, qui nonus recurrebat ad pedes altiſſimi montis devenerunt, qui incredibili penè labore exſuperandus fuit, quo tandem tranſmiſſo, adeò vehementer miſeros fames invaſit, ut nunquam aliàs, etſi atrociſſima; nec ſanè verbis explicari, nec mente concepi facilè poteſt, quàm varii, quàm formidabiles cruciatus miſerorum erant; quibus horrendum in modum torquebantur Develli ſibi viſcera, diſtorqueri, inflammari, conſumique ſentiebant, dum ſic penè diſpereunt, ſeque hàc, illàcque circumvertunt, virentes quasdam herbas, floreſque conſpicantur, vix vident, ſimul irrumpunt, nullo delectu evellunt: neque animadvertentes noxiæ, necne eſſent, ſummâ aviditate, quantumvis amaras comedunt, pecudumque more famem exſaturant: at ſitis reſtabat, quæ paſtu amaræ herbæ magis irritata intolerabilior evaſerat; verùm etſi talis, & tanta foret, toleranda tamen uſque ad veſperam fuit, cùm tandem ad illius prærupti montis radicem aquam invenerunt. Habitum hic inter omnes concilium, in quo de ratione itineris capeſſendi diù diſputatum eſt, tandem in eam omnes ſententiam ivere, quam prudentiſſimi quique in medium intulerant, carpendam ſecus litora viam, & quàm maximè fieri poſſet, vitanda interiora loca, ac difficiles ſylvarum aditus; ne ſpe compendii, longiùs errarent, & vel in barbaros inciderent, vel fame, omni cruciatu terribiliore, tandem perirent, atque in hanc ſententiam adducti, tùm ex eo, quod incerti omninò eſſent de Batavorum coloniâ: quæ cum juxtà litus Oceani eſſet, ſic facilè inveniri denique potuiſſet: neque dux navis, neq; gubernator ſpe ſe falsâ deceptos negabant: deque illius diſtantiâ ſe omnino ignaros eſſe, imò neque ſatis tenere, quà iter habendum eſſet, ut ſecurò ad illam pervenirent: tùm etiam quia ſecundùm litus gradientes facilè

Inde ad montē altiſſimum ſe convertunt; atque iterum miſerum in modū cruciantur à fame.

Habito demum concilio iuxta litusOceani carpendā viam decernunt.

con-

conchas, cancroſq; cæteraque iſtiuſmodi inſecta reperirent: quibus cicurare famem aliquo modo quirent: neque difficile fore in rivos, amneſque incidere: ſiquidem ratione conſtare rivos, fluvioſque univerſos in mare tandem defluere. Hoc igitur capto conſilio, ut primùm creperæ illuxerunt, collectis faſcibus, in viam ſeſe ſtatim dederunt: & præter Oceani litora gradiebantur. Jam duæ ſupererant ad meridiem horæ, cùm ad amnem quendam devenerunt, ex quo larga admodum planities viſa eſt, quæ ad altiſſimum montem pertinebat, qui mons longo ſe in mare dorſo exporrigebat, quo viſo mirum oppidò quantâ omnes letitiâ affecti ſunt; etenim affirmabat gubernator montem illum, eum ipſum eſſe, quem tanto deſiderio, optaverant, & quem tàm laborioſo, & tàm referto periculorum itinere exquiſiverant. His dictis, feſtivum ſtatim omnium murmur exortum eſt: & tantâ ſpe cuncti animati, ut alacres, vegetioreſque vel defatigatiſſimi quique facti (nihil enim, quod magis erigat animos quam ſpes præſentis jam boni) ut totam illam planitiem, quæ ad duodeviginti lapides excurrebat, eo, quod ſupererat diei confecerint, ventum igitur ad montem eſt paulò antè ſolis occaſum; verùm proh miſeros! unà cum ſole præconcepta ſpes occidit. Et quoniam quò major à ſpe lætitia præceſſit, eò etiam major triſtitia oboritur, ſublatâ mox ſpe, mirum oppidò quanto omnes mœrore oppreſſi, cùm montem illum, non eum eſſe, quem tot ærumnarum, tot calamitatum, & tàm moleſti, infauſtique finem itineris opinabantur, deprehenderunt. Hîc lamenta, hîc queſtus, hîc in ſortem, ut plerumque fit, extortæ querelæ, hîc deſperatio, vitæque tædium, quæ morte pejus videbatur, ſenſim animos univerſorum invaſit. Non deerant tamen quidam religioſiores, inter quos unus ex noſtris hominibus, qui cuncta patienter ferenda eſſe, ſeque divinæ providentiæ committere reliquos hortabantur. Hoc me Balbus loco ità interpellat: Poterat noſtras iſte optimè fungi ſuo munere, & tot miſerorum animis ſummoperè prodeſſe? Cui ego: Haud ſanè paſſus eſt in ſe pientiſſimi viri officium deſiderari; circuibat quotidiè per univerſum cœtum, & quà hortatu, quà monitu, quà etiam exemplo, omnes ad virtutem, & patientiam adhortabatur. Dum autem (redeo ad inſtitutum) magnâ cuncti triſtitiâ oppreſſi ingemiſcunt, nauta quidam, qui paulò ulteriùs ſpeculatum proceſſerat, ut ad ſuos reverſus, nunciat non longè inſulam quandam eſſe concharum refertiſſimam, & ſaliente etiam percommodam, quo nuncio refecti tantiſper, recreatique ſunt, ſtatim igitur in illam, in qua jam pernoctare

Tandem ſenſim omniū animos invaſit deſperatio.

ctare

ctare cogitabant, profecti, verùm adeò illecti & ſitu, & cibo, & aqua ſunt, adeò etiam defatigati, ut & ſequentem diem, & noctem etiam alteram in illâ otioſi conſederint. Hic Siamenſes cum ſeorſim à Luſitanis ſuos cœtus agerent patrio more, unum ex nobilibus, qui præ cæteris diligebatur, abeſſe animadvertunt: quare illicò quæſitum hominem profecti, verùm poſtquàm diù in diverſa erraſſent, & ad ravim uſque exclamaſſent, nec quiſquam reſponderet, mortuum conclamarunt, ad quod etiam eò facilè adducti, quòd tanto florum, herbarumque faſtidio afficiebatur, ut nunquam induci potuerit, ut aliquid ſaltem illorum guſtaret; manifeſtò igitur fame periiſſe conficiebatur, ob quod faſtidium quatriduò antè alterum amiſerant. Quibus poſteaquam lacrymis multis, magnâque amoris ſignificatione pro tempore parentaſſent, ad quietem capeſſendam ipſi conceſſerunt. Hic Sextus: Iſtæc certè tragædia tàm luctuoſa eſt, quàm quæ maximè, miſeri mortales quantis, & quam peracerbis ærumnis obnoxii ſunt; ego proculdubio in tàm calamitoſo itinere haud longùm duraſſem. Intereà loci dum hæc diceret, puer intervenit, nunciatque tabellarium quendam veniſſe Stabiis. Cui ego: Duc intrò. Qui ubi ad me acceſſit, literas porrigit; erant hæ miſſæ à Præſide, qui mihi phialas aliquot vini delicatiſſimi dono miſerat, & ſurpiculum pyro falerno benè plenum. Tùm ego, Sexto, & Balbo: Sinite, quæſo, ut humaniſſimo viro, atque amiciſſimo reſpondeam, & gratias plurimas agam pro munere, quod vobis ſpero fore gratiſſimum. Tùm illi: Imò rogamus, ut facias, & noſtro illum nomine plurimùm ſalutes, verùm hoc pacto, ut reliquum deinde fabulæ enarrare contendas. Quibus tùm ego: Narrabimus craſtinâ, quòd enim ſupereſt, multum eſt. Et illi: Placet, ſtatimque ad epiſtolam conſcribendam me confero.

CAPUT VI.

Dum in hypæthrâ ad placidiſſimas Zephyri auras conſidimus, interrupta ab heſterno die de Luſitanæ navis naufragio, fuſa enarratio continuatur.

DEvexo jam ad veſperam die, longior domus umbra multam hypæthræ partem occupat: & quoniam eò loci & proſpectus in hortum, & mare patet amœniſſimus, & ventorum auræ liberiùs perflant, ſoleo id temporis, ibi

geſta-

geſtatoriam menſulam collocare, & quà ſcribendo, quà legendo reliquum diem non ſine lucro tranſigere; etenim cùm ſolus dego, vix domo pedem effero, ſed totum Muſæ me habent: ſi verò ſocii apud me verſantur, ibidem ſedemus ad eruditos ſermones minimè otioſi, ac frigidiuſculâ illâ in umbrâ æſtum levamus. Hoc igitur in loco ego, Sextus Niger, & Balbus ſedebamus eo die, qui proximus à poſtremo Septembris eſt, qui cum penè totus calidiſſimus defluxiſſet, tùm demum, placidiſſimo exorto ventulo, alſior fieri cœperat, quocircà ad eum locum nos ſeſſum invitaverat.

Vix ſedimus, cum Balbus: Age jam, Parthenie, ſolve reliquum, ut tandem tuum nomen expungatur, nam tu nunquam reliquator vocari paſſus es, quod quidem pauciſſimi admodùm faciunt: qui niſi in nervum coiiciantur,

Interruptus de naufragio ſermo inſtauratur.

numquam reliquationem perſolvunt. Cui tùm ego: Intelligo quorſum ſpectet tua oratio; rogas, ut interruptum de celebri illo naufragio ſermonem, inſtaurem; verùm res eſt ſatis longa, & verior ne tandem vobis faſtidium creem. Et ille: Imò calidi hujus diei faſtidia deterges ſermone tuo tàm facili, tàm mundo. Cui ego: At iſta benevolè à te dicta, cæterùm non ſum ego neſcius quàm exilis, quàm exucca mea oratio ſit. Sed ut ut eſt, geratur mos hic vobis (erit hoc unum laudabile quidem certè) quos unicè amo, tùm veſtram ob indolem penè divinam, tùm propter obſervantiam, qua me colitis, ſed telam retexo jam. Poſtquam eâ in inſulâ (teneris enim quò loci conſederant) diem unum, geminaſque noctes tranſduxerunt, illecti, ut dicebam, copiâ pabuli, iter iterum orditi ſunt ſecundùm litus

Iterum ergo iter ordiuntur Luſitani ſecus Æthiopicum Oceanũ, ſibique cavent, ut queunt, à fame, ac ſiti.

Æthiopici Oceani, & ut ipſi credebant promontorium verſùs, ubi Batavorum colonia ædificata erat. Verùm antequam viæ adeo incertæ, & eorum, quæ ad vitam, ſaltem pecudum more tolerandam neceſſaria, nihil penè habenti, ſe committerent, magnam concharum copiam collegerunt ad levandam verò ſitim ſalutare conſilium excogitarunt; Erant in inſula quædam ſiccæ arbores non exiguæ magnitudinis, quæ inſtar arundinum inter utrumque nodum cavæ erant, his igitur tuborum vice uſi ad ferendam aquam ſunt; firmato igitur inferiore nodo, ne aqua difflueret, quod vacuum erat internodium replerunt, ut haberent ſinguli toto illo die, quo ſitim explerent quâ nullum majus tormentum in toto illo itinere perpeſſi fuerant. Hic Balbus: Solertiſſima, inquit, inventrix neceſſitas: qua monſtrante, plurimæ homini artes datæ: undè ortum vetus illud,

χρειὰ διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ, σοφόν.

At

At Sextus: Acutè, & eruditè Balbus: & ut tanti magiſtri diſcipulum decebat. Cui ego: Omittamus nugas, neque ea res eſt, ut jocos patiatur. Viſum gubernatori eſt (ut equum ſtimulem juxtà lineam) præruptum illum montem, qui planitiem terminabat, conſcendere; ut ex illius vertice circumſpectantes ſpeculari poſſent omnem circa regionem: & ſic vel coloniam conſpicerent, vel aliquod ſaltem de illa indicium haberent, Hac ſpe propoſitâ, haud difficile cunctis ſuadere fuit, ut montem quantum vis arduum, atque altum illicò ſcanderent: cœptum igitur magnis animis, magnoque conatu in ſuprema montis juga conſcendi, quò verò faciliùs conniſi evaderent, dextrà iter inſtitutum, quà non adeò præruptus, atque difficilis mons erat, quo in monte præter paucas herbulas, & flores hàc, illàc ſparſos, nihil omninò repertum eſt, neque è ſummo jugo coloniam, neque promontorium Bonæ ſpei conſpexerunt: quocircà triſtes, & minus alacres ex illo in ſubjectam planitiem deſcenderunt. Hic Elephantum gregem non procul paſcentem vident: erant ad viginti: inter quos quidam inſolentis oppidò magnitudinis: fluebat juxta montem rivus, ad cujus ripas appetentem jam noctem tranſigere commodum viſum eſt, tùm propter aquam, tùm quia, cum ad alteram ripam Elephantes eſſent, videbantur ab illorum incurſibus tuti. Hoc loco Sextus: At Elephantes mitis indolis. Cui ego: Poſtquam domiti, cicureſque facti: priùs enim quàm domentur, ferociunt miro modo: at pergamus porrò. Hîc cùm diù oculos circumtuliſſent, nihil omninò cibi invenerunt, quædam enim herbæ tàm amaræ erant, quàm abſinthium, ut illis veſci, etſi maximè vellent, neutiquam potuerint. Quidam Siammenſes ſerpentem venati, vix ſemitoſtum unà cum pelle oſſibus, & capite avidè manducarunt: tantâque affecti voluptate, ut nunquam aliàs tàm delicato ſe paſtos cibo meminerint. Hic Sextus: Serpentem? phy! Ego certè numquam illum ediſſem, ediſſem autem? imò ne attegiſſem quidem. Cui ego: Manducaſſes libens, ſi te fames, quæ Diomedæâ neceſſitate fortior, ad id faciendum compuliſſet, dummodò vivas, quid manduces parum intereſt; verum ea res eſt, & tam breve tempus, ut properandum cenſeo.

Secuto mox die, ex eo loco paulò tardiùs, quàm conſueverant, digreſſi ſunt, quoniam enim circiter Auroram ingens, & denſa nebula latè finitorem occupaverat, ut vix ſe mutuò cernerent, differre idcircò profectionem compulſi ſunt. At mille vix paſſus confecerant, cum derepentè impetuoſiſſimo ventus turbine exortus eſt, qui prætorquam- *Vehemens ventus, mox imber eorum iter interrumpit.*

quòd gelidiſſimus, inque os rectà perflaret, adeò vehemens ac violentus erat, ut ultrà progredi præ impetu minimè quirent. Hic Balbus: Vehementior fortaſsè illis præ fame languidis, ac penè flaccidis videbatur. Cui ego: Veriſimile quidem certè; ut ut verò ſe res habuerit, coacti ſunt modò ad dexteram, modò ad ſiniſtram obliquum iter tenere, ut ſic obliquo pariter vento, atque ob id minus valido obſiſtere potuiſſent, atque ulterius progredi. Secundâ horâ pomeridianâ, vehementiſſimus ventum imber ſubſecutus eſt: & tàm largus, & continens, ut nonniſi cum Sole deſierit, tàm gravis, tàm violenta, tàm præceps aqua decidebat, ut omnes quo daretur modo in tuto ſe ponere pro viribus conarentur. Quidam in concava rupium ſeſe trudebant, quidam ſub ſiccis arboribus occulebant, quidam alii, quibus nullum dabatur perfugium, dorſum arboribus applicabant, ut tempeſtati, pluviæque minus expoſiti, obnoxiique forent; incredibile profectò eſt, quot miſeri cruciatus tùm à vento, & frigore, tùm à pluviâ, & humore toto illo die, & proximâ etiam nocte perpeſſi ſint: accedebat tot malis longior appendix, fames, quæ vacua prorſus viſcera crudeliſſimè diſtorquebat, ſitim pluvia illa (hoc unum commodi attulerat) aliquo modo ſedeverant. Quæcumque præteritis diebus toleraverant, etſi acerbiſſima, haud equidem in malis numeranda videbantur, ſi cum his componerentur quibus eo tempore divexabantur: tremere, algere, perflui, vigilare, imò nè cubare quidem perpetuùm eâ nocte fuit. Latrabant prætereà inanitate viſcera, artuſque conſumebantur: nec tantis, & tàm maximis ærumnis lenimen aliquod preſens erat, tàm prolixa miſeris nulla unquam nox illa viſa eſt. Quâ tandem exactâ, quàm debiles, exucci, macilenti eſſent, vos ex vobis metipſis coniicite. At illud Siamenſibus ultimum profectò malorum accidit, quod Luſitanos, qui multo antè digreſſi erant, minimè cernerent: & licèt hàc, illàc circumſpectaſſent, atque identidem exclamaſſent, ne poſtremum quidem illorum videre licuit, neque unquam vocem reſpondentis ullam exaudire; imò nec quà viam tenuerant, conjectare valebant; quare illos aſſequi deſperabant, quod ſummum illis mærorem, ſummam attulit ſolicitudinem; quot quot anteà ærumnas, ac mala paſſi erant, cuncta tùm in eos uno impetu ruere videbantur, fames, ſitis, laſſitudo, triſtitia, formido, ira, deſperatio, (facto velut agmine) in illorum pectora irruperunt, ſeſe mutuò triſtes, taciti, ac penè mortui intuebantur; nec quiſquam affari ſocium præ animi ſolitudine audebat. Tandem legatus magni vir animi, & facundus apud ſuos loqui orſus eſt: atque his illorum animos erexit.

Sa-

Satis benè perſpicitis, ſocii, in quàm calamitoſum, omniumque miſerrimum nos rerum ſtatum fortuna conjecerit. Poſt durum illud, atque infelix naufragium, ex quo nonniſi præſenti Numinis ope, ac miſeratione ſervati ſumus; quamvis multa, & ea non pauca perdideramus, reſtabat tamen aliquid ſolatii, quo aliquantulùm ærumnas levaremus: dum enim nobiſcum Luſitani erant, habebamus duces itineris, comites malorum, & præſidium tùm contrà Elephantum cæterorumque monſtrorum immanitatem, quæ plurima haſce vaſtas ſolitudines incolunt: tùm contra barbaras terrarum harum gentes, quæ feris ipſis crudeliores, atque immaniores ſunt: cùm verò tàm benè de nobis huc uſque meriti ſint, haud ſanè credendum, ſine cauſsâ, ac neceſſitate nos tandem reliquiſſe. Nonne nosipſi principem legationis, ſenem tùm authoritate, cùm nobilitate quammaximè venerandum, & cui nos omnes primas deferebamus, in horridâ illâ, ac vaſtâ ſolitudine ſortis arbitrio, & tùm ferarum, tùm barbarorum immanitati deferere coacti ſumus? eâ certâ, adducti ſpe, fore, ut brevi illi ſuccurreremus? quin imò in aliorum noſtratium, qui nobis, quà familiaritate, quà moribus erant chariſſimi, amiſſione experti ſæpè ſumus, quàm ingens telum neceſſitas, & quàm duram legem perſcribat, quâ urgente ſubvenire quibus velis non poſſis; ut & perire illos coram te, & nullam omninò opem ferre tibi conceſſum, patiaris. Quare eos non accuſo, nec ſuſceptum de maturâ profectione conſilium damno, quod fortaſsè laudabile etiam erit. Fatum potiùs noſtrum accuſate: ſed quid ego ſtultus? de nobis metipſis, noſtrâque pigritiâ queri debemus, quæ una in cauſsâ eſt, cur de illorum diſceſſu nihil præſenſimus, ut illicò ſequeremur. Sed eſto immemores officii, & charitatis, nos, quos de profectione monere debuiſſent, reliquerint; haud equidem querelarum nunc tempus: neque impendentibus malis obviam imus declinaturi, cùm de illorum non ſervatâ erga nos fide, deque animi, levitate ne dicam, an duritie? conquerimur. Omittamus, quæſo, iſtæc, quæ nihil prorſus ad inveniendam viam, nihil ad ſalutem proſunt: dilacerant certè animum, minuſque ad labores tolerandos promptum, alacremque faciunt. Et quod neceſſitate pati cogimur, virtute feramus: atque ita in præſenti caſu nos geramus, ac ſi nunquam illos comites habuiſſemus. Anne id illius Numinis conſilio factum eſt, qui cœlum, & terras ſapientiſſimè moderatur, ut ſic nos omni humanâ deſtitutos ope, ſuâ nos providentiâ gubernaret? id verò ob noſtri Regis merita, cujus juſſu navigationem in Europam tàm perar- *Siamenſis Legati oratio.*

duam, ac perdifficilem, tot per Oceani ſinus, & tot periculorum refertiſſimos, ſuſcepimus, fieri potuiſſe credo equidem: nihil enim temerè, & ſine Dei conſilio evenire quis ambigat? Quæ quidem opinio ita mihi animo inſedit, ut ad benè ſperandum inducar miro modò: arripiendum igitur iter eſt, ne pluribus vos morer; quando periculum omne mora eſt. Quod verò rebus omnibus præferre debemus, de quo ſi certus eſſem, cætera, quæ me manent, acerba quantumlibet, nihil omninò curarem: teſtes vos mihi univerſi, quantâ ego obſervantiâ, quantâ curâ, ſolicitudineque magni noſtri Regis literas, quas Luſitano mittit, coluerim, cuſtodierim, atque à tot caſibus vindicaverim. In illò immani naufragio prima, atq; unica mea cura fuit, ut illas ab undarum injuriâ defenderem; ita ut meam illis vitam minimè prætulerim, quin etiam illis præ literis cuncta poſteriora habui: & debebam equidem, meam enim ſalutem, quam tàm præſenti beneficio impertitus mihi Deus eſt, noſtri Regis fortunæ, meritoque acceptam refero, ad quem qui ſemel acceſſit, vidit, eoque eſt dignus honore habitus, ut terram, quam ille ſuâ præſentiâ ſacraverat, deoſcularetur, beatus certò, fortunatuſque cenſendus eſt. Ex quo itineri nos dedimus, vidiſtis vos ipſimet, quantâ ego reverentiâ, illius literas, divinum pignus, mihi creditas, tractaverim, cùm in montibus conſedebamus, ego illas in editiore vertice collocavi, ut ſupra omnium noſtrorum capita eſſent; meque inferiùs locabam tantâ diſtantiâ, quanta ſatis eſſet, ut illas tueri, ac vindicare ab inſultu potuiſſem; cùm verò in campis ſtationem figebamus, in altiſſimorum arborum verticibus alligabam; iter faciens meis illas humeris impoſitas, quovis theſauro pretioſiores circumferebam. Quia verò dubius de ſalute ſum tot inter diſcrimina conſtitutus, jubeo, mandoque meo collegæ, qui tertius in legatione eſt, ut me è vivis ſublato, eandem ipſe curam ſuſcipiat, ut tandem ſalvæ, atque incolumes ei reddantur, cui inſcriptæ ſunt; quòd ſi neque ipſe, ferente ſic fato, ad Batavorum coloniam vivus perveniet, alii è noſtratibus curam committat, ſi verò contigerit (eò enim loci ſumus, ut una omnes ſors verſet, & periculis expoſiti ex equo cuncti ad unum ſumus) ut univerſi in hiſce deſertis vel fame, vel ferarum dentibus, vel Æthiopum manibus mortem oppetamus, qui poſtremus fato concedet, ſacratum hoc pignus editiori in loco infodiat, ut ſit ab inſultu ſecurum; in eodem mox ipſe loco beatâ ſorte moriturus occumbat: ut hujuſmodi officio ſummam, quam Regi debet obſervantiam, teſte-

Quanta in Legato Siamenſi Religio de ſervandis ſui Regis Literis ad Regem Luſitanum.

ſte-

ſtetur. His autem ità conſtitutis, bonis velut avibus iter auſpicemur: & quò nos Fata, & Regis Fortuna vocat, præſenti animo, alacrique gradu eamus. Hic Balbus: Magnâ profectò regem obſervantiâ Indi colunt, ut tantam de illius epiſtolâ curam ſuſcipiant; utinam ſacras nos literas tanti faceremus, nempè ſic hominum natura eſt, ut plus ſuperſtitione, quàm religione ducantur. Cui ego: Egregiè tu quidem, Balbe. At Sextus: Miror ſanè ingenium hominis: nec certè aſpernanda in barbaro eloquentia. Cui tùm ego: Naturâ homines facundi omnes, ut & ingenio præditi omnes ſunt; quòd ſi exercitatio accedat, nihil eſt, quod deſideres. Et ille: Ità verò, ſed quid tùm poſtea? Et ego: Hâc oratione, quaſi citharâ ad bellum, ut dici ſolet, adeò erecti, confirmatique ſunt, ut alis ſtatim additis, mirâ alacritate iter aggrederentur, Erat lævâ objectus itineri altus, ac longus mons, collis verò dextrà; quoniamque mons nimium præruptus, conſcenſuque difficilis videbatur, arbitrati Siamenſes, neutiquam Luſitanos adeò debiles, ac defatigatos illàc iter tentare potuiſſe: & licèt per montem recta via videretur; tamen quia illum ſuperare ſe poſſe minimè ſperabant, dextrà flectentes, collem conſcendere adorti ſunt. Et quamquàm ipſi magnis itineribus ſe progredi viderentur, nihilo tamen minus, haud multum ſpatii conficiebant, quippè viribus penè deſtituti; Jam dimidiatus ad umbiculum dies erat, cùm neſcio quem amnem tenuerunt. Hic animi dubii, an fluvium Luſitani tranſmiſiſſent, parumper hæſerunt: nam etſi non adeò largus, vix enim LX. pedes patebat, altus vero ad VII; vehementiſſimo tamen curſu profluebat; mox reſumptis animis, captoque, ut ajunt, in arenâ conſilio, vadum tentare decreverunt: aggreſſi ſtatim animoſiſſimi quique, & præ cæteris minùs debiles, verùm adeò rapidum experti ſunt, ut ni ſtatim pedem retuliſſent, abrepti illicò à profluente proculdubio fuiſſent: verùm adhùc dubii de tranſitu Luſitanorum, hoc inventu ſuperare amnem poſſe arbitrati ſunt, nimirum facilè credimus, quòd volumus, in unum omnes, quotquot habebant, faſcias colligarunt, mox robuſtiſſimus cunctorum, dicam veriùs inter tot macilentos minus debilis, in alteram ripam enare juſſus, unà cum capite illius ex faſciis funiculi, ut ſcilicet illud ad aliquam arborem, quæ plurimæ ripas obumbrabant, alligaret, alterum verò caput ipſi tenerent, deinde hoc adminiculo facilè fluvium reliqui tranarent. At hic, vix ad medium amnem venit, cùm in tranſversùm præ aquarum violentiâ penè actus eſt; quocircà faſciam relinquere coactus eſt, ut

Quo inventu Siamenſes amnem quemdam rapidiſſimũ trajecerint.

in

in alteram ſe ripam deduceret: quam quidem ſummo labore, & periculo, nec omninò incolumis tandem apprehendit; ſiquidem ingenti vi aqua, fluxuque decurrens in prominentem illum ripæ angulum tanto impetu colliſit, ut penè humeros confregerit. Mox fluvio egreſſus, & ſecundùm ripam aſcendens ex adverſo ſociorum, altâ voce admonet, neutiquam fieri potuiſſe, ut amnem tàm præcipitem Luſitani tranſnaſſent; tandem cùm ſuperiora fluvii loca, ubi minus rapidus credebatur, ad ſuos rediit, at tanto vitæ diſcrimine, tanto conniſus labore, ut majore haud quaquam potuiſſet. Cùm igitur Luſitanos fluvium nequaquam tranſmiſiſſe pro certo haberent, ſecundùm illius ripam fontem verſus ire decreverunt: ſiti igitur aquâ fluvii levatâ, cibo famem non quivere: nihil enim toto illo die, quod guſtari vel à brutis poſſet, invenerunt. Propter amnem, ut conſtitutum erat, iterfecerunt, atque in ulteriora profecti, MD. paſſibus exactis, in declive veſtigiis hominum tritum inciderunt: quo facilè perſuaſi illùc Luſitanos iter habuiſſe, quâ læti, atque alacres opinione, ire perrexerunt, inque montis cujuſdam radicem delati ſunt. Mons in imâ radice cavatus erat: idq; ut veriſimile, naturâ factum, quo nimirum commoda iterfacientibus ſedes præberetur. Hoc Sextus loco: Facilè id in animum induco: provida quippè natura eſt, & plurima, quæ homines caſu eveniſſe dictitant, ego illius facta conſilio, ac magiſterio arbitror. Cui tùm ego: Prudentèr tuquidem, Sexte: ſemper enim Natura in mortalium commoda, atque utilitates imminet; utinam ſic homines grati erga tàm providam parentem eſſent, ut illa eſt in nos benivolentiſſima. Hâc igitur in ſpecu, quæ ſatis ampla erat, omnes eâ nocte, quæ jam ingruebat, ſtationem habuere, quæ quia frigidiſſima fuit, pœnarum ſat miſeris attulit. Quidam ex ipſis fuere, quibus adeò crura intumuere; ut nec caligas, nec calceamenta induere valuerunt, quod moleſtiſſimum morbi genus quammaximè crevit præ nimio frigore illius noctis, præque rupis, in quâ requieverant, humore, imò excitati, pulverem quendam è pedibus exhalatum, aqueum, ſpumoſum animadverterunt, nempè præ frigore pedes quaſi lapideſcerent; & ſanè vix illorum uti munere poterant: nec, niſi ſummus vitæ amor ſtimulos addidiſſet, ultrà progreſſi forent. Mirabile illud profectò, quod ipſimet faſſi ſunt, quò plus pœnarum exhauſerant, eò magis vitam tueri, ac producere ſummo conatu, diligentiâque ſtudebant. Nihil mirum, hic Sextus: nempè miſera quantumvis vita ſit, chara tamen mortalibus, quibus nihil illâ optabilius,

bilius, nihil præſtantius datum eſt, ſed perge porrò, cætera expectamus, eſt enim hiſtoria mira, & curioſa, ut non vulgaris de illâ tragœdia ſcribi poſſit. Tùm Balbus: Fortaſsè meditatur id Parthenius; certè aliquid in hoc genere ab illo deſideratur. Cui ego: Hanc aliis ſpartam relinquo: ſatis enim (ut de me ipſo aliquid glorier, ut ſenes conſueverunt) ligata oratione ſcripſimus. Et illi: Id tibi negabit nemo; imò unum ex tot tuis operibus ſatis erat ad unius ætatem hominis; at illud miramur magis quòd adversâ ſemper valetudine, & tot curis diſtentiſſimus tot libros ſcripſiſti; verùm nimis citò vis ſeneſcere, ſcimus enim præſentem annum, qui ſeneſcentis jam ſeculi XCVII. eſt, ætatis tuæ eſſe XLIX. Quibus ego: Non inficior, at ego illum ſenem puto, cui non multum vitæ ſupereſt; tot ego morbis, tantâ corporis imbecillitate laboro, ut diù vivere, ſperare non poſſim. At nos, tùm illi, ut quàmdiutiſſimè vivas, deque noſtris tibi Superi quàmplurimos annos adjungant, votis omnibus optamus, & magno, ut faciant, rogamus opere, ut qui non tàm te tibi, quàm nobis, patriæque vivere intelligamus. Tùm ego: Mittamus nugas: jocari tempus non ſinit, contendam ergo ſtatim ad cætera. Et illi: Hic ſtamus. Ad narrationem ego, à qua deflexeram rediens, ſic illius filum iterum retexo: Profecti poſt Solis exortum (obſtiterat rigor aëreis ne tempeſtiviùs iter exordirentur) eundem præter amnem, quem præterito die, qua ſi viæ ducem ſecuti erant, iter ſuſcepere, eâ etiam adducti ſpe, fore ut tandem Luſitanos aſſequerentur, quos non procul abeſſe non ſine probabili conjecturâ exiſtimabant; ex intervallo enim quædam illorum veſtigia, ac ſigna obſervabant. Ac DCC. fermè paſſus à rupe, in quâ noctem duxerant, quidam ſclopum cum bursâ pyrio pulvere benè plenâ nactus eſt, quem ſine dubio è Luſitanis militibus aliquis, qui illum præ laſſitudine geſtare non amplius poterat, eò loci reliquerat. Sic diſponente Numinis providentiâ, ut & ille relicto levaretur onere, & hi invento ſublevarentur; & mirum oppidò quantâ hi lætitiâ affecti ſunt, & quantam ex illo utilitatem perceperunt: relicto illicò ligneo canali cum æreâ cannâ: quæ & onus erant, & uſui eſſe non poterant, igniarium cum pulvere ad accendendum ignem acceperunt. Quoniamque ex quo fluvii curſum fontem versùs ſequi cœperant, nihil omninò guſtaverant, ut jam præ fame exangues laberentur; idcircò accenſo ſtatim igne ſoleas calceamentorum, quæ uſui ob pedum tumorem pleriſque eſſe non quibant, & ferre onus illud cogebantur, ſingillatim diſſutas torrere adorti: utque

benè

benè toſtæ, avidè deglutiunt; nullo tamen guſtu: quippè pelles adeò ſiccæ: ut nihil admodùm ſucci haberent: ſed ſatis voluptatis afferre videbantur, quod non eſſent amaræ. Hic Sextus: Uſque adeò imperioſa fames: nec quidquam tàm inſolens, ad quod homines non cogat, quare tu optimè in Bellicis hæc habes; quæ patiare, quæſo, ut recitem.

At quia non vallum, non urbes ſaxeus agger,
Plurima nec turris potis eſt cuneata tueri,
Non acres animi, non robora dura lacertorum
Atra fames quando (qua nulla potentior urbes
Vis inimica quatit) validos non ariete muros:
Non igni, aut ferro, non fulmine: ſed fera molli
Languore: & macie palleſcens irruit: & ſe
Tardando licet inſinuat moritura ſub arces.
Fortia quæq: domat, petit ardua: cuncta recludit
Occluſa, & contra licet obſiſtentia frangit.

Cui, ut recitavit; laudo memoriam, cui ſi exercitationem adjungeres, plurimam ſanè eruditionem adipiſcereris. Et ille: Tàm citò te vindicas? ſed mihi lucrum eſt à te admoneri, & corripi, quem ſcio benevolentiſſimum mei, tùm enim corrigi, caſtigarique durum oppidò, & nihil prorſus utilitatis affert, cùm non in patriâ charitate, ſed vel impotente irâ, vel acri vindictæ ſtimulo fieri certò animadvertimus, ſed quid facias? velis nolis, quando Themidi non eſt locus, æquo feras animo neceſſe eſt, cui ego tolerantiæ jamdiù aſſuevi. Tùm ego: Benè facis: ita enim paratum animum habeas oportet. At non illos intra fines ſe miſerorum fames continuit (ut ad illos redeamus, à quibus digreſſi ſumus) verùm vehementiùs urgebat, ut pileos etiam comedere tentaverint, ſed inutili conatu: quamquam enim ad cinerem uſque decoxerint, nullo pacto comeſſe potuerunt; nam adeò amari, atque odioſi, ut ſtomacho quantumvis famelico, magnum faſtidium crearent; ſed in viam ſe, quoniam rurſus commiſere, ſequamur. Non multum ſpatii abſolverant, cùm juxta fluvium ad cujus ripam gradiebantur, unum è tribus interpetribus, quibus antea uſi erant, quique Luſitanos ſecuti fuerant, mortuum invenerunt: qui genibus terræ niſus, manibus ſupra caput compoſitis, reliquo corpore ceſpitibus incumbens, jacebat, &, ut coniicere facilè erat, non multum ante diem obiverat, quo aſpectu territi, & quaſi jam quid de ipſis brevi futurum eſſet, oculis, animoque contemplantes, triſtes admodùm ſubſtitere; mox levati paululùm, quòd eo indicio certiores fierent, illàc Luſitanos iter habuiſſe. Hic Sextus:

Nempè

Nempè animus in miſeriis ad boni ſpeciem; offeratur ſi fortè, facilè divertit, unde illud Lucani.

Seu ſine bonorum
Anxia venturis ad tempora læta refugit.

Cui ego: Eruditè tu, Sexte, & acutè; euge, palmam obtinuiſti. Et ille: Nimirum mihi caput demulces quaſi puero, ſed properemus domum. Et ego: Attendite igitur. Tàm procul à fluvio campus, tùm amœnus, tùm viridis, rarum oppidò in illiuſmodi ſolitudinibus, erat, quare ibi tantiſper gradum figere viſum eſt, ut ex herbis, quæ minus amaræ eſſent, colligerent pro cœnâ, appetente jam veſpere, deinde eandem ingreſſi ſemitam, illàc iter proſecuti, quòd maximo jam tædio eſſe cœperat: & eò præcipuè quod nunquam Luſitanos, qui continuò præibant aſſequebantur, nemo unus erat, quem ſuſceptæ navigationis non pœniteret. Hic Balbus: Quî ſecus fieret? ſic ſumus homines, ut rei malè ſuſceptæ ſtatim pœniteat, at ſi periculum evadimus, quaſi nunquam ſubiiſſemus, ad eadem redimus, atque hinc illud in vulgus, Nautarum vota. Cui ego: Ità prorſus eſt, ut dicis. Sed pergamus ad reliqua. Ingens miſeros deſiderium invaſit illius inſulæ, quam quatriduò ante reliquerant: & ubi magnam concharum copiam, & ſalientem, quàmpergratiſſimam repererant, nunquam enim in toto illo calamitoſo itinere, vel ſuaviùs potaverant, vel delicatiùs paſti fuerant, quàm ibi; magna igitur cunctos ægritudo, magnus mæror corripuit: hinc querelæ, lamenta, luctuſque exaudiebantur, quæ facto jam veſpere, latiùs increbuere, cùm in bivium inciderunt, ex quo duo itinera difficillima, & utrum Luſitani arripuiſſent, noſcere poterant nullo modo; hinc præruptus mons & verticoſus, adituque difficilis, illinc effuſæ è proximo fluvio paludes, quibus planities univerſa obruebatur. Hîc cùm noctis plurimum in deliberando conſumpſiſſent, in hanc tandem ſententiam itum eſt, regredi ad inſulam, ibique triduo, quatriduove refici, ac recreari cibo illo delicatiſſimo. Hoc loco Sextus: In quam miſeri calamitatem delapſi erant, ut illiuſmodi inſula, in quâ præter aquam, & marinas conchas, deſerta in Oceano nihil omnino erat, quod optari poſſet, illis Elyſium, Tempe, Alcinoi, Heſperidumque horti, et ſi quis alius eſt beatus locus, videretur! ſed age, quid inde factum? Sperare intereà, ut de Luſitanis, inquam tùm ego, aliquid audirent, quod ſi nullus de illis rumor percrebuiſſet, barbaros illos Æthiopes quæſitum ire, ſeque illis mancipiorum loco tradere, ſi tamen admitterentur, nihil enim adhuc reſtabat, quod fame

Novum conſilium Luſitanorũ de redeundo ad Inſulam?

illâ, qua ad necem acerbiſſimam torquebantur, pejus expe-ctarent: miſera ſanè conditio, nobiles homines, principes viros, ſpe vitæ, etſi miſerrimæ, felices ſe exiſtimare, ſi viliſſimorum mancipiorum loco, genti omnium quoquot vivunt abjectiſſimæ, atque abominabiliſſimæ ſervirent. Hoc igitur capto conſilio, ubi primùm albicavit, ſtatim iter moliti ſunt, tantumque alacres, robuſtique inſulæ illius deſiderio facti, (alit ſpes animos, & vires facit) ut quòd vix quatriduò priùs iter confecerant, nunc intra triduum abſolverint. Ut tandem inſulam, proſpexerunt, tanto repentè gaudio affecti, ut non majus percepiſſent, ſi tranſmiſſo Euphrate, in fortunatiſſimos illos primi parentis deliciarum hortos pedem intuliſſent. Nihil moræ interpoſitum, continuò quiſque ſummâ diligentiâ, ſummoque conatu in inſulam vadare adniſus eſt, verùm omnis diligentia, conatus omnis incaſſum cecidit: refluens enim Oceani æſtus aditum intercluſerat. Eſt autem hujuſmodi inſula, ſeu veriùs ſcopulus, ni rupem malis dicere: quæ humilis eſt, & rotunda, cujus circuitus, cum æſtu refluente, creſcunt aquæ, paſſuum eſt circiter C: ubi verò aquæ ſubſidere, plurimæ circùm cautes aſſurgunt, quæ rupem intercurrunt, è continente in inſulam arenoſus eſt iſthmus, qui influente mari, totus obtegitur, & id temporis, quo illàc pervenerunt, ad v Oceanus pedes attollebatur, refluente mox mari iſthmus univerſus conchis, cancris, cæteriſque hujus generis refertiſſimus. Tranſmiſſo igitur iſthmo, ſimul atque æſtus reſedit, in inſulam miſeris hiſce naufragis verè fortunatam itum eſt. Prima cunctorum cura, (urgebat fames vehementiſſima) conchas comparare, ſeque illis ſaginare, fuit: copioſam igitur illarum vim collegerunt, cujus partem ad Solem ſiccandam expoſuere, ut nautici vice panis ſecum aſportarent, quod conſilium poſteà perquàm ſalutare experti ſunt: quia verò nonniſi perpaucula admodum arbuſcula in illis circùm rupibus adnata, vix tantum alere ignis poterant, quantum ad coquendas illiuſmodi conchas ſatis eſſet, vimque nocturni frigoris, quo maximè algebant, propellendam, quidam lignatum in interiora ſolitudinum profecti: nihil tamen niſi dentes Elephantum, eoſque plurimos invenerunt: adeò circùm regio illa deſerta erat, & ſqualida, undique vel nudi, ac prærupti lapides, vel arenoſi, ſqualenteſque campi omni prorſùs frutice vacui conſpiciebantur: nihilominùs modicum ex ebore ignem triduò alere conceſſum fuit. Hic Balbus: Pretioſus verè ille ignis erat. Cui ego: Nempè miſeris illis vitam fovebat: cæteroqui fumidus, & graveolens.

Poſtea

Poſtea verò quàm quinque in illa inſulâ dies verſati ſunt, de profectione cogitare cœperunt: expellebant namque eos nimia vis frigoris, atque lignorum inopia; proficiſci igitur, etſi ægro animo, cunctis viſum eſt, & barbaros illos Æthiopes veſtigatum ire, ut apud illos precario viverent, ſi tamen vitam ſperare ab iis liceret, quos omni natura humanitate exuiſſet; quæ quidem cogitatio mirum quantum illorum animos lacerabat: ſe nimirum eorum arbitrio committere, & ſuam illis operam ad viliſſima quæque miniſteria locare, quos magis efferatos, ac barbaros univerſus terrarum orbis non alebat: verùm tantus erat vitæ amor, quam è tantis periculis, & cruciatibus hactenus vindicaverant, tanta ſpes fore, ut tandem è præſentibus malis evaderent, ut nihil tàm immane, tàm barbarum, quòd non ſubiiſſent. Poſtquàm igitur ſex dies deſerto illo in ſcopulo ad otium ſederunt; ſi tamen otium eſt, quo vix vita traducitur, ſeptimo diſceſſerunt ſummo dolore animi, quo copiam illam concharum, & gratam ſibi ſalientem, quibus unis refecti aliquo modo erant, deſererent, futuro tamen providentes (docti præteritis erant) tantum ſiccarum concharum, atque aquæ ſecum tulerunt, quantum portare ſinguli poterant. Primo die ad ſalſum juxtà montem ſtagnum, ubi antea ſtationem fixerant, ventum eſt, quo die, cùm nihil pabuli reperiſſent, viatico illo maritimo vixerunt. Secuto deinceps die, ante quàm ſe in viam darent hàc, illàc ſparſi herbas ſcrutati ſunt; nam etſi viatici reliquias haberent, illas in poſterum, cùm major urgeret neceſſitas, ſervare cogitabant: quidam lacum perſcrutati, ſi quid piſcium aleret, operam luſerunt; nihil enim niſi putidum muſcum invenerunt. Intereà loci dum hàc, illàc vagi ad pabulum more pecudum errant, qui ſecus ſtagnum erant, tres ad ſe venientes Æthiopes conſpicati ſunt; quare illicò ſigno dato, ut ſeſe inter convenerant, congregati ſunt, atque ità Ætiopes magnis ad ſe gradibus feſtinantes opperiuntur, ut propiùs acceſſere, ex illis eſſe, qui cum Europæis commercia exercent, Siamenſes deprehenderunt. Hic Balbus: Sed quibus indiciis id conjectare poterant? Cui ego: Mane, iſtuc ibam, ferebant calamum Nicorianâ fumantem fronde, quo hi tantùm Æthiopes utuntur, qui cum Hollandis, ac Luſitanis, qui Africæ oras incolunt, ſocietatem inivere. Principiò ſummoperè utrimque laboratum eſt propter linguæ diverſitatem, neque enim Siamenſes quid ſibi vellent Æthiopes, neque hi quid illi, intelligebant; mox Æthiopes ſex digitos erectos commoſtrantes, Hollandiam, Hollandiam inclamabant,

Poſt aliquot dies Æthiopes tres ad ſe advenientes conſpiciunt Luſitani.

atque iisdem digitis iter indicantes, ut ſe ſequerentur certis quibusdam ſignis admonebant. Anxii Siamenſes quid tùm ſibi agendum eſſet, diù ſteterunt; quidam exiſtimabant hos ſpeculatores eſſe illorum, in quos primùm inciderant, qui eos proculdubio trucidaſſent, ni multitudinem, & ſclopos pertimuiſſent; alii, quorum credula ſpes erat, nec ſanè à veritate errabant, illos ſex digitis erectis ſignificare velle ſex dierum itinere Batavorum coloniam abeſſe, exiſtimabant; tandem poſtquàm diù deliberatum eſt, cunctis Æthiopes ſequi placuit: quidquid inde futurum eſſet, æquo animo ferre, eo enim rerum ſtatu erant, ut nihil pejus timere poſſent; & quidquid paſſuri fuiſſent, infra ea fore, quæ jam perpeſſi erant, atque in præſentiarum patiebantur. Attulerant ſecum Æthiopes arietis quadrantem, quem ab illis Siamenſes petierunt, nec abnuerunt barbari, dummodò pretium ſolverent: cumque hi ſine præmio ſe eſſe indicaſſent: illi globulos aureos, atque argenteos, quibus tunica adhectitur, poſtularunt, quibus illicò datis, arietis carnem acceperunt, quam ſtatim ſemitoſtam manducaverunt:

Vix refecti jentaculo tàm ſobrio, ac frugali (quid enim unius armus arietis inter quindecim ex longo famelicos?) juſſi ſunt ab Æthiopibus iter inſtaurare, & quo gradus grandirent ſuos, ut primi præirent, verùm etſi inhumani illi homines (ſi tamen homines appellandi, quibus præter figuram, humani nihil inerat) omni ſtudio conati ſint efficere, ut præcederent, id tamen nullo pacto aſſequi potuere, adeò debiles, & defatigati erant; quare ipſi ire primi perrexerunt: Quoniamque lentiſſimo, atque expenſo veluti gradu, Indi incedebant, retrò converſi quà ululatu, quà geſtu urgere conati ſunt; at fruſtrà annoſum, & præ fame languidum cantherium ſtimulis urgemus; tandem ad montis cujuſdam radicem ventum eſt, hìc Siamenſes requietem capere decreverunt: at Æthiopes, qui robuſtiores, & curſui aſſueti, in jugum evaſerunt: & ut illùc Siamenſes conniterentur, magno clamore hortati ſunt; hi verò omnibus penè viribus deſtituti id conari quivere nollo modo. Imò ſeptem ex univerſo cœtu, ſecuto mox die, vix movere pedes, imò vix cruribus inſiſtere valebant, & licet ſemel iterum, ac tertiò ſe movere conniterentur, ne pauxillum quidem progredi potuere: quocircà reliqui conſilium inivere, quid ipſis in re tali agendum eſſet, tandem poſt pauca (neque enim tempus, & res ipſa plura patiebatur) eò loci ſocios relinquere ſtatuunt, ſic enim ſalvari omnes poſſe, ſi ſecus, cunctos perituros nullo communi lucro,

cùm-

cùmque ipſi in coloniam veniſſent, quam certò non longè arbitrabantur, miſſuros ſtatim ad eos, qui tutò, & commodè deducerent, aſſenſere debiles durà impulſi neceſſitate, quando vellent, nollent, aliter fieri nequibat. His igitur non ſine mutuis lacrymis valè dicto, quod & extremum eſſe poterat, reſiqui ad Æthiopes, qui benè manè eos excitaverant, converſi, priùs tamen, quò ſocii ſuſtentari interea poſſent, ſiccarum partem concharum reliquerunt: ſi quid aliud opus eſſet, ipſi quærerent.

Intereà Æthiopes acceptis ex igne, quem diluculò, ob frigus rigidiſſimæ noctis excitaverant, extinctis carbonibus in foveam, quam ad id extemplò effoderant, illos conjecerunt: deinde poſtquam (fædum oppidò, ac barbarum: eſt tamen operæ auribus audire, ut hinc quàm ſalaces, atque immundi illiuſmodi homines ſint, cognoſcatur) unà omnes in foveam minxerunt, urinamq; cum carbonibus tandiù permiſcuere, quoad liquidum quaſi unguentum effectum eſt, hoc deinde quaſi balſamo totum corpus unxerunt, more patrio, ut veriſimile eſt, adeò in brutas pecudes degenerant homines, ubi vitiis obruta ratio, atque extincta eſt. Hic Sextus: Barbarus ſanè mos, ac ſordidus. At ego neque eos laudo (pauciſſimi admodum ſunt) qui ad veletudinem tuendam, ut falsò putant, ſe totos oleo perungunt: & neſcio quo odorum ſuffitu graveolentiſſimo delectantur, adeò enim graveolent, ut modeſtè dicam, ut ne aſpectum ipſorum ferre poſſis, hi, ni me fallo, ab Æthiopibus hiſce, non longè abſunt. Cui ego. Quid facias! trahit ſua quemque opinio, & interdum etiam ſapientes errant, & ut tritum illud, ſuus cuique crepitus benè olet. Sed redeamus ad Æthiopes. Elegantiſſimo illo, ut dicebam, modo compti ſe in Siamenſium conſpectum dederunt, & ut tandem iter aggrederentur, admonuerunt: quoniam verò, hi lento gradu incedebant, illi hujuſce moræ impatientes, ut ſeſe ocyùs moverent omnibus modis impellebant; ſed nihil obtinebant, quippè ex illis morbus erat, quibus fruſtrà medicina adhibetur; qui enim fieret, ut penè mortui curriculo currerent? id erat velle, ut teſtudo volaret; verùm quis à barbaris æquum expectet? Tandem Æthiopes indignati, patientiam abrumpunt: diùque inter ſe collocuti, duo celeri gradu abierunt, tertius remanſit, qui paulò humanior ità Siamenſes comitatus, ut illorum ſe paſſibus accomodaret: & cùm illi defatigati tantiſper ſubſiſtebant, continebat ſe pariter ipſe ab itinere, & quantùm illis videbatur; atque hoc duce ſex dierum itinere, quibus acerbiſſimos cruciatus, nec minores præteritis tolerarunt, ad Hollandos

Æthiopũ mos fædiſſimus.

dos devenerunt quo tempore ſiccis conchis, & herbis victitarunt, habuere etiam in deliciis locuſtas, & quoddam inſecti genus, quod in cœnoſis naſcitur, erucæ ſimillimum; plurimos iſtiuſmodi vermes repererunt juxta Elephantorum dentes, quos leviter toſtos ſaporis experti ſunt exquiſitiſſimi. Hoc loco Sextus, cui palatum delicatiùs: Ego non ita animum induco, ut ſapidos vermes eſſe putem: at illis miſeris fames, quæ, ut ait Comicus, optimum eſt condimentum, illos ſapidos faciebat, cui ego: Atqui nonne plurimi, qui vermibus è caſo erumpentibus mirificè delectantur? Et ille: Intelligo; verùm ego iſtam illis voluptatem libenter remitto. Tùm ego: Prohibeant ſuperi ne id experiaris; audivi enim te de navigatione in Indiam cogitare. Et ille: Nihil minus; at ſi majores jubebunt, contendam illicò; verùm te olim ad Sinas, ultimos Aſiæ populos, deſtinatum audivi: itane verò? Cui ego: Non inficior, verùm dum iter adorno, ſubſiſtere juſſus ſum: nempè tantam felicitatem non eram promeritus. Illi verò: Imò id factum ſapientis Dei conſilio: nam ſecus non haberemus tot elegantes libros ad juventutem erudiendam. Cui ego: Credite (ut etiam ad Balbum loquar, qui ut video tibi ſuffragatur) nugæ iſtæ ſunt, & puerorum nuces; plus valet unius animulæ lucrum, quàm quot quot hucuſque edidimus, & edituri unquam ſumus libri. Et ille; Non oppedo, verùm, ut ait Paulus, Non omnes Profetæ, non omnes Apoſtoli, ſunt etiam Doctores. Tùm ego: Quid dicam? occluſiſti os; verùm abſolvamus tandem aliquando poſtremum tragœdiæ actum.

Tandem Batavos quoſdã obvios habent, incredibili gaudio

Poſtquam igitur totos ſex dies per altiſſima, præruptaque juga, quorum vel ſolus aſpectus maximè formidabilis, per profundas valles, & confragoſas, per quas præcipites ire veriùs, quàm deſcendere videbantur, incredibili labore pererraſſent, quarto die, ex quo illi duo Æthiopes præceſſerant, uno verò & trigeſimo, à quo iter illud calamitoſiſſimum poſt naufragium exorſi fuerant, circiter decimam antemeridianam, in ſummo montis faſtigio, quem ſuperare contendebant, quatuor homines conſpicati ſunt, quos Æthiopes primò crediderunt, (non enim diſtinctè prædiſtantiâ diſcerni poterant, neque alios eſſe, quàm Æthiopes unquam ſibi animo perſuaſiſſent, mox cùm utrimque obviam itum eſt, ſe falſos ſummo gaudio deprehenderunt, ſiquidem duo erant Batavi, duo illi ipſiſſimi Æthiopes, qui quatriduò antè, ut de ipſis ad Batavos nuncium ferrent, magnis itineribus præcurrerant: Quo aſpectu tantâ lætitiâ derepentè perfuſi ſunt, ut mirum oppidò dictu ſit: jam

enim

enim ſe eſſe extra fati aleam, jam ad ſervatores ſui perveniſſe, eumque diem ultimum malorum eſſe, quo velut iterum exorti meliorem in lucem eſſent; quæ quidem lætitia, in ipſorum pectora pleniori ſe alveo effudit, cùm Batavi, qui celeri gradu approperabant, eos aſſecuti ſunt. Qui ſtatim petiere ſi Siamenſes eſſent, & quis ipſorum legatus regis vices obiret. Tùm illi, & ſe Siamenſes eſſe, & qui legationis munere fungeretur, indicant. Quem Batavi ſtatim convenientes ſummo honore acceperunt, mox jubent cum obſonio accedere Æthiopes, comiterque hoſpites hortantur, ut ſe reficerent, quando fames, quam tàm longo tempore duraverant, moram non patiebatur: illi ſimul, ac recentem panem, pultes, elixam, vinumque conſpexerunt, haud continere ſe potuerunt, quin ſtatim accidentes illorum genua deoſcularentur; eoſque parentes appellarent, & quas pro tempore poterant gratias perſolverent. Nobilis ille Siemenſis, ex quo hanc hiſtoriam accepimus, captus tantâ Batavorum humanitate, & benevolentiâ, ut aliquâ grati animi ſignificatione acceptum beneficium eodem loci veſtigio, & temporis compenſaret, ſingulis ſingulos adamantes in auro compoſitos donavit; acceperat hos ille à principe legationis, cùm illum ſub ipſum penè itineris exordium reliquerunt. Tandem refecti, quod exiguum reſtabat viæ abſolvere conati ſunt; verùm cùm iterum, iterumque procedere tentaſſent, tantâ laſſitudine tenebantur, ut ambulare nullo modo potuerint. Et quamquam Batavi eos hortarentur, ut qui tot ſpatia famelici confeciſſent, perexiguum illud jam ſaturi conficere ne gravarentur: nullæ tamen ad id vires fuerunt: juſſi igitur Ætiopes in proximam domum ire curriculo, & jumenta deferre, illi haud morati, unum curriculum conficientes: pollent enim mirâ pedum pernicitate, perque illos abruptos vertices volare veriùs, quam currere aſſueti, infrà binas horas rediere cum duobus curribus, & equis aliquot, qui uſui non fuerunt; nemo enim præ imbecillitate illos auſus conſcendere; curribus igitur in proximam habitationem devecti ſunt. Eſt hæc, commerciorum cauſsâ, in montis declivitate ædificata, in quam ſimul, ac veniunt, prima eorum cura Batavos rogare, ut currum mitterent ad eos ſocios reducendos, quos nuper reliquerant, & vivere eos certò ſperabant, quod ſtatim impetrarunt, miſſus illicò Æthiops cum curru, & iis, quæ ad vitam erant neceſſaria, ipſi duobus aliis in alteram habitationem delati ſunt. Hùc ſtatim atque pervenerunt, excepti à militibus, quos eis præſidii loco Batavicæ arcis Præfectus miſerat, quibus cum ad

Siamenſibus etiã honor a Batavis habitus, ſed non ſine lucro.

colo-

coloniam tandem poſt tot exhantlatos labores, poſt tot decumanas ærumnarum undas, quibus jactati, & certa tot mortis diſcrimina, quæ ſubiverant, quaſi ad ſalutis portum, refugii aram devenerunt. Atque in hæc, Nauta Neapoli rediens cum faſciculo literarum incidit, quem, cùm accepiſſem ſtatim reſignavi, quæque Balbo, Sextoque inſcripte, erant, tradidi, mox ſinguli ad legendas epiſtolas, ut ſiquid novi ab amicis ſcriptum, animos applicavimus.

CAPUT VII.

Quid Luſitanis in itinere acciderit, ex quo Siamenſes reliquerunt, & ad Batavorum coloniam pervenerint, duciſque ipſorum lacrymabilis caſus enarratur: & quædam alia quæſitu digna diſputata.

BEnè manè de more operatus, Sextum, & Balbum acceſſo: qui ut præſto adfuere, deſcendamus, inquam, in ſcopulum, ut à prætereuntibus piſcatoribus perpauxillum piſcium comparemus. Tùm Balbus: Ità quæſumus (ut etiam pro Sexto reſpondeam) ſiquidem ova non ſunt noſtri ſtomachi: quamvis enim tu illa butyro condias miro modo, & recentia ſint, & decumana, vix tamen quadrant. Cui ego: Non id me prærerit: quapropter eamus. Et illi: I præ; te illicò ſequemur. Ut igitur in hortum proceſſi, illi ſtatim ſecuti, hinc in ſcopulum perpauculis paſſibus deſcendimus, pro cujus mox acie ad undas ſeſſum eſt; dum autem expectamus, ità me Balbus interrogat: Quid Luſitanis illis, ex quo à Siamenſibus diſceſſerunt? nam heri veſpere propter adventum nautæ literarum faſciculum afferentis interruptus ſermo fuit, age, quid illis acciderit, exprome; avemus enim (ſentio id Sexto pariter gratum eſſe) illud ex te audire. Tùm ego dicam equidem, ne hic otioſi omninò ſedeamus: vel nè ſenſim in domeſtica obrepat ſermo, qui ſi non lacerat animum, pungit quidem certè. Hic Sextus: Rectè præcaves, age igitur, ad eruditiora illum applicemus. Tùm ego: Atque audite, jam telam retexo. Vitatis paluſtribus ad montana iter flexerunt, tenetis loca? Et illi: Commeminimus, perge porrò. Tùm ego per aſpera illa loca iter facientes incredibile ſanè dictu eſt, quantâ laſſitudine debiles effecti, ut jam ſub ipſius gravi corporis pondere oppreſſi caderent, tantum membra cuncta intumuerant, ut intolerabilis omninò ex eo morbo dolor exortus ſit, additi mox famis, ac ſitis crucia-

Quid Luſitanis acciderit, ex quo Siamenſes reliquerunt, enarratur.

Eorum laſſitudo, morbus, ac fames.

cia-

ciatus quammaximi, qua enim viâ progrediebantur, nec pabuli quidquam, quo cicurare famem, nec aquæ ſtilla, qua fallere ſitim poſſent, inveniebatur, tàm miſerabiles erant gemitus, tàm horrendi miſerorum aſpectus, ut vel tigres ad miſericordiam compuliſſent, ad ſingulos fermè paſſus plures cadebant, implorabant opem ſociorum, ſortem accuſabant, aquam cupiebant, cibum inclamabant, ac penè in deſperationem acti fremebant veluti inſani; & nihilominus cæteri ad tot lamenta, & ejulatus erant fermè inſenſibiles. Hic Sextus: Vix credibile: & fieri poterat, ut reliqui non moverentur tàm miſerabili ſociorum caſu, quo & ipſi premebantur? Cui ego: Ne crudeles, ac barbari viderentur, cùm quiſpiam quaſi moriturus caderet, qui proximè erat, eum hortabatur, ut ſe Deo committeret, divinam expoſceret opem, quando nulla ex hominibus ſperabatur; nec plura addens, præteribat; multi vultus avertebant, ne tàm miſero conſpectu turbarentur: alii occludebat aures ne gemitibus morientium terrerentur; magna verò morientium multitudo erat, mortui in illo itinere ad ſexaginta. Hîc Sextus: Noſtras ille certè ſuo muneri non defuit. Cui ego: Admodùm ſenex erat, cùmque laboribus, & cruciatibus ſufficere non potuiſſet, inter primos poſt plurima edita pietatis ſigna mortem oppetiit. At lacrymabilis oppidò, & miſerabilis caſus fuit, qui cecidit in ducem navis, virum apprimè nobilem, divitem, ætate gravem, & magnæ authoritatis apud ſuos; huic unicus erat filius, quem in ſpem domus ſummâ curâ, ac ſtuſtio alebat, ut verò à teneris annis (vix XII. attigerat) mari aſſueſceret, & muneri, quo ipſe fungebatur ſenſim idoneus ſuo ſub magiſterio evaderet, ſecum in Indiam advexerat, erat autem adoleſcens mirâ indole, miro ingenio, pulchro corpore, doctus pro ætate, & in parentem obſervantiſſimus: quare ab illo unicè amabatur. In infelice illo naufragio ipſemet ſuis manibus in terram detulit, neglectâque ſui curâ totus fuit, ut filium in tuto collocaret. In itinere ab Æthiopibus mancipiis, quibus Luſitani utuntur, deferri juſſit. At cùm plures hujuſmodi Æthiopum interiiſſent, reliqui vix ſe ipſos ferrent, coactus eſt puer ſuis pedibus incedere. Tertio die à quo Luſitani, ut citiùs ad Batavorum arcem pervenirent, Siamenſes deſervere, miſerrimus hìc adoleſcens in tantam defatigationem, & laſſitudinem incidit, tanto corporis tumore correptus, ut cùm circiter meridiem cum reliquis ad quietem captandam ſuper ſaxum ſe proſtraviſſet, nullo mox pacto conſurgere potuit: imò adeò crura obriguerant, ut ne flectere qui-

Filius Ducis adoleſcens miſerè perit.

dem illa valeret : iſtic aſpectus tàm miſer, quàm qui maximè, tanto doloris ſenſu parentem intimè affecit, ut lethali illum vulnere ſauciatum crediſiſſes. Hæſit, indoluit, miroque cruciatus modo congemuit, ac penè exanimatus eſt. Mox prævalente patriâ charitate attollere illum conatus, & loco movere, & illi utut potuit, animos fecit: at rigidus ille quaſi lapis, nullo modo conſiſtere, ne moveri dum poterat. Tùm miſerabilis pater gemens, ac ejulans per Superos omnes aliquot precatus eſt, ut filium ſuum adjuvarent, ac tantiſper deferrent : at illi liberè profeſſi ne ſemetipſos quidem præ imbecillitate, quà unâ cuncti laborabant, deferre poſſe, nec ei quidquam profuturum ſi unà cum filio morerentur. Quid tùm miſerrimus parens? ait Sextus. Cui ego : Quod unum reſtabat patriæ charitati præſtandum, illicò conatus eſt : ſuis tandem humeris filium impoſuit: verùm etſi pius, ut Æneas, ſi poëtæ credimus, non tamen fortis, robuſtuſque fuit, vix parumper progreſſus, cùm ſubitò charo ſimul cum pignore procubuit. Hic Balbus : Proh caſum verè lacrymabilem! utinam potuiſſem ego in tàm amantis parentis locum ſuccedere! etſi defaticatiſſimus, tuliſſem tamen. Cui ego : Laudo pietatem : ſed neſcio quid eo rerum diſcrimine feciſſes, optimè Comicus, cùm benè valemus, optima conſilia ægrotis damus, extra aleam conſtituti Achilles, Hercules ſumus omnes : qui mox periculo ingruente timidiſſimi fugimus quaſi lepores ; ſed redeamus ad miſerum adoleſcentem, cui magis à patre dolor erat, quàm à ſuo fato, quamvis acerbiſſimo : virili igitur erectus animo, totumque colligens ſpiritum, qui in labris jam erat abſceſſurus, patrem orat, ut quando ità Superis videretur, ſineret ſe mori, ſui verò curam ipſe ſuſciperet : cuncta Dei providentiâ fieri, & quòd ille diſpoſuiſſet, libenti animo ferre ; illique obtemperare opus eſſe. Sibi mortem haud gravem, ſi ſuperſtes ipſe de ſe curam ageret : quod ni faceret, tùm acerbiorem mortem futuram : nam ſe plus amantiſſimi patris cruciatus, quàm ſua ipſius tormenta dilacerare. Verùm tantum abfuit, ut hiſce filii verbis pater recederet, ut potiùs impelleretur, ad unà cum filio moriendum. Quod cùm filius intelligeret : nec ſe precibus obtinere à patre poſſe, ut abs ſe recederet, ſuſciperetque ſui curam, quando ſibi auxilio eſſe non poterat, Luſitanos reliquos, qui juxta erant enixè orat, atque obſecrat, ut patrem abs ſe divellerent, cujus dolentis præſentia ſibi morte ipsâ, ac maximis illis cruciatibus, quibus miſerè torquebatur, durior magis, atque intolerabilior erat. His verbis permoti

Admirandum patriæ charitatis exemplum.

duo

duo viri religioſi, unus ex divi Auguſtini, alter ex divi Franciſci familiâ, ad patrem accedunt: & multis argumentis ei ſuadere conantur, id, quod meditabatur, nullo modo licere. Lege enim tùm divinâ, tùm humanâ teneri eum ſervare vitam quoad poſſet; & poſſe tùm manifeſtò videbatur: quid aliud hærere apud morientem filium, quàm ſibi necem conſciſcere? imò & ipſius filii mortem acerbiorem reddere: quòd nec juſtè, nec piè fieri poterat; perpenderet animo, quod ſi in ſuâ ſententiâ perſiſteret, futurum, ut unà cum filio & vitam, & animam perderet, ſeque ſempiternis pœnis addiceret: cumque verò nihil verbis, ac ratione obtinere viderentur, Luſitani vi illum à filio divellunt: & tandiù longè abegerunt, quoad extra obtutum filii fuit. Sed quid? adeo acerba hæc ſeparatio, tantus exortus animi mœror, ut omninò contabuerit; tandem altero poſt die, quàm in coloniam ventum eſt, filium miſerabili fato ſubſecutus eſt. Hic Balbus: Miſeret me tàm duram tùm adoleſcentis filii, tùm patris ſenis vicem, quâ acerbior haud ſcio an altera. Deus ſancte, in quantam calamitatem tot homines unius gubernatoris inertiâ conjecit! Dedit ne pœnas inertiſſimus homo? qui certè Nautica tua non dum legerat; quæ tamen multo antè in Luſitaniam appulerant, vigilaſſet certò, & ſolertiſſimè. Cui ego: Dedit præcipuus inertiæ pœnas; ductuſque in vinculis in Luſitaniam eſt: alter qui vicariam exercebat operam, & cujus fuerat tùm majòr culpa, in Brittannorum navem, quæ tùm ibi in anchoris ſtabat, profugit. Tùm Balbus: Haud quaquam hominem tot hominum nece reum admittere debuiſſent; verùm quis à nautis æquum exigat? è ferociente mari neſcio quam induunt feritatem. Sed transferamus ad eruditiora animum: ſatis cum miſeris verſati ſumus. Non ego miror, Parthenie, ſenem præ fame, ſiti, ac laſſitudine debilem, totque laboribus attritum filii mœrore contabuiſſe, ac demum diem obiiſſe ſuum, eſt enim triſtitia impotens animi motus ſe deiicientis, deque ſpe aliquâ, vel bono deſperantis, quo motu ſuam amittunt humores temperiem: ac prævalente melancholiâ, atram bilem noſtri dicunt, præ illius vi ſanguis inficitur, ac circa præcordia coagulatur, ac congelaſcit: quo tandem præcordia, vitæ nimirùm arcem, occupet, opprimatque; & ſic pereunt præ triſtitiâ miſeri, quique animos facilè deſpondent; nam erectis qui ſunt animis, quos magnanimos dicimus, haud facilè hujuſmodi morbo ſuperantur. Hic Sextus: Rectè ego; qui haud facilè do mœrori locum: hilarem me natura fecit, quam ego hilaritatem perpetuo ſtu-

Filium Pater miſerabili fato ſubſecutus eſt.

ſtudio, conatuque foveo, ac roboro. Cui ego: Optimè facis: vives ſic diutiſſimè, & ut dicitur, Neſtoris annos: iſtam ego animi tranquillitatem, hæc enim vera lætitia eſt, quantum fas eſt, adipiſci nitor, & perpetuâ ſemper conſtantiâ roborare, neque aliam ob cauſſam rebus omnibus vale dicto, in hanc me ſolitudinem conjeci, & unis literis, quæ hanc pariunt animi beatitatem, me continuò involvo. ſint alii felices: honores, plauſus, præfecturas ſibi unis vindicent, una me quies animi delectat; ut præ illâ habeam nihil. Tùm illi: Ne labores; tenemus enim iſta, tanti tu illa facis, quanti vitioſam nucem. Quibus ego: Certè quidem, ſcitis profectò me latinè loqui; hoc eſt aperto pectore, cuncta illa, quæ magnifica vulgus putat, ipſe nihil moror; nulla enim res eſt, quæ cum animi tranquillitate conferri poſſit; ſtultum oppidò arbitror, cum pacatè vivere queas illiuſmodi te rebus immiſcere, quæ etſi ſpeciem magnam afferant, reapſe nihil ſunt, niſi ſpecioſa quædam verbis, re verò inania vocabula, & meræ nebulæ in pariete depictæ. Sed perge, Balbe; nam, ut video, quid ſcitu dignum in medium inferre paras. Tùm ille: Haud equidem miror, inquit, ſi dux ille atrociora Sambico, ut eſt in proverbiis, perpeſſus facilè contabuerit: at illud mihi mirum oppidò viſum eſt, quod tu heſternâ oratione expoſuiſti: memini enim, nimirum illud animo notavi, & eram ſciſcitaturus, niſi Nardus cum literarum faſciculo ſuperveniſſet. Ajebas Siamenſes poſtquàm ad Batavorum domum pervenere, ibique abundè refecti ſunt, nullo deinde poſt modo progredi valuiſſe. Qui fieret, ut hi, qui famelici, ac defatigati, tot itinera confecerant, tanto animi, corporiſque conatu è tot, tantiſque laboribus evaſerant, nunc ſaturi, ſecuri, ac veluti in portu, ne paucos admodùm paſſus conficere, atque exiguum illud, quod ſupererat, laboris ſuſcipere valuerint? iſtud ſanè mirum, ac parodoxo ſimile mihi videtur, age, exprome, quid ſentias: namque à te hæc (ut pro Sexto etiam pollicear) expectamus. Cui tùm ego: Mirabar id etiam ipſe, Balbe; & mihi etiam perſuaſeram, fore ut à te rogarer; reſponderem ſanè, niſi vererer, ut inverſum in me illud jactaretur, Pro eleganti medico malus poëta. Et ille: De hoc ne ſis ſolicitus: ad amicos loqueris, quin poëtam, medicum, philoſophum, imò & artium omnium ſcientem eſſe oportet. Tùm ego: Geram tibi morem: & faciam etiam in gratiam Sexti. Tùm Sextus: accipiam id beneficii loco: nec cunctam iſtam gratiam ingrato facies. Et ego: Præbete igitur aures. At quoniam non hìc in

ſcho-

ſcholis ſumus, omittam nimiam illam dicendi ſubtilitatem, quam familiaris ſermo non patitur. Illi verò: Iſtuc deſideramus: ſatis tricarum in ſcholis audivimus, habeant illi clamores ſuos, quibus altercari voluptas eſt; verùm perge ad rem: vereor enim ne navicula illa ſuperveniat, & orationem, quam futuram nobis gratiſſimam confido, interrumpat. Tùm ego: Rectè præcaves, contendam igitur, & quàm pauciſſimis verbis, accomodatè tamen, ut potero, ad veritatem percipiendam. Dum illi perſuaſum ſibi in animo habebant (exemplò è re ipsâ clariùs explicabo) ſe omninò perituros, ni omnibus viribus, nervis omnibus conarentur iter, quod ſuſceperant, abſolvere, quoad ſalutis portum attingerent: certa hæc perſuaſio, terribilis timor, adeò illorum mentes occupaverat, ut novas ſemper vires ſufficeret; novos ſemper nervos intenderet, quibus obſtantia quæcumque perrumperent, ac ſuperarent, ſiquidem, vos teſtes volo, quid non ſubitur, quid non tentatur, licet arduum quantumlibet, ac difficilè ſit, ut ab imminenti mortis periculo ignominioſiſſimæ, atque acerbiſſimæ quis ſe ſubtrahat? nihil quippè; cùm igitur illi toto itinere nihil aliud ſomniarentur, nihil verſarent animo, ni quo ſe modo á miſeriis illis moleſtiſſimis, èque atrociſſimis doloribus liberarent; & quò magis ulteriùs procedebant, eò magis in ipſorum animis hoc deſiderium augebatur, quietis ſcilicet à miſeriis, & ſalutis reperiundæ. Quinimò ſociorum, quos relinquebant memoria, aliorum, quos fata ſuſtulerant, acerbiſſimi caſus urgebant, incitabant, alas addebant, ut ſe ipſi conatibus ſuis à ſimili ſorte redimerent: cùm verò, inventis jam Batavis, ſe extra fati aleam poſitos, inque ſalutis portum tutò perveniſſe viderent: cumque refecti, nihil jam eſſe, quod à fame, ſitique timerent, deſiere tùm illi timores, atque illæ animorum certæ ſententiæ, quibus vires ſufficiebantur; ſpe jam tandem potiti, ac ſalute in tuto collocatâ, tota ſe in gaudia præcordia diſſolvere; quocircà haud mirum ſi cor tantâ perfuſum lætitiâ, ſi ſuis animus potitus votis, langueſceret. Hic Balbus: Non id certè inveriſimile. Addam, tùm ego, & aliam cauſſam, quæ etiam ab ipsâ naturâ petitur: Poſtquàm cibo ſaginati abundè ſunt, id ſtatim effectum eſt, ut virtus ſtomachi nutricans, quæ tot dies penè effæta, ac conſopita fuerat, tùm impar concoquendo cibo omnes è reliquo corpore ſpiritus advocaverit, ut ſibi ſuppetias ferrent: itàque factum eſt, ut reliquæ ſpiritibus illis deſtituerentur; atque idcircò ſe movere non poſſent. Tùm Balbus: Et id etiam probabile,

In periculis audaciores ſumus.

fateor ; placet utrumque , quid tu , Sexte ? Et ille : In tuam, Balbe, ſententiam deſcendo. Atque hæc dum diceret, piſcator ad ſcopulum applicuit, meque rogat, ſi piſces emere vellem. Cui ego: Profer, ut videam quinam ſint. Ille verò: Unus eſt Glaucus, penditque libras decem. Benè eſt, tùm ego: ſed quanti indicas? Tùm ille: Næ ego ſtultus, qui pretium taxem, cum tu Cerealis ædilis eſſe poſſis. Ego verò: Comiter tu quidem, & perurbanè. Solvam ergo argenteos quinque. Tùm piſcator: Accipe tanti, quanti voles; at quæſo, ut Americani pauxillum pulveris impertias. Cui tùm ego: Illo ipſe non utor, hunc juvenem, Sextum intuens, roga. Obtulit ſtatim Sextus. Accepit ille pulverem, & numeratam à me pecuniam, Surrentumque faceſſivit, nos verò aſſurgentes domum pergimus.

FINIS.

AUTU-

AUTUMNORUM SURRENTINORUM

LIBER II.

CAPUT PRIMUM.

Pluvia impendente, juxta alvearia conſeſſum: quæſitumque quid eſſet mel, quid cera: & quædam ſcitu digna commemorata.

PRimo manè cùm feciſſem, preceſque horarias cantitaſſem, jam aquam, in qua Arabica faba ſcitè toſta, inque minutiſſimum contrita pollinem, incocta benè fuerat, hauſturus etiam meo more, cùm me Lucilius convenit, & Quid iſtuc, ait, potionis eſt? Cui tùm ego: Faba Arabica, vis ut illius tibi vaſculum propinem? Ille verò: Apage ſis, inquit, cum iſtâ fabâ: non enim quadrat meo ſtomacho, utpote quæ barbara: & apud barbaros, ut audio, primum uſum invenit. Tùm ipſe: At ſalutaris illa quidem certè, nonnè cinnamomum, nonnè piper, atque aromata cuncta? nonnè ſal Indicus è ſolo barbaro proveniunt? Tùm ille: Ità verò, non inficior: dulcia tamen illa, iſtæc verò oppidò amata. At ego: Atque idcircò perutilis: ſiquidem illâ amaritudine ventrem contrahit, atque cor-

Faba Arabica; tùm ſtomacho, tùm cerebro perutilis.

corrugat: quo fit, ut cibi coctionem juvet; halitũ verò odoroſo cerebrum fovet, mentemque expeditam reddit, dum illam ab halitibus vaporoſis è ſtomacho erumpentibus vindicat. Hic Lucil: Næ tu medicus, qui iſtæc tàm benè calles. Verùm utut ſe res habeat, de illâ tibi facio gratiam. Eamus ad deambulandum: ſic enim crudos humores, quibus literati abundamus, facilè concoques, defatigatamque mentem paululùm allevabis. Tùm ego: Haud equidem hoc manè deambulandi tempus, viden'ut dubium cœlum eſt? timeo ne ſi longiùs hinc faceſſamus, perbenè madeamus, imò ni oculis hallucinor, jam tenuis incæptat pluvia. Tùm Lucil: Hallucinaris certò: ne gutta quidem cecidit, verùm, age, ſi times ne perpluas, curſitemus per hortum. Cui ego: Æquiſſimum id rogas, ità enim nos facilè in ſecura recipiemus, feram mecum ſciadem, ſi quid facto opus erit. Et Lucil: Rectè præcaves, nihil igitur cunctati, in hortum deſcendimus: cæpimusque curſare per Xyſtum. Nec diù curſitatum eſt: etenim è vicino monte nigerrimus imber, eo ſtrepitu, quo Autumno ſolet, deſcendere continuò cæpit; ut ni ſtatim umbellâ explicata nos operuiſſemus, largè perfudiſſet, nos igitur in proximum fornicem teſtudinatum, citatiſſimo gradu recepimus. Hic me Lucillius, rogat; Undenam per amplam iſtam ſciadem, atque oppidò commodam comparaſti? Cui ego; Cùm Senâ interfacerem, animadverti cives illos quotidiè umbellam geſtare ſolitos, quem ego morem laudavi, mihique ruri, nam in urbe eſſet omninò inſolens, imitandum duxi, ſic enim hyeme à pluviâ, æſtate te à Sole defendes, & quoniam patulæ, plures tegi, defendique poſſunt; habent etiam & illud commodi, quod cùm leviſſimæ admodum ſint, nullo negotio circumferri poſſunt. Tùm Lucil: Etſi noſtrâ in urbe id novum omninò futurum eſſet, illis ego libenter uterer. Et ego: At quòd inſolens, minimè honeſtum, non tenes quod vulgò jactatur, ede, & bibe tuo more, alieno veſtias. Intereà cùm aliò imber delatus eſſet, in villici caſam imus; ſedebat hic ſub pergulâ, quam pergulanæ corniculatæ ſpiſsè inveſtiebant, & ceram, quam è proximis alveatibus eduxerat, perpurgabat; ſimul ac nos vidit, binas à puero ſedeculas afferri juſſit: & ſedete, inquit, tantiſper. Cui ego: Benè tu quidem, Meliſſæ: laudo urbanitatem tuam, quam etiam ruri ſervas, habeſne aliquid, quo nos dones? Et ille: Numnam vobis acceptus eſt favus mellis perquàm puri, atque odoroſi? Cui ego: Imò, inquam, acceptiſſimus, illum ego inquirebam nec Surrenti venalem puer invenit, quocircà accipiam illum libentiſſimè, habeſne in horto bugloſ-

ſum?

ſum? Habeo, inquit Meliſſæus, ſed brevibus foliis, ut quæ minimè hortenſis, Colligito mihi faſciculum, inquam ego: rem mihi facies oppidò gratam, ex illa enim, melle, & farina edulium hoc manè ſcitiſſimum adornabo. Hic Lucil: Quo id modo? Et ego, Accipe; in teſtudine fictili recenti unum, aut alterum farinæ pugnum imponam, tantillumque ſalis ſpargam: deinde frigidam infundam, & cochlear tandiù diverberabo, quoad mollia intrita fiat; intercà ſartagine oleum trimum, defæcatiſſimum frigam: quod ſimul ac frigi cœperit, folia bugloſſi intrita illa farinacea involvam, inq; oleum iniiciam: ut mox defricta, in lancem immittam; tandem mel liquatum cum foliis marini roris infundam. Lucili, præ ſcitamento digitos perrodes tuos, At ille: Vereor ne ſtomacho noceat iſtiuſmodi edulium. Etenim cùm domi iſtic cibus apponitur, à pleriſque contemnitur, atque idcircò, ut arbitror, ab illo ſe continent, quia ſtomacho non quadrat, ego certè vix concoquo: imo toto die oleum ructo, quod mihi fauces perſtringit, atque adurit. Tùm ego: Ità eſt, ut dicis, id verò idcircò accidit, quia ſola farina fiunt, & plerumque crudæ ſunt illiuſmodi armillæ farinaceæ quo fit, ut oleo ſint nimis imbutæ, & oleum, ut plurimum infimæ notæ; ego incruſtata illa folia ità frigam, ut incipiant rubeſcere; hoc enim modo minimum olei ebibunt, bugloſſum item miſceo, quo præcordia juvantur miro modo, hinc illud Lucani corraginem, ut & vulgus noſtratium, appellavere, litera una immutata: quocircà ille cibus intritæ minus habet; tandem noſtri roſmarinum non adjungunt, quo & ſtomachus, & cerebrum maximè foventur, quippè odoroſo.

Edulium ex Bugloſſi foliis, farinâ, ac melle ſcitè præparatum.

Dum autem alvearia contemplaremur, Dudum mihi, inquit Lucil: illa hæſit in animo dubitatio, crearentne apes mella, an illa ex arbuſtis colligerent: quam velim, te tandem auctore, deponere. Eja age, & quando oſtentata occaſio eſt, non omittamus. Cui ego: Laudo ſtudium tuum, qui in omnem ſciendi occaſionem intentis animis quaſi è ſpeculâ ſemper immines: ut igitur iſtud tuum ſtudium foveam, conabor velis, equiſque quæſito ſatis facere: & quæ hâc de re mihi in mentem venient, exponam ſtrictim: provectus enim dies eſt, neque omnis de pluviâ timor abiit, prætexo igitur telam. Et primò compertum quidem eſt, apes mella in ſuis alvearibus æſtate reponere, atque aſſervare, hyeme verò illis pro alimento uti: nam cum exactâ admodùm hyeme, vacui reperiantur favi, eo mel tempore ab apibus comeſtum, manifeſtò conſequitur, quod quidem iterum venturâ mox æſtate reponitur, vacuique replentur fa-

Creent ne Apes mella, an ex arbuſtis colligãt, Inquiritur.

vi. Ex hoc autem, quòd jam à te mihi conceditur, ſtatim illud exiſtit, nimirum mel excrementum apium non eſſe: neque ſuccum è floribus collectum, atque ab illis concoctum. Hic Lucil: Sed quo tu id conficis argumento? Hoc inquam ego: quod animantium excrementum eſt, cedere illis in cibum non poteſt, ut minimè idoneum, etenim ſi excrementum, nutricationi inſervire nequit: nempe ex illo non valet ſtomachus partem aliquam decerpere, quam utique, anteàquàm excreta deponeret, in ſui alimentum vertiſſet, quidquid verò à nutriente facultate ſegregatur, atque egeritur, alibile non eſt; quocircà ſi melle aluntur apes, illud earumdem excrementum non eſſe, liquidè conficitur. Præterea obſervatum ab his eſt, qui huic rei ſedulam navarunt operam, mel non exugi ab apibus, ſed in coxis reponi. Hoc loco Villicus, qui nos attentis animis audiebat, iſtuc oppidò certum, inquit, quod ego comperi ſæpenumerò; ſi ità, tùm ego, ab illis decerpi, ut in futurum reponatur, perſpicuum eſt: nempè non minus providæ apes, quam formicæ ſunt. Aſſentior, inquit Lucil: ſiquidem dilucido id abs te argumento confectum eſt, atque à Meliſſæo noſtro experimento etiam confirmatum; aſt illud ſcire aveo, ſi ex arbuſculis, floribuſque mel legitur, eſt ne deciduus è cœlo ſuccus, uti ros, pruinaque, an verò è plantis exudat? Tùm ego: Ajo mel non eſſe ſuccum è rore, pruinâve concretum; ſed ex plantis, præcipuè floridis progigni: & eo quidem modo, quo thus, & gummi, quoque balſama odoroſis à truncis procreantur. Hic Lucilius: Facilè animum induco, ut id credam: probabile quippè. Sed age quo tu id argumento. Et ego: Dà mihi aures: plurima in promptu ponam, quæ rem perſpicuam facient. Et primò obſervatum eſt apes mel carpere non benè manè.

Mel excrementũ Apium non eſſe, probatur.

Mel non è Cœlo decidit; uti ros; ſed ex plãtis floridis progignitur.

Cùm ros in tenerâ pecori gratiſſimus herbâ eſt.

ut ait poëta, ſed maturo jam die, quando humor ille roſcidus exiccatus omninò eſt: carpunt item mel non ex ſummis foliis, in quæ ros depluit, verùm ex ipſo coliculo, ut à pleriſque compertum eſt, non igitur à cœlo decidit, ſed in ipſis plantis ingeneratur. Hic Lucil: Aſſentior prorſus, rem omnem brevi, ac liquidò confeciſti. Ego verò: Mane: ſunt & alia, quæ hactenus dictis fidem adjungunt. At Lucil: Profer ea: hic ſto: Ego tùm: Ferunt ut certum, apes non ex omnibus plantis mella, ſed ex certis quibuſdam, & floribus potiùs, quàm ex truncis: at ſi ros eſſet, ſecus eveniret; ros enim in omnes plantas decidit. Imo ex uno flore plus colligunt, quam ex alio, quin etiam pro florum indole, quæ varia plerumque eſt,

Apes non ex sũmis foliis, ſed ex ipſo coliculo, maturo jam die, mel carpunt.

Neq; ex omnibus Plantis,

ſapo:

ſapores mel induit, & quàm varias ducit habitudines, ex odoriferis collectum herbis, odorum eſt, & exquiſitiſſimum, ex aliis non ità: imo in quibuſdam noxium, atque hinc poëta

Sic tua Cyrneas fugant examina taxos.

nempè venenatum ex Cyrnæâ taxo mel eſt, id verò neútiquam caderet, ſi è cœlo delapſus humor eſſet, quippè unus, idemque invariatus, neque ex ſolo contactu noxias illas qualitates contraheret, ut re verâ ros ipſe minimè ebibit. Atque hîc, quoniam cadit in rem, narrabo hiſtoriam oppidò miram, in Tapobrane inſulâ, quam Ceylanum incolæ dicunt. Hoc loco Lucil: ità me interpellat: Nimirum illa eſt, de qua ſic tu Naut: VIII.

In Tapobrane Inſula Mel cinnamomum redolet.

Hinc & Tapobranen linquens, Corinq; jacentem,
Gemmiferum juxtà litus vada ſpumea ſulca.

Cui ego: Ipſiſſima, hâc verò in inſulâ ſylvæ cinnamomiferæ quàm plurimæ ſunt; in harum ſylvarum ſummis verticibus lanugo quædam concreſcit, in quâ mel, & cera generantur, & tùm mel, tùm cera cinnamomum redolent. Luſitani cùm ſuperiori ævo ad ipſos & inſula, & ſylvæ pertinerent, in præſentiâ ſub Batavorum ditione ſunt, ex illiuſmodi cerâ candelas cerabant, & ad Regem Luſitaniæ in Europam tranſmittebant. Hic, quoniam quàm pauciſſimæ admodùm afferebantur, non niſi in ſuo ſacello illis utebatur; accenſis verò fragrantiſſimus cinnamomi odor evaporabat, qui univerſum ſacellum mirâ, ac jucundâ replebat ſuavitate. Hic Lucil: Mirabile quidem, quod mihi accidit omninò novum. Sed age quodnam mel optimum cenſetur? Cui ego: Hiſpanum probatiſſimum, roremque maris ſuaviſſimè redolet, & granoſum eſt, in Italiâ Tarentinum laudatur, Siculum non multum Hiſpano cedit, quod verò hic generatur meo judicio laudatiſſimum; ut quod flavum, fragrans, & granoſum, etſi exigua admodùm illius copia proveniat. Tùm Lucil: Haud mirum equidem eſt quoniam enim odoriferæ hic paſſim herbulæ, optimum ex illis mel apes decerpere neceſſe eſt. Cui ego: Rectè autumas. Celebratur etiam Sarmaticum, & Dacicum, in quibus regionibus ingens mellis copia, ut illo gens præcipuè victitet. Alpeſtris Daciæ regulum, ferunt, quotannis pluſquam centum mellis plauſtra ad Scytharum regem tributi loco mittere, imò perhibent reperiri immenſos truncos cavatos, in quibus plurima mellis copia, lacunas diceres. Sed pergamus porrò tùm Lucil: de cerâ quid ſentis? Cui tùm ego: Puto illam ab apibus pariter colligi, ut nimirum ex illâ ſua tecta, favos nimirum eâ arte

Quod nam Mel optimum?

compingant, quæ certè divina eſt; illa verò lentore prædita cùm ſit, & dureſcat, quo illæ velint eam modo extendere, atque informare commodè queunt. Eſſe autem truncorum etiam humorem concretum, qui ſummis foliis adnaſcitur, exiſtimo; nam, ut ſuperiùs dicebam, è lanugine cinnamomi ceram legunt, liquant, & candelas cerant, id verò in aliis evenire veriſimile eſt. Hic Lucil: Quid ſi tùm mel, tùm cera meteorum eſſe dicam è cœlo concretum, ut veteres opinabantur? Cui ego: Non rectè tu quidem cum illis opinarere; & ſanè de melle liquidò mihi videtur demonſtratum. Fateor, inquit ille: At compertum ſæpè eſt reperiri folia viſcoſa, & melle ſapida, id verò ex eo contingere ajunt, quod ex aëre utrumque decidat. Cur non potius, inquam, quia exudat è foliis? id verò, ut omnem tibi ſcrupulum adimam, conficiam hoc modo. Non in cujuſquemodi, ſed in certis tantum foliis reperitur: non igitur è cœlo eſt: de cerâ facilior conjectura, cùm enim magis tenax ſit, ex arboribus, ut gummi, cæteraque hujuſmodi gigni liquidum eſt.

Hoc loco Lucil: Non eſt igitur, inquit, cur te amplius vexes: do manus, illud tamen unum ſcire tandem vellem, curnam è taxo venenatum mel? Cui ego: Quia ea taxi natura, ut ejus humor noxius ſit animantibus: mella verò pro ſucci qualitate naturam induunt, in Trapezuntis agro, mel è buxis creatur, ut ait Ariſtoteles, graveolentiſſimum, ut ſanos in inſaniam agat, inſanos verò menti reſtituat: quo quid magis inſolens dici poſſit? mira quidem natura, in cujus penitiſſimas fibras ire omnes effectuum ſcrutatum cauſſas difficilè oppidò. Sed recipiamus nos domum ne imminens iterum pluvia nos comprehendat.

Mellis ſpecies in Trapezuntis agro ſanos in inſaniã agentis, in ſanos menti reſtituentis.

CAPUT II.

Nonnulla de marinis vitulis, ac pelamydibus quæſita: deque piſce quodam vexillario.

QVodam manè in crepidine ſcopuli Surrentini noſtri ſedebam cum Vellejo, ibique amicum quendam opperiebamur, qui ad illam diem ſe nos conventurum per tabellarium ſignificaverat. Dum igitur vacui ſedemus, ſic me Vellejus interpellat: Parthenie, verumnè quod Halieut. VII. ſcripſiſti! Cui ego: Quidnam illud? fac, quæſo, ut in memoriam reducas. Et ille: Marinos vitulos, quos etiam Phocas græco vocabulo dicimus, interdum in terris ſom-

An Marini Vituli, ſeu Phocæ, in terris ſomnum aliquando capiant.

ſomnum capere: viſoſque ad Maſſam ad Delubrum, & in Tiberii Cæſaris ſpecu, ſic enim habes: teneo nimirum verſiculos,

Dum nocte ſub altâ
Stellarum radiant orbes, ſuntque uda ſerena,
Egreſſæ turpes ſpumoſo è gurgite Phocæ,
Conſuevere graves captare in litore ſomnos.
Sæpè etiam cœli metam dum luſtrat anhelis
Phœbus equis, placido componunt membra ſopore
Arbore ſub patulâ, aut exeſæ rupis in antro,
Ut ſæpe ad colles noſtri videre Minervæ,
Et cava Teleboum per ſaxa ſonantia fluctu.

Certè cava iſtæc ſaxa, Tiberii tibi ſunt ſpecus. Rectè Conjectas, tùm ego. Quod verò ad quæſitum attinet, dico me veriſſimum, ne dum verum ſcripſiſſe? Turpe enim, & præter artem poëtam docentem comminiſci, cùm enim fingimus, liberè nobis poteſtas eſt quidquid velimus ſcribere, at cùm artem quampiam verſu tradimus, aut hiſtoriam referimus, nulla nobis ſcribendi libertas conceditur. Præterea ità tradit Plinius: & antè illum Homerus, qui ſic cecinit IV.Odyſſ:

Ἀμφὶ δέ μιν φῶκαι νέποδες καλῆς Ἁλοσύδνης
Ἁθρόαι εὕδουσιν, πολιῆς ἁλὸς ἐξαναδῦσαι.

Tùm ille: Ità eſt ut dicis, ſed quî fit, ut illiuſmodi viventia marina cùm ſint, in terris vivant? Cui ego: Quia amphibia ſunt; nimirum nata vivere tùm in aquis, tùm in terris, quippè quæ aërem reſpirant, quocircà mirum non eſt, ſi interdum extra aquam noctu, interdiùque dormiſcant. Eſt Maſſæ ad Delubrum nauta quidam mihi benè notus, cui à pedum vitio, ſive labe tibiarum factum agnomen eſt, ut apud has gentes plerumque ſit; quibus nihil frequentiùs quàm cognomenta hominibus addere; referam hic quod mihi olim accidit, ridiculum oppidò; & ideo dicam, ut rideamus; non enim ſemper contrahenda frons eſt. Et ille: Expecto avidiſſimè fabellam, à riſu redibimus facilè ad ſeria. Tùm ego: Sedebam ad menſulam; totuſque eram in eis verſiculis limandis, quos tu, cùm ſcripta legeres mea, plurimùm laudaſti. Et ille: Intelligo, illos nimirum

Sed quia dimidium cùm plumbùm interſecat arcum,
Tum tormentorum longiſſimus effugit ictus,

Et ego, iſtos ipſiſſimos, inquam, radebam, cùm me puer convenit, nunciatque eſſe ad januam Pontificis filium, meque conventum expetere, & neſcio quid Neapoli deferre. Ego in limando carmine diſtractus, quid diceret non ſatis ad-

Ridicula Fabella de Agnominibus.

adverti, audito tamen pontificis nomine, illicò aſſurgo, pileum aſſumo, in januam convolo, dum verò pergerem, ſic mecum: Deus ſancte! quis hic filius Pontificis? An nothus? ſed quodnam mecum negotium? quid illi cum Surrento? heus puer, intellexiſti rectè? Et ille: Rectiſſimè. Deſcendo igitur, invenioque ad januam puerum ſeminudum cum tabellâ: tùm ego ſuſpicans quod erat, tu ne, inquam, filius Pontificis? Et ille; Ego: deferoque tibi hanc tabellam, quam meus pater heri veſperi Neapoli detulit. Nonne lepidè factum, ac riduculè? Et ille: Lepidiſſimè, at tu totus eras cum Muſis. Tùm ego: Id mihi cùm junior eſſem, accidebat non ſemel, & quoniam ridere cæpimus riſum, foveamus tantiſper illum, ut libentiùs deinde ſeria agamus. Docebam Capuæ Rhetoricam, tantâque ſolertiâ (quæ quidam id temporis quàm maximè deſideratur: nempè in ſenium vergens ætas ſenſim extabeſcit) ut nihil ſupra, vix ſomnum cæperam, & interdum in ſediculâ, cùm ſtatim, vi mihi factâ, aſſurgebam, excuſſâque igniario favillâ, lumen è fomite ſulphureâ reſte accendebam, tranſmiſſoque in ceream ſpirulam, ſtatim lucernam incendebam: factiſque de more precibus, literariæ menſæ aſſedebam, in quam interdum incumbens, exiguum ſoporis præ laſſitudine ſuffurabar.

Auctor literariis curis diſtractus, digitum oleo perunctum, admovit flammæ, ut lumen acciperet, non ſine aliorũ riſu,

Accidit ſemel, ut perturbatâ mente, neſcirem ubi ipſe, ubi lectus, ubi igniarium eſſet; quocirca reſeratis foribus pedem effero, ut ex lucernâ, quæ in deambulacro totâ nocte ardet, lumen acciperem: & certus me habere in manibus è ſicco goſſypio myxum, intingo in lucernæ oleo digitum, lucique admoveo: ſtatimque veluti experrectus aduſtum ſentio digitum. Hic Vellejus magno exclamans riſu, O errorem lepidiſſimum! At illud, Vellei, tùm ego, quod meo præceptori accidit ſingulare, & dignum, quod referam. Et ille; Dic, quæſo, mirum quantam ex his haurio voluptatem. Tùm ego: Gaudeo, quod noſtræ tibi nugæ voluptatem afferant, qua nolo te fraudare.

Alia Fabella priori non abſimilis.

Meditabatur hic carmen ex longo, neque illi Muſæ ex ſententiâ procedebant, ità ut jam penè de exitu deſperaret; quodam manè publicæ menſæ inſerviebat, ut moris eſt, ferebatque orbem æreum, in quo nos ſcutellas cum cibis geſtare in menſam ſolitavimus, at totus erat in carmine illo, in cujus umbilicum jam venerat, at hærebat in quâdam ſententiâ concinnandâ, cùm en tibi in medio triclinio dum fert manubrio orbem ſcutellis polenta oleracea benè plenis, onuſtum, verba in mentem veniunt, ſententia exprimitur, metrum concinnatur, perficitur verſus; tantâque lætitiâ affectus eſt, ut dextram,

dextram, ut fit, præ gaudio attolleret, cumque non adverteret præ mentis alienatione ſe tenere orbem, manubrium dimiſit; excitatus extemplò fragor, ruptæ ſcutellæ, verſatæ in pavimentum pultes, ac jus, & magnus exortus diſcumbentium riſus eſt, ipſe verò quaſi ſtatua, immotus obmutuit. Hic Vellejus tantum ridere riſum cæpit, ut vix ſe tandem contineret, mox haud ſcio, inquit, an magis ridiculum acciderit unquam. At ego: Sed redeamus ad currum, ſatis luſum eſt. Nauta igitur ille, à cujus agnomine jocandi occaſio dedita nobis eſt, narravit mihi, (acerſebam enim ſæpè illum, ut multa de piſcibus, in quibus erat inſtructiſſimus, interrogarem) vidiſſe ſe ad oram maris inter magnum ſaxorum cumulum dormientem vitulum, idque etiam obſervatum à villico noſtri ruris, quod oræ imminet longiſſimæ pergulæ proſpectu amæniſſimum, cui ruri, ni me fallo, ab antiquo quodam Romano equite nomen eſt. Tùm Vellejus: Vidi rus illud peramœnum: deque illius cognomento in tuam ſententiam deſcendo, ſunt pleraque ibi loca, quibus indita Romana vocabula à cognomine familiarum illuſtrium, & rudera in illis viſuntur vetuſtarum ædium, Et ego: Ita enim verò; & veriſimile quippè; Tiberio enim Capreas inhabitante, complures viri principes in hæc loca convenere. Quin & antrum, iſtuc Surrentini noſtri, & magnificus hic per rupis viſcera deſcenſus Romanorum opus eſt quidem certè. Tùm Vellejus: Credo equidem: neque hæc fieri poterant ſine magno ſumptu. Sed pergamus porrò, tùm ego: Ille idem nauta, ſe quondam in Tiberii ſpecum, quæ in Capreis eſt, externos quoſdam homines vexiſſe narravit, qui ut ipſe dicebat, videbantur eruditi, & veterum monumentorum ſtudioſiſſimi, magnoq; avebant opere celeberrimam illam ſpeluncam circumluſtrare, vix facibus accenſis intraverant, cùm gemini vituli, (erant mas, & fœmina, ut nauta coniiciebat) qui ibi erant, facium ſplendore territi, tanto impetu eruperunt, tantâ aquarum agitatione, ut nihil propiùs factum eſt, quàm phaſelus mergeretur. Hic Vellejus: Id ego libens vidiſſem. At ego, tùm ipſe, tanti non emerem ſimili ſpectaculo intereſſe. Sed ut ad vitulos redeamus, viſi ſæpe ſunt per colles litoribus imminentes inter vineas errare, uviſque paſci mirâ voluptate, mox cùm deprehenſi fugiunt, in globum ſe glomerant, præcipiteſque in undas aguntur quaſi cylindri, quod quidem viſu pulcherrimum eſt. Hic Vellejus; Mira ſane narras, at verumne etiam illud, quod II. libro habes hiſce verſiculis.

In Tiberii ſpecus viſi dormientes Marini Vituli.

Maxima ſolicitas curandæ induſtria prolis

Exer-

Exercet Phocas : medio non æquore foetus;
Sed ſiccâ pariunt tellure, caviſque ſub antris;
Diffuſos circùm diſtenta per ubera lactant.
E mammis niveum quoniam lac effluit : ore
Certatim catuli potant, luduntque petulci.

Tùm ego : Ita perhibent graviſſimi authores : idque non ſemel experimento compertum eſſe aſſeverant, quod ego adjungere poſſum, eſt hujuſmodi : Narrarunt mihi compluſculi, viſos eſſe identidem vitulos cum catulis in antris, & collibus : illùcque ventitare frequenter : ex quo conficitur, illud verum eſſe. Tùm Vellejus : Aſſentior. Sed tranſeamus à vitulis, ad Pelamydes quo pacto accidit, ut manibus in arenâ capiantur Rheginâ in orâ ad noſtrum ruſculum, quod eò loci eſt, ubi Mamertini freti anguſtiæ ſunt. Habes enim lib. III.

Quomodo capiantur Palamydes ad fretum Mamertinum.

Haud mora, vibrantur conti, curviq; tridentes,
Fuſcinaquè, & celeres unci : fitque ilicet ingens
Pelamydum cædes, fuſoque cruore rubeſcunt
Spumantes latè fluctus.

Tùm ego ; Etſi innuam eo loco à te notato, & cujus etiam verſiculos memoriter recitaſti, repetam hîc fuſiùs, & enucleatè. Rus noſtrum Rheginum, quod ab arundineto vulgò nomen obtinuit, in eo Italiæ ſitum eſt angulo, qui Pelorum, unum ex tribus Siciliæ promontoriis ſpectat. Sunt autem amœniſſimi colles, qui à litore ſenſim aſſurgunt leni clivo, mox altiùs attolluntur, inque Apenninum tandem altiſſimi elevantur ; partim autem vitibus conſiti, partim pomis, partim moris, quibus totá quæ in litore planities, conveſtita eſt ; ſunt etiam opaciſſimæ in verticibus ſylvæ quercubus, & caſtaneis refertiſſimæ. Tellus ipſa adeò pectita, ut nihil admodùm ſit, quod accedat. Dextrâ Scylla eſt, & Scyllæum, lævâ Rhegini campi, & Cænys amnis : contrà in proſpectu Sicilia, à Mamertinis montibus, qui & Neptunius, ad Æthnam patens : & quæ Siciliæ princeps Meſſana, cujus portu quà natura, quà arte haud ſcio, an quid majus reperias, quaſi falx curvatur, Naturæ artificio tàm mirabili, ut præſtare majus haud ſcio an poſſit, cingitur ſuperbiſſimo palatiorum theatro, ut nihil ſit invenire pulchrius. Et debebatur illa theatri magnificentia, ubi mare continuò adverſis quaſi fluctibus conflictatur. Atque hîc venit mihi in memoriam dyſticon ingenioſiſſimum acuti cujusdam Siculi, quod te audiſſe non pigebit.

Rus noſtrum Rheginum vulgo, *Cannatello*, dicitur.

Meſſanæ Portus mirabilis.

Ampla Theatra vides, quæris ſpectacula? Pontus
Hic geminus geminis digladiatur aquis.

Non-

Nonnè acutum, & elegans? Imò & acutiſſimum, & elegantiſſimum, inquit Vellejus, & idcircò gratias ago, quod recitaveris; faciam, ut nunquam excidat memoriâ. At pergamus ad reliqua. Cui tùm ego: Siculi freti æſtus, qui ſenis quibuſque horis it, reditque, è litore ruris noſtri fluere incipit Taurominum verſus: mox rediens, magno aquarum impetu in idem refluit: videnturque aquæ tàm manifeſtò profluere, ut præterlabentem amnem crederes. Majo menſe cùm ad nos ab Euxino Thynni commigrant, veniunt & unà Pelamydes, quibus Delphines infenſiſſimi: quocircà perpetuò ab his agitantur. Cùm autem in Siculo freto Delphini Pelamydes inſequuntur, hæ fugiunt ab illis velociſſimo natatu, & ſecundo æſtu, atque ob id, in litus irruunt, inſtant Delphines, utqui citiſſimi; tùm Pelamydes quaſi inter malleum, & incudem poſitæ, in litus inſiliunt; & ne Delphinis in prædam cedant, amant capi ab hominibus, qui in arenâ nullo negotio innumeras comprehendunt. Hìc Vellejus: Vidiſti ne unquam feſtivam iſtam venationem? Vidi, tùm ego, cùm eo in rure eſſem, & ſummâ voluptate; tanta enim Pelamydum, tanta Delphinum erat copia, ut magno tractu, magnâque aquarum agitatione mare ferveſceret, pluſquam centum in litus inſiliere, totidemque à Delphinis devoratæ momento ſunt, noſtras quidam, cui ruris cura erat, binas manu cepit, quæ tamen illi carò ſteterunt: totus enim & benè madefactus eſt; cænavimus nihilominus genialiter.

Palamydum feſtiva venatio deſcribitur.

Sub hæc quidam piſcator ad ſcopulum applicuit: rogatque ſi piſcem quendam perquàm rariſſimum, & adeò mirum, ut videre oculis operæ eſſet, emere vellemus. Tùm ego, illum proferri jubeo. Accepit ille, inque ſcopuli acie explicuit; erat oppidò mirus & inſolens: longitudine ſex pedes æquabat, vix dimidium amplitudine, aliquantulum repandus, & planorum genere: craſſitie vix majori ſoleæ ſuppar, color ex cæruleo purpurante, eratque paululùm perlucidus, & perquàm lævis: ut vidi, piſcatorem interrogo, quo nomine appellarent? Et ille: Vexillum, ſive vexillarium piſcem nuncupamus. Quadrat, inquam tùm ego, figuræ cognomen, ſimilis enim erat vexillis illiuſmodi, quæ ad mali verticem ſuſpendere ſolitaverunt. Quem cùm duodeviginti aſſes vendidiſſet, accipe, inquam, pecuniam, & ſi quid dubium erit, immutabo; ille cùm vidiſſet, Optima, inquit, piſcatumque iterum abiit. Tùm Vellejus: De piſce iſto tu nihil in Halieuticis. Fateor, tùm ego: Verùm illum nunquam videram: neque de eo quidquam apud Ichthyologos obſervatum reperi, quanta

De Piſce Vexillario nulla mentio in Halieuticis; quia non dum erat cognitus Vati.

ſunt quæ nos latent? quota pars rerum nobis cognita? minima quippè.

Intereà loci dum hæc loqueremur, nos amicus oppreſſit: cùm enim crederemus marino curſu ad nos venturum, terreſtri itinere, mulo vectus devenit, perque rus tranſiens in ſcopulum deſcendit, noſque illic præſtolantes improviſus aggreſſus eſt, quem cùm amplexati eſſemus, nobiſcum ſeſſum recepimus. Mox, ſi quid Neapoli novarum rerum ad ſe allatum eſſet, interrogo. Et ille: Gratam mihi ab eruditiſſimo viro Antonio Magliabeco (qui tibi, tuiſque Muſis devinctiſſimus) miſſam Florentiâ epiſtolam accepi, quâ me de novâ editione Petri Francii, quem ego authorem numquam legi, certiorem facit, illiuſque elegans in eâ epigramma tranſcripſit, quod etſi non tibi (ſcio quippè ingenium tuum) erit certò Vellejo iſto tuo perquàm gratiſſimum. Cui tùm ipſe: Qua de re ſcriptum? Et ille: In tua Nautica, & Halieutica. Ego vero: Omittas, inquam, quæſo, neque velis me rapere in invidiam. At Vellejus: Si Parthenio non placet, recites mihi, amabo. Tùm ille meis ingratiis illicò recitavit.

Petri Francii elegans epigramma de Parthenio.

Nomine Parthenius dictus Maro carmina ſcripſit
Formoſo recubans litore Parthenopes:
Carmen ad exemplum docti, geniumque Maronis
Parthenopes ſcribit litore Parthenius.
Rura Maro cecinit, pecudumque, hominumq; labores:
Lina, plagas, piſces, & mare Parthenius.
Nobile Parthenopes ambo decus, ille per agros,
Iſte per æquoreas uſque canetur aquas.

Ut recitavit, Beaſti me, inquit Vellejus, carmine tàm mundo. At ego: Coquinaria iſtiuſmodi verba, quibus mihi blandiri vultis, me de prandio admonent: ſinite igitur, ut illud accuratum eam; ſtatimque, illis pro ſcopulo relictis, domum me corripui.

CAPUT III.

Occaſione cujusdam Simiæ perquàm lepidæ, feſtiva quædam hiſtoria de Simiis Indicis, quæ ſe internecino odio perſequuntur, refertur.

QUodam manè egreſſus rure motandi corporis cauſâ Surrentum petebam: aderant mecum M. Junius, & Sextus Niger, qui fortè ſub illos dies me Neapoli tùm oblectationis, tùm officii gratiâ convenerant. Et quoniam ſemper ſapientiam, & gravitatem præſtare viſi ſunt, ſummo

apud

apud me loco, ſummâ exiſtimatione habiti: jam confecto viæ dimidio], quod hinc inde amplexantibus ſeſe frondoſis arborum ramis, opacum eſt, & ſolaribus radiis veluti interpictum, in ædes cujusdam viri nobilis, mihique amiciſſimi perveneram. Hîc illum pro foribus offendi, quem, ut primùm video, ſtatim ſaluto, proſperumque diem impertio. Ille viciſſim, & perquàm benevolè ſalvere jubet, & lætum mihi diem ominatur. Poſteà verò me rogat, ne gravarer ſubſiſtere tantiſper ſub porticu ædium ſuarum: ex quâ pulcherrimus ad mare proſpectus patebat, atque hæc dicens penulam cœpit. Ego, ut viro benevolenti morem gererem, etſi ulterius ire conſtitueram, tamen ſcindi penulam paſſus non ſum. Ingreſſi igitur atrium ſub porticu ſedemus. Erat hîc Simia quædam perridicula, quæ ſimul, atque nos vidit, ut ſunt hominum imitatrices, ſtatim nos ſalutat humano modo: oſculum ſcilicet manu porrigens, nos ne erga beſtiam tàm urbanam inurbani videremur, illam eodem prorſus modo ſalutamus, quâ illa viciſſitudine officiorum mirum quantum gaviſa eſt, nihil ſanè honeſtius grato animo; quandoquidem id manifeſtiſſimis ſignis ipſa etiam bruta approbant. Intereà loci, dum hæc mutua officia exhibentur, puer ex horto adeſt, quaſillum ferens ficis tùm dulciſſimis, tùm frigidiſſimis, quippè quæ matutino rore affatim imbutæ etiam, benè plenum. Tùm amicus me rogat, ut hortuli ſui ficus guſtarem: illas eſſe delicatiſſimas, & perquàm raras; erant autem Lydiæ mamillanæ, tàm grandes, quales nullibi unquam conſpexeram: Illi ego gratias ago pro ſuâ in me benevolentiâ, quam mihi continuò præſtabat: cæterum illud ſtomacho noxium futurum, quippè delicatiſſimo, neque mihi id moris eſſe, ut diem frangerem adeò tempeſtivè. Tùm ille Junium, Sextumque rogat, ut ſaltem ipſi, qui juvenes, ac vegetiores erant, ficus aliquot comeſſent. Cui tùm illi: Ne inurbanitatis, inquiunt, arguamur, unam, vel alteram delibabimus. Intereà cum Simia videret me à ficis continere, geſtu perquàm humano, rogat, ut quas ego nollem, ficus porrigerem ſibi: dextrâque manu ſtomachum premens, & validum eſſe, & vegetum indicabat, mirum oppidò bruti animantis ingenium. Tùm ego binas ficus, & mites, & grandiuſculas accipio è quaſillo, Simiæque porrigo. Illa verò (mirabilis certè quidem animantis indo es) lævâ ficus accepit, dextrâ verò manu totidem mihi oſcula porrexit: nempè accepti muneris gratias agens, quam grati animi ſignificationem ſæpenumero in homine deſideres. Deinde ficus diligentiſſimè mundat, detracto nimirum cor-

De Simiâ quadam perridicula Hiſtoria.

tice duriuſculo juxtà pedunculum; mox geſtu nos admonet, ut ipſam, quodq; factura eſſet, inſpiceremus: cùm omnes ad fabulam convertiſſent ſeſe, atque avidiſſimè expectarent quodnam ridiculum datura eſſet, illa, poſtquàm multam de ſe expectationem movit, ficum rectà ſurſum jacit, ſimulque hiantem buccam rectà item in cœlum convertit, quaſi rectà collimatura in ſcopum. Et quidem tàm dexterè os admovit, ut relabentem ficum ita ore exceperit, ut ne tranſverſum quidem unguem aberraverit, quam cum deglutiſſet, nos plauderemus illius dexteritati, tantâ lætitiâ geſtire viſa eſt, ut & mirum eſſet, & perridiculum: uſque adeò vel bruta ipſa datæ diligenter, ſcitèque fabulæ gloriolâ capiuntur.

Hic ego, ut amicorum riſum, ac feſtivam illam hilaritatem foverem, (ſcio quippè me fingere ad omnes horas) oſtentatam occaſiunculam illicò arripui. Audite, quæſo, inquam, de Simiis quibusdam Indicis ridiculam quandam hiſtoriolam, quam narrare operæ pretium auribus erit, illam tamen paucis complectar: nam diutiuſculè immorari prandium, de quo mihi videndum eſt, non finit. At Amicus: Quæſo te per noſtram amicitiam, ut illam pluribus, atque otioſus exponas: prandii nihil admodùm tibi curæ ſit: nam vel apud me prandere poteris: vel ſi gravaberis, mittam duo fercula non inſcitè adornata, nimirum Leucophacum delicatiſſimum, & vitulæ frixum jecuſculum. Cui ego: Gratias ago, quod tantis me beneficiis complectaris, quibus ego nunquam reſpondere potero; cæterum apud te manere non poſſum, etiamſi ſcindas lacinia: fercula, næ ego ruſticus, qui reſpuam: hinc fabulam adorior. In illo Indiæ tractu, qui Orientem, & Gangeticum ſinum ſpectat, circa Meliaporem illius oræ principem urbem, campi quidam ſunt arenoſi, qui ad eos uſque montes pertinent, qui quaſi Apennini peninſulam illam medii ſecant. Hoc loco ſic Sextus interpellat: Erunt fortaſsè hi montes Adiſathrus, de quo tu hæc habes VIII. Nauticorum.

Humanæ in ſpeciem linguæ ſe terra ſub Auſtrum
Porrigit: Adiſathrus medium ſecat arduus illam,
Antiquam velut Heſperiam pater Apenninus
Dividit, Alpe vagus dum currit ab uſque nivoſâ.

Cui tùm ego: Rectè conjectas, & tibi quidem gratias ago, quod meos verſiculos, quos intelligo tibi cordi eſſe, recitaveris: illorum enim in me memoria occiderat, ſed pergam porrò. In illiuſmodi campis ſylvæ quamplurimæ ſunt cujusdam arboris, qui arundinis noſtratis præ ſe ſpeciem gerit. *Bambucum* barbari vocant, iſtæc verò arbor,

adeò excreſcit, ut altiſſimos arbores æquet, trunco duro; & latiore, illis longo hinc, illinc ordine viæ prætexuntur, tantâ multitudine, ut magnas videre ſylvas liceat, ſolum latè inumbrantes. In hujuſcemodi ſylvis incredibilis penè Simiarum multitudo inhabitat; ſed, quòd ſanè perquàm mirum eſt, duos veluti in populos diviſæ: quæ lævam tenent, gens una eſt, altera verò, quæ dexteram occupant, inter illas nulla omninò commercia; imò perpetuum bellum eſt, ſeſeque internecino odio perſequuntur: habent quippè bruta ſua regna, lares ſuos, ſuas item factiones, quorum cauſsâ, & odia alunt, & bella gerunt. Hujuſmodi Simiæ coctæ oryzæ conditæ ſale patrio quammaximè appetentes: & ut illam nactæ ſunt, avidiſſimæ convolant: quocircà accolæ gentes, quibus illarum cognita, perſpectaque ſunt ingenia, brevi apparatu, ſed magno riſu, ac voluptate feſtiviſſimam ſibi comœdiam comparant hoc modo. Compluries ſcutellas oryzâ plenas certa per intervalla diſponunt in viâ, juxtà verò ſcutellas plurimos vel fuſtes, vel baculos tornatiles bipedales, latoſque uno digito collocant, deinde certum in locum, ex quo tabulam, dicam veriùs gladiatorium ſpectaculum, extra ictum ſecuri cernere poſſint, derepentè recedunt. Simiæ ſimul ac primùm è ſylvarum verticibus, quibus excubant, oryzam conſpicantur, ſtatim in prædam advolant. Videres geminos Simiarum exercitus hinc, inde inſtructos jam jam prælium inituros: Victoriæ verò candidam pultem præmium futuram, illam item & laurum, quâ victrix acies donanda ſit.

Inter Indicas Simias perpetuum Bellum.

Simiæ quàm maximè appetentes oryzæ coctæ, patrioq; ſale conditæ. Hæc Victoriæ Præmium, & pugnæ occaſio.

Principiò minis ſibi mutuò incuſſis velitantur hoc modo: dentibus frendent, frontem caperant, micant oculis, malas diducunt, linguam exerunt, ſeſe quaſi conviciis præſcindentes: manus jactant, digitos incurvant, imbricatiſque unguibus laniatus minitantur, ad ſummam, geſtus tàm varios, tàm ridiculos faciunt, ut illiuſmodi velitatio feſtiviſſimæ inſtar comœdiæ ſpectatoribus ſit, quæ vel à ſeriis, atque tetricis quammaximè hominibus riſum ſolutiſſimum extorqueat. Poſteà verò quàm in hunc modum diù velitatum eſt, ſigna conferuntur: etenim confidentiores factæ, irruere incipiunt, cominùs pugnaturæ: verùm illicò ab adverſariis territæ, tenent ſeſe; reſumptis mox animis, inſtant audaciùs, ſeſeque veluti adhortantes, urgent: ſed ſtatim dubiæ ſubſiſtunt; tandem timidæ pedem referunt. Rurſus magno impetu, ac clamore, facto veluti claſſicis ſigno, audaciſſimæ quæque in prædam ſimul, ac periculum irrumpunt (hæ verò fœminæ ſunt, & illæ vel maximè, quæ inter mammas ſimiolos habent, nempè quæ acriùs fame vexan-

Velitationes Simiarum, mox certamen.

xantur (quæ magnum eſt in pericula incitamentum) occurrunt confeſtim adverſariæ, illas, vi factâ, propulſuræ, ſibique paratam prædam vendicaturæ: Verùm enim cum fuſtes, ac baculos illos ex induſtriâ ibi poſitos in promptu habeant, ſtatim corripiunt utrâque manu, atque hiſce armis pugnam committunt. Hoc loco Amicus: Iſtæc profectò ſcæna totius operis feſtiviſſima. Tùm ego: Rectè quidem conjectas, quammaximè perridiculum enim eſt videre Simias ſeſe mutuò verberantes, ac veluti fuſtuarium infligere tantâ irâ, tanto impetu; ut quam longè ſtrepitus fuſtium, & malè multatarum clamor exaudiatur: tandem ut diù variâ fortunâ pugnatum eſt, terga dant victæ, ſeque in ſylvis occulunt, hic autem videre eſt, non ſine oblectatione multâ, multoq; riſu Simiarum quaſdam fracto verberibus capite, quaſdam mutilatas, quaſdam verò benè exoſſatas, omnes tamen magnis ejulatibus terga vertere, victrices vero convolare in prædam, oryzamque perquàm avidè devorare, atque hic finis & pugnæ, & comœdiæ eſt, cui multis cachinnis applauditur. Hæc cum dixiſſem, aſſurreximus, rogoq; amicum, Numquid Surrentum, vel domum vellet? Et ille: Nihil admodum, niſi vobis benè ſit. Ego verò: Idemque tibi cupimus: teque ut ſartum, tectumque ſerves, nec pluribus interpoſitis, Surrentum faceſſivimus.

Et Baculis pugnant.

CAPUT IV.

Amiciſſimi viri rus, & retia circumluſtrantur; & ſumptâ à venatione occaſiunculâ, multa ſcitu digna de Ficedulis, & marinis Coturnicibus notata.

VEſperarum precibus pro more recitatis, ad otium, ut aliquid laxamenti caperem, ſedebam, cùm me Sextus Niger, qui valetudinis cauſsâ non multis antè diebus in Surrentinum venerat, à ſomnulo excitatus adit: ut vidi, Contulitne tibi, inquam, hucuſque hæc noſtri cœli pacatiſſima temperies? Et ille: Propemodùm, ſiquidem, non tanto, ut priùs, teneor cibi faſtidio, non adeò crebri me torquent ructus, nec tàm frequens ventris me vexat dolor: quæ quoniam languentis ſtomachi vitia erant, nunc illum minus laborare confìcio, neque mi tanta gravedo eſt, quá penè deperibam: quocircà ſpero fore, ut brevi convaleſcam. Tùm ego: Gratulor tibi, mi Sexte, mihi ſummoperè gaudeo, nam, ut planè noſti, te filii loco du-

Dum Viri amiciſſimi rus circumluſtrat Auctor, illum venationi vacantem reperit.

duco, atque unicè amo. Et ille: Id mihi plurimis argumentis jamdiù perſpectum eſt: & hoc præcipuè, quòd me in rus vocaſti iſtuc tuum: quare ſi valebo, tui beneficio valebo; ne verò ingrati animi arguar, curabo nervis omnibus, ut totus tibi valeam. At ego: Quod aveo, eſt, ut bonâ utaris valetudine, cæterum quidquid à me tibi præſtitum, tibi debes: tui enim merito factum. Verùm eamus, in vicinum rus, ut tantiſper animum relaxemus: nolo enim te longâ ambulatione vexare, ni priùs integrè convaleſcas. Eſt ibi amiciſſimus vir, idemque venator inſignis, ſi aves aliquot fefellit, dabit mihi certò; & ego tibi apponam hoc veſpere: nihil enim domi mihi hodie ad manus. Tùm ille: Veniam libenter: mirum enim quantum mihi ad valetudinem conferat per aperta, & amœna ſpatiari: quin & ipſe novi aëris hauſtus perquàm ſaluberrimus, verùm de avibus curam omitte: ſat erit puls candida ex vermiculis edulibus, vel medullâ, vel butyro elixis; quos meus ſtomachus recipit ſine faſtidio, ſi falernum pyrum addas, & fruſtum caſei Martii Lucani, cænabo baſilicè. Tùm ego: Iſtuc adornare nullius eſt negotii, laudo tuam temperantiam, quæ medicatiſſima res eſt: nec quidquam tuo morbo magis prodeſſe poterit. Sed eamus tandem. Et ille: Præſto ſum. Aſſumpto igitur baculò petaſati procedimus. Ut verò ad ruris fores pervenimus, illas baculo pulſare cœpi: nempè cornix exciderat. Adfuit paululùm poſt puer: rogatque quis fores pulſaret? Cui ego: Amici quidam, qui dominum conventum expetunt. At ille: Intempeſtivè veniſtis: nam dominus venationi, quam habet in deliciis, intentiſſimam dat operam, ut neque ſe à Prætore conveniri vellet. At ego: Reclude tu fores, illud ego viderim. Tùm ille: Si ità, ingredimini, cumque fores aperuiſſet, ſinite, quæſo, inquit, præcurram, ut de veſtro adventu admoneam. Tùm ego: Ne facias: illum improviſi volumus opprimere; tranſmiſſo igitur limite, in hortum irrumpimus: illumque ficedulis imminentem, nec quidquam de nobis ſuſpicantem aggredimur, ille ſimul ac nos vidit, eodem temporis momento, & ictum dirigit, ſclopumque explodit, quo duas ficedulas confecit, & ad nos advolat, & comiter complexus, benevolentiſſimè ſalutat. Et felix, inquit, fortunatuſque mihi dies procedit, adventu veſtro, ut illud uſurpare poſſim tàm tritum, contigit & malis venatio, ſed quod meo meritò non debebatur, datum eſt auſpicio veſtro, ut & quam malis avibus incæperam, nunc bonis perficiam venationem. Imo tùm ego volumus, ut illam continues, & quoniam ſecundus æſtus, navigandum: nolumus enim,

Amicorum officia deſcribuntur.

enim, ut noſtrum gratiâ tantâ te voluptate fraudes. Jam ſatis, tùm ille, & abundè venationis eſt veſtra præſentia, quâ hunc mihi diem facilem, luculentum, atq; impetrabilem dediſtis: illumque ſignabo, ut dicitur niveo lapillo: cujus profectò memoria mihi ſemper erit jucundiſſima. Tùm ego: Mittamus iſtæc ſtudiorum officia: ſcis me hominem ſimplicem, & moribus antiquis, Inſiſte venationi, ut cæperas, & quoniam bona ſpes oſtenſa eſt, utere. Ille verò, utpotè vir hominum, quotquot novi, urbanitate limatiſſimus. Ne ego, inquit, malemorigeratus, qui, vobis reſiſtis, venationi navem, chariſſimam quantumvis mihi, operam. Tùm ego; Imò, quæſo, ut inſiſtas: nobis voluptas eſt te venantem videre, ſequemur ſummâ voluptate, imò ſic etiam in partem prædæ veniemus: nam, ut militiæ lex eſt, non ſolum qui manus conferunt, ſed etiam hi, qui ad ſarcinas ſedent, in partem prædæ, & victoriæ admittuntur. Tùm illæ: Quando ſic jubetis, morem vobis geram, utinam mihi, ut jam cæperant, fortunent Superi hanc diem. Verùm, ſi vobis id potiùs eſt, eamus prius ad retia, quæ per hortum tetendi; fortaſsè inveniemus prædam. Tùm ego: Eamus: cadit quippè ex animi ſententiâ; cupio enim, ut meus hic juvenis, qui præpeditur diutino morbo, per hortum recreetur. Tùm Sextus: Veniam certè lubentiſſimè, iſtuc enim, Parthenie, ut dicis ex longo deſiderabam: neque unquam copia fuit, nunc oblatam occaſiunculam arripiam utrâque manu. Ego vero: Tibi Sextus hic dies luculentus fluit, habebis, ſpero, quo lautè obſones. Ubi verò ad primum rete per quàm amplum venimus, totum oculis perluſtramus, ſi illo aves implicarentur. verùm poſtquam hàc, illàc oculos, animumquè verſavimus, nihil omninò prædæ deprehendimus. Hic Sextus: Triſte principium, inquit, malo quippe alite auſpicamur. Tùm ego: Imò nec bono, nec malo, nempè nullo. Sed bonâ ſpe eſto, nam ut optimè Naſo, quem lectitare te frequenter ſcio; & tibi ſimilitudine perquam charum eſſe.

Retia ad Ficedulas capiendas parata circumluſtrant non ſine præda.

Flebile principium, melior fortuna ſequetur.

At Sextus: Iocaris, Parthenie, meque afficis ſcommate: Tùm ego: Nempè ut ſic te mærore levarem. At Amicus; Inferamus greſſum in illud, quod inter illas arbores, cujus baccæ gratiſſimæ ficedulis ſunt, explicatum eſt: uberem ſæpè ibi prædam inveni. Ut brevi perventum, ſtatim aves proſpicimus: quocircà læti, atque hilares rete demittimus. Divinavi, tùm Amicus: En quatuor ficedulæ majuſculæ, pinguiſſimæ. Imò, ſex, inquam, ego: en ibi duas alias implicatas. At ille: Illiuſmodi aves frigillæ ſunt, verùm id tempo-

temporis, quo maturis ſe ficis ſaginant præpingues etiam, nec multùm à ficedulis diſcrepant. Hic Sextus: Hem, inquit, paſſerculus, hic certè mea erit præda, Tùm officioſiſſimus, idemque liberaliſſimus noſter amicus: Imò, quæſo, ut & has, & quas ſub veſtrum adventum occidi, etiam accipias. Tùm ego, Minimè verò: partiemur ex æquo. Ille vero: Neutiquam id patiar: neque tibi hâc in re morem geram, quippè quàmpauciſſimæ admodùm, ut ſi partiri velimus, nec mihi, nec vobis ſuffecturæ; præterquamquod hâc ego die, ex antiquo voto, à carnibus abſtineo. Tùm Sextus libenter officioſam illam vim devorans, Gratias ago, inquit, quàmmaximas: propinabo tibi ex animo. Intereà loci dum hæc diceret, advertit ille in ſummo ficulneæ ramo binas ficedulas inſidere, quocircà cùm nobis digito, S t, illicò ſclopum dirigit, collimat, explodit; & quidem tàm dextrè, ut ne tranſverſum unguem oberraverit; ambaſque confecit, accepitque tantâ lætitiâ, ut nihil ſupra: & hoc, inquit ad Sextum, erit auctuarium. Accepit ille, & gratias egit quàmplurimas. At ego: Amice, ut video tibi Procridis telum: quodcumque vis, aſſequeris; ut meritò de te illud Euripidis dici poſſit,

Βεβληκ' Α'χιλλεύς δύο κύβυς, κάι τέσσαρα,

Ille verò: Nimirum? Tùm Sextus, explicabo ego illud; At Amicus: Rem gratam mihi facies; nam Græcis literis operam non navavì. Cui Sextus:

Jecit Achilles duas teſſeras, & quatuor,

Tùm ille: Totum id vobis debeo, quando veſtro auſpicio factum eſt; ſed eamus, quæſo, ad proſpectum maris, ut ibi ſedeamus tantiſper, non enim amplius venationis tempus. Tùm ego ſubridens; Nempè partâ gloriâ contentus, non vis illam ſiniſtro aliquo ictu corrumpere, benè facis: nempè tenendus ſemper in rebus modus: aurea enim, ut ait poëta, mediocritas eſt, ſtatimque ad proſpectum maris ire pergimus, ibiq; tandem in paratis à famulo ſedibus cuncti conſedimus.

Hic ille, cum de avibus illiuſmodi ſermo illatus eſſet, quædam, inquit, de ficedulis obſervavi, ſcitu quidem digna, & quibus Autumnos tuos locupletare poſſis. Cui ego: Cedo, inquam quæſo: referam illa in meos Autumnos, quibus infarciendis operam do. Et ille: Obſervatum primò eſt Ficedulas, ut novæ incolæ in hæc noſtra rura commigrarunt, biduò, vel triduò formicis victitare: & ſic purgare aluum venatores ferunt, deinde ficis, uvis, bacciſque aliarum arborum ſe uberius ſaginare. Tùm ego: Quo id tu experimento? Et ille: Hoc, quod mihi in promptu

Ficedulæ biduò, vel triduo formicis victitant; ut alvum purgent: deinde ficis, uvis, &c. ſe ſaginant.

ſemper eſt, In extremo illius pulvini juxta horti limitem; quercus eſt pervetuſta; ubi formicæ ſuas caſas ſtruxere, & in quam ex proximo pariete, nigro agmine, ut ait poëta, progrediuntur; ibi ficedulas, ubi primùm ad has oras convolarunt ſæpè deprehendi formicas venari, atque avidiſſimè deglutire; id ipſum ſæpiùs comperi, in altâ illa populo, quæ etiam in limite conſita eſt; & ab aliis pariter obſervatum, qui in haſce aves quotidie imminent, accepi. Atque idcircò, opinor, novitiæ cum ſunt noſtri ruris, macilentæ, & minus ſapidæ. Tùm ego: Probabile id quidem. Ille vero, Atque Audite: Biduò antequàm tranſmarinas in oras hinc commigraturæ ſunt, viſæ cibi abſtinere, ac ſolitariæ in altiſſimis arborum verticibus, quaſi triſtes admodum immorari. Crediderim ægritudine affici, quod peramœnas haſce oras relicturæ ſint, inque longum exilium profecturæ. Tùm ego; Credo equidem: quis non ægrè ferret ab Elyſiis hiſce amœniſſimis divelli? verùm cur ſe à cibo continent? numnam, ut ſaginam illam præpinguem decoquant? nempè ut graciliores factæ, expeditiùs, depoſitis veluti ſarcinis, avolent. Et ille: Rem ipſam putaſti. uſque adeò mira eſt in brutis natura, imo tantâ interdum cautione, cautione autem? imò prudentiâ bruta animantia ad propriam utilitatem utuntur, ut ne tantam ipſi homines adhibeant, quippè in his cæcutit nonnumquam ratio pravis affectionibus obfuſcata, à quibus tamen bruta, ſunt immunia. Cui ego: Ita eſt, ut dicis, haud equidem videbis pecudem ſupra menſuram, quam ipſius natura ferat, ſe ſaginare: quando homines ita modum excedunt, ut ſæpè præ nimiâ crapulâ intereant.

Antequam tranſmarinas in oras commigraturæ ſunt, biduò cibo abſtinent, ac ſolitariæ fiunt, quæritur cauſa.

Sub hæc puer adeſt, nunciatque domino jam nautas cymbam deduxiſſe, atque illum ad oram opperiri. Cui tùm ille: Fac, ut iterum ſubducant, nunc humaniſſimis hiſce viris par eſt, ut inſerviam, qui me inviſere dignati ſunt, meque ſuâ præſentiâ cohoneſtare. Tùm ego illi: Quoniam conſtitutum tibi erat, cymbâ vehi animi gratiâ, quæſumus, ut pergas: & ni grave tibi futurum ſit, veniemus tecum animis lubentiſſimis, imò gratias agimus quòd nos ad relaxandum animum marinis auris deducere digneris. Et ille: Quando ſic jubetis, morem geram. Verùm antequàm deſcendamus, quæſo, ut cucumim delibetis: qui quoniam biduò ad frigus concipiendum in antro repoſitus, erit frigidiſſimus: & ſanè in hiſce caloribus quadrat ſtomacho. Statimque in lance argentea, in orbes diſſectum inferri juſſit; cùm igitur dimidium orbis guſtaſſem, Exquiſitiſſimum, inquam, eſt, tùm ſapore prædulci, quo ſapit palato, tùm co

lore purpurante, quo etiam oculos paſcit; eſt pariter tàm gelidus, quàm qui maximè, fateor me raró admodum quid ſimile guſtaſſe. Mox ad oram maris deſcendimus, ille ſclopum ſecum ducens, Ne grave ſit, inquit, me venatorio apparatu venire, venabimur fortaſsè coturnices aliquot marinas. Cui ego: Imò, quæſumus, ut ſic venire placeat: facies nobis rem optatiſſimam, ſtatimque cymbam inſilivimus, juſſuſque eſt navicularius propter ſcopulos porrò cymbam agere remo ſuſpenſo, ut ſiquæ per ſcopulos curſarent aves deprehenderemus. Cum verò in acie cujuſdam ſaxi quinque aves conſpicatus eſſet, jubet ille navicularium inhibere remos, atque ita ad nos: Attendite, nam ſi fortuna faverit, hic ictus erit memorabilis. Cui ego: iſtuc expectamus intentiſſimi. Dùm verò ille collimaret, aves unà omnes avolarunt, inque alterius ſcopuli crepidinem ſeſe demittunt; haud mora, illùc cymbam impellimus, collimatque iterum arte tàm mirâ, ut nihil ſupra, cumque ilicet ſclopum exploſiſſet, ex quinque tres confecit, confeſtim horiam ad ſcopulum applicamus, & ſummâ animi voluptate aves accipimus, quarum una erat jam mortua, duæ vulneratæ hàc, illàc per aquas ſaliebant, ut non ſine labore aſſequeremur, mirum quantum geſtire viſus eſt, & nos ſimul cum illo lætati magnopere ſumus; plauſimuſque magnâ acclamatione. Poſt deinde cùm avem unam ex ſauciis accepiſſem, rogo quænam illiuſmodi aves eſſent? nunquam enim illas me vidiſſe memineram. Et ille: Hæ aves marinæ coturnices vocantur: quæ ex tranſmarinis etiam regionibus ad nos commigrant, ſed non tantâ copiâ, quantâ reliquæ coturnices: marinæ appellantur, quod ſecùs litora præcipuè ſcopuloſa pervagantur: victitant plerumque muſcis, quibus mirum quantum inhient: & marinis item inſectis, ut ſunt, culices, lumbrici, cæteraque hujuſcemodi animantia, atque idcircò marinum redolent odorem. Tùm ego: Si ità nec veſcæ, nec gratæ erunt. At ille: Imo edules, & gratiſſimæ: nam ſi excuteratis tritum allium in viſceribus condas, caſtigatur ille maris nidor, pectuſculum carnoſum, & ſolidum: nec adeò pingues, ut aliæ coturnices, quibus haud libenter veſcor; hiſce verò, fateor, plurimùm delector; quæſo, ut in his vos periculum faciatis, quas ut in mei grati animi ſignificationem accipere ne gravemini, quæſo, atque obſecro. Tùm ego: Nobiſne hodie venaris? noſtrone commodo tantum laboris? obſonabimus ne hodie tuis jacturis? Et ille, utqui ſingulari vir comitate, nunquam ſanè, fateor, tantum me lucri feciſſe, quantum hodie, quo vos me ſingulari beneficio complexi eſtis. At ego: Quan-

Marinæ Coturnices quæ, & quibus cibis veſcantur?

Quando ſic jubes: geratur mos tibi. Mox aves iterum contemplor: erant quippè viſu pulcherrimæ, reliquis coturnicibus paulò minores ſunt, roſtrum habent longius, atque aduncum, pennæ læves, & nitidæ, color circa collum ex cæruleo purpurans, in reliquis partibus violaceus dilutior. Poſtquam autem multum per ſcopulos pervagati eſſemus, quoniam jam dies extabeſcebat, domum reverſi ſumus.

CAPUT V.

Recitatur quædam epiſtola ab amico data, ubi perridicula quædam de pignoratitiâ ſue fabula ennarratur: utque leones facibus, quas pertimeſcunt capiantur.

A Meridiano ſomnulo ad umbram cum Quinctio confabulabar, & dè Lucilio, qui nihil ad nos literarum dederat, conquerebamur, & quidem acriùs in illum Quinctius, cui ardentior bilis erat, & mordax ingenium, invehebatur. Audiſtin'inquit, quanta nobis, cum diſcederet ſe facturum ſpopondit? verùm hucuſque ne ſyllabam quidem tranſmiſit, ut quid Neapoli agatur, quomodo amici valeant, quid ex tranſalpinis regionibus allatum ſit novi ignoremus omninò. Cui ego: Quid facias? ſic hominum ingenium eſt, cùm preſentes ſunt, præſentique obſtricti beneficio, montes aureos, ut dicitur, promittunt; mox ut ſe ex oculis ſubſtraxerunt, occiditque memoria præſentis beneficii, quaſi lethen bibiſſent, vel mandragoram, ut ajunt, obliviſcuntur omninò. Sed quæſo, ne carpamus abſentem, quem præſentem non certè contriſtaremus, fortaſsè vel negotiis præpeditus omiſit, vel, ut plerumque fit, tabellarii'negligentiâ literæ interciderunt. Egó ſic in animum induxi, ut non niſi tardè, & maturo judicio de aliis judicem: nimium enim properata judicia falſa plerumque ſunt. Præterea cavendum, ne de amicis ſiniſtrè loquaris: quippè tolerandum in amico vitium. Et ille: Amandum igitur nobis vitium eſt? Cui ego: Minimè verò. Amandus enim cum vitio amicus: non vitium in amico. Cæterum, tecum ſic ſtatuas, velim, quemadmodum ego cum memet ipſo jamdudum conſtitui, multa eſſe, quæ alii in te tolerent, nullus enim quamvis probus, culpâ vacat; notatur quiſque ſuo nævo, ex quo illud conficies, multa eſſe, quæ à te in aliis tolerentur. Tùm Quinctius: Vera loqueris nam, ut optimè poëta, Quiſque ſuos patimur Manes. Intereà loci dum hæc diceret, adeſt puer; nunciatque ad fores eſſe quendam cum

Tardè, & maturo judicio de aliis judicandum.

cum faſce literarum ſatis magno. Cui ego: I, atque illum ad nos introducito; ad Quinctium verò, hic venit à Lucilio; quare mox rem totam ſciemus meliùs vate. At puer cùm vectem amoviſſet, tabellarium introduxit. Quem ut vidi, Undenam, inquam, venis? Et ille: Maſsâ ad Delubrum, ubi hunc mihi faſcem ad te perferendum illius domus œconomus dedit. Hoc loco Quinctius: non igitur veniunt à Lucilio inſcriptæ tibi literæ. Tùm ego: Mane adhuc, faſcemque accipio, & ſatis, inquam, Quincti, ponderoſa hæc epiſtola, erit certò plena omnium rerum, mox reſigno, invenioque binas alias: quarum una erat maxima, altera verò minuſcula, primùm illam recito, quæ alias incluſas continuerat, iſtæc autem ſcripta:

EULALIUS PARTHENIO SUO S. P.

Accipe, ò mihi amiciſſimum, & Muſis caput, hanc epiſtolam feſtinationis plenam, & pulveris, quam eodem loci veſtigio, & temporis, quo in litus appuli, ad te ſcribo. Impetratâ à Prætore facultate, rectà ad te venire conſtitueram, ut triduo apud te eſſem; diutiùs ut manerem, extorquere non potui. Quoniam verò phaſeli, qui iſtùc veniebant, omnes certis hominibus locati erant, coactus ſum Maſſam ad Delubrum divertere, ex quâ ſtatim ad te veniſſem, niſi longiuſculum iter abſterruiſſet, & laſſus etiam eſſem à nauſeâ, quæ magnam mihi moleſtiam intulit. Veniam igitur craſtinâ die, ut primùm illuxerit, uti Solem evitem: intereà nolui prætermittere, quin te de meo adventu certiorem facerem; mitto tibi binas literas, quas ad te perferendas mihi dederunt Lucilius & M. Junius, multa tibi habeo, quæ dicam, & ea perquàm lepida: interim legito Lucilii epiſtolam, habet fabulam oppidò deridiculam. Vale. Maſſæ ad Delubrum xix. Kal. Octobris. MDCLXXXV. *Eulalii epiſtola ad Parthenium.*

Ut recitavi, ſtatim Quinctius: legamus, quæſo, Lucilii Epiſtolam; aveo audire quæ ſit lepida illa fabula. Tùm ego: Id etiam deſidero, nam ſolet ille amœna, & feſtiva tranſcribere. Illicò igitur epiſtolam ſolvo: recitoque hoc modo.

LUCILIUS PARTHENIO SUO S. P. D.

Si tu, & Quinctius valetis, benè eſt: gratulor ex animo. Ego non plane benè, vix Neapolim redii, cùm me ſto- *Lucilii epiſtola ad Parthenium.*

ſtomachi faſtidium iterum invaſit, & quædam tuſſula, quâ non parum torqueor: inſolens item gravedo, quæ plurimam mihi moleſtiam affert, ſi morbus ingraveſcet, redibo ad te quantocyùs, ut in cœlo iſto ſaluberrimo perfectè convaleſcam. Atque id cauſſæ fuit, cur ad te non ſtatim literas miſerim, quod & pollicitus in diſceſſu meo fueram, & tot in me à te collata beneficia poſtulabant. Quid Quinctius, nunnam de me conqueſtus, quod non ſtatim epiſtolam ſaltem puſillam conſcripſerim? inquies quippè, novi profectò illius ingenium, expectabam ſanè ab illo ardentes literas, & aculeatas: & ſcripſiſſet, opinor, ni tu, cui mitiſſimum ingenium, prohibuiſſes. Hic ego: Audin'Quincti? divinavit certè Lucilius, nonne ego rectè admonebam ne judicium feſtinares? age ſuſcipe ſis virtutem animo: neque unquam poſthàc judicium feras, niſi rem planè noveris. Tùm ille: Erravi, fateor: ad frugem me recipiam. Verùm ille me non leviter tangit. Cui ego: Ne ægrè feras ſi tibi ingenium paulò ardentiùs eſſe dicat, id enim ad me ſcribit, quem ſcit tui amantiſſimum. Neque enim piaculum eſt quædam amicorum vitia amicis credere, præcipuè quos ſecreti tenaces noveris: ſic etenim illos juvarè quàm maximè poſſumus, ſed redeamus ad epiſtolam, quæ quidem eſt benè longa.

Verùm utut ſe res habeat, illum fac plurimum ſalutes meo nomine, eique hanc, quam ſcribo fabulam recitato; operæ enim auribus erit percipere, adeò lepida auditu eſt, illam autem idcircò ad vos ſcribendam duxi, ut rideatis, & ſolitudinem iſtam aliquantulum allevetis, velim tamen mihi parcas, ſi epiſtolam non elucubravi: id enim etſi maximè vellem (nempè ſcio cui ſcribo) valetudo minimè permiſit. Sed venio nunc ad fabulam tàm lepidam, quàm quæ lepidiſſima, & ut rem planè intelligas exordior ab ovo. Quidam oloſericus infector, noſter inquilinus, debebat pro locatione aureos duodeviginti; cùm verò annus jam eſſet elapſus, & ipſe exactori verba daret, deque die in diem ſolutionem differret, hic, lictore ab ædile impetrato, in fullonis officinam venit, ut vel pecuniam ſolveret, vel in vincula à lictore coniiceretur. Tùm infector inter ſaxum, & ſacrum, ut dicitur, conſtitutus, ad preces confugit, hominemque orat, atque obſecrat, ut famæ ſuæ parceret, miſeræque familiæ conſuleret, perque Superos omnes precatur, ut nonniſi triduum ſibi ad pecuniam, quam ipſe etiam ab aliis exacturus erat, comparandam concederet, intereà ſi dictis fidem non præſtaret, pignus acciperet. Tùm exactor petiit, quid pignori poneret? Cui fullo: Suem hanc

Perridicula Fabula de pigoraticia ſue, pro demone habita in Collegio Neapolitano.

hanc oppignoro. Accepit ſtatim exactor, domumque inducit, ibique Piſtori ſervandam tradit; quod quidem præter piſtorem reſcivit nemo. Jam omnes cubitum conceſſerant; & ut fit in primâ vigiliâ, indormiebant altiſſimè: tùm ſus pignoratitia è furni ſtabulo, ubi unà cum molario mulo incluſa à piſtore fuerat, loci illius inſolens, illicò erupit; perque valetudinarii gradus cœpit aſcendere immanè grunniens. Hoc loco Quinctius, Jam incipit, recluſo, inquit, proſcenio, dari fabula: audiamus: nam ut conjicio, erit quammaximè deridicula. Cui ego: Auſcultemus, quæſo, literaſque recito iterum. Cùm verò in magnam deambulationem, cui à Toletanâ viâ noſtris magnificum pro more factum nomen, veniſſet, dextrâ deflectens per proximos gradus, in ſupremam domus ambulatiunculam conſcendit. Fortè fortunâ (vide, ut ridicula ferat interdum caſus) quidam ex junioribus cum ſocio in confabulatione, quæ animi gratiâ poſt cœnam haberi mos eſt, de ſpectris ſermonem inſtituerat benè longum, deque metamorphoſi Dæmonum in porcos, quam referunt ſacræ Literæ. Hic quippè melancholicus recordatione ſpectrorum vix ſomnum conciliare poterat. Hic ego: quoties admonui juvenes, ne antequàm ad ſomnum eant, de tetris rebus ſermonem inducant: ſiquidem triſtis animus haud facilè in ſomnum labitur. Tùm Quinctius: Rectè ego, qui amœna, & faceta in medium infero, ſed pergamus porrò. Ego verò, ut cœperam, epiſtolam perlego. Quocircà ſtatim grunniens animal exaudivit: & quoniam ſuſpicione præoccupatus erat animus, illicò Dæmonem illud eſſe ſibi perſuaſit; cœpit igitur pavere, tremere, Superoſque omnes invocare: & cùm luſtrali aquâ, ab amulâ, tùm ſalutari etiam ſigno ſe hoſtem adverſus teterrimum communire: quo ſic imminens ab illo periculum ſibi deprecaretur. Intereà ſus rurſum, prorſum per anguſtam illam ambulatiunculam excurrens altè grunniebat, & quoniam peranguſtum, ut ſcis, iter illud, grunnitus hàc, illàc repercuſſus reſonabat miro modo. Excitati omnes brevi ſunt, qui in tranſitu illo inhabitabant. Quia verò ſciebant nullos domi ali porcos, & tamen grunnitus audiebant, portentum ſubeſſe rei arbitrati ſunt: quapropter nemo erumpere è cubiculo audebat, quiſque tamen ſuſpenſis auribus, atque animis, ad januæ limen hærebat: tandem unus præ cæteris animoſior, placidè fores aperit, nec crepat, grunnitumque clariſſimè excipit, effert mox foribus gradum; verùm vel præ ſomnolentiâ, lippientibus oculis, vel præ obſcuritate longi itineris, ſuem minimè videt, ſtrepitum tamen ſugientis manifeſtò audit: ſus enim ſive territa

Vulgò, *Corridorò di Toledo*.

Scholaſtici noſtri à grunnitu excitati, ac territi.

ipſa,

ipſa, quæ reliquos exterrebat, ſive caſu fugiens ſe iterum per gradus proripuit, inque amplam coaxationem reverſa eſt. Intereà omnes è cubiculis egreſſi ſunt; & quiſque à ſocio quid illuc rei eſſet percontatur. Tùm ille, qui jam ſibi perſuaſum habebat, illum eſſe Cacodæmonem: Obſeſſa, inquit, proculdubio domus eſt geniis teterrimis. Audite, quæſo; poſt cænam mihi cum ſocio, de ſpectris, ac tranſmutatione, ſeu potius invaſione malorum ſpirituum in porcos, mentio facta eſt, id certò ægrè tulit teter genius; ſeque porci figurâ induens volvit nos perterrefacere. Tùm illi: Credimus enim verò: etenim cùm nulli ſues domi ſtabulentur, certè quidem malus genius ille eſt. Sed quid illi, qui in amplâ contignatione rogas?, in eâdem perturturbatione, & timore erant, nec quiſquam ſatis, ſeu virium, ſeu animorum habebat, ut è cubiculo pedem efferret. Cùmque ſus C. Petronii, viri, ut ſcis, meticuloſiſſimi, fores pulſaret, ille tanto timore correptus illicò eſt, ut nihil propiùs factum eſt quàm enecaretur. Hic Quinctius: Væ miſero! utinam illi aquam aſpergere potuiſſem! at redeamus ad epiſtolam. Et ego: Atque audi. Sed jam quotquot juniores erant in utrâque ambulatiunculâ, in inferiorem, facto agmine, deſcendunt. Tùm ſus illa pignoratitia per ampliores gradus in mediam ſe contignationem proripuit, cùmque ad januam Cn: Ericii veniſſet, illam vehementi oris illiſu excuſſit, horrendumque edidit grunnitum, quo omnes illicò excitati, injectiſque raptim veſtibus, ad amulam confugere, ut ſe luſtrali aquâ aſpergerent. At ſus per poſticos gradus iterum aſcendens in ſuperiorem deambulationem, in quâ tu inhabitas, ſe vertit; inque poſtremum cubiculum patens, & vacuum, cujus, ut ſcis habitator, non multo ante diem obiverat (vide quid ferat caſus) irrupit, januamque circùm quaquaverſus excurſans occludit: qui viciniam tenebant, tanto terrore perculſi, ut tantùm non exanimati: jam enim grunnitus domum univerſam repleverat, cunctoſque excitaverat.

Jam univerſus penè ſociorum numerus, præter emptorem obſonii, qui & exactoris munere fungitur, piſtorem, paucoſq; alios, qui juxtà pomarium degunt, convenerat: & partim rogabant, quo ſe res modo haberet, partim verò narrabant: univerſi tamen pertimeſcebant. Quoniamque demortui cubiculum, ſus ingreſſa erat: mali id ominis loco ducebant: etſi de probitate viri, ſanctimoniâque certiſſima haberent experimenta. Dum ita animis hærent, grunnitum ſus immanem emiſit, incæpitq; cubiculo curſare vehementiùs, inque januam impetum facere, quid vidiſſes?

Sus in demortui cubiculum ingreditur; idq. mali ominis loco ducitur.

Cæpe-

ſtrepere illicò hùc, illùc ferè omnes diffugere, uti ſinguli in ſeſe Dæmonis impetum extimeſcebant; quis crederet? tot una viros, & cordatos, & ſapientes ſus perterrebat. At, inquies, præconcepta illos de Dæmone terrebat opinio. Ita enim verò, larvæ, quas nos ipſi rebus appingimus, non res hùc, illùc ferunt. Tandem facto paululùm animo, redeunt, & quid agerent ſeniores conſultabant; & ferè una omnium ſententia, expediri ſacra ad Dæmonem adjurandum: cùm quidam junior tibi benè notus, imò & familiaris, Hic Quinctius: Num ipſe fuit? verùm non adeò animoſum Lucilium duco. Ego verò: Imò vir confidentiſſimus, idemque prudentiſſimus; redeoque ad epiſtolam. Ità ſocios interpellat: Nunnam Elephanti nos ſumus, quos porcina vox terreat? ſtatimque januam recludit. Tùm ſus, ridiculum ſanè, tanto impetu exilivit, tàm ingenti grunnitu, ut iterum cuncti diffugerent; magiſque animo perſuaſi Dæmonem eſſe, (nec decrant melancholici, qui flammas ſe vidiſſe fatebantur) ſummoperè extimeſcebant. Cum tandem, venio ad fabulæ cataſtrophen, adeſt piſtor, ſocioſque monet de ſue pignoratitiâ. Hîc illicò riſus ſimul, & indignatio oborta: riſus ob fabulam oppidò ridiculam, indignatio in exactorem, qui porcam in domum introduxerat. Demum multa poſt mutuò dicta læti, atque hilares cubitum abjerunt. Uſque adeò verum eſt, nihil tàm inſolens, quod non interdum cadat. Sed jam epiſtola ad umbilicum uſque benè plena, ride, & plaude.

Re cognita, ingens omnium Riſus excitur.

Ut recitaveram, Viden', inquam, Quincti, ut lepida res eſt? Et ille: A capite ad pedem tàm ridicula, & feſtiva, quam quæ maximè: verùm dic, quæſo (nolo id excidat) curnam Lucilius dixit, Nunnam nos Elephantes, quos porcina vox terreat? Quia, tùm ego, obſervatum Elephantes adeò grunnitum ſuillum pertimeſcere, ut illo audito, illicò in fugam vertantur. Tùm Quinctius: Mirum ſanè, beſtiam tàm immanem, unius grunnitu ſuis exterreri, fugarique poſſe. Cui ego: Ità naturâ comparatum eſt, ut fortia quæque, & ferocia animalia, haberent, quo ſuperari poſſent; & quoniam vana vanis terrentur, ut ait Seneca, ſic, ut idem refert, curriculi motus, rotarumque verſata facies leoni, qui quidem fortiſſimus, terrori eſt. Imò obſervatum etiam eſt, accenſas faces miro modo expaveſcere, ita ut illis à venatoribus quam facilè capiantur. Hic Quinctius: ſed quonam accenſis ſubigi facibus, comprehendiq; modo leones queunt? dic ſodes; id ſcire ſummoperè aveo. Tùm ego: Attende, dicam numero, nam ad preces decantandas jam vocor. Ubi locorum anguſtiæ, & jux-

Elephantes grunnitum Suillum pertimeſcunt.

juxtà caveas, quibus inhabitare leones ſolitavere, retia, & caſſes inſtruunt: quibus ſolerter adornatis, leones perſequuntur, ut verò nacti ſunt, obviam eunt magnis facibus, magniſque animis; tùm leones facibus illis exterriti, pedem referunt; quia verò generoſiſſima animantia turpe ducunt terga vertere; idcircò frontem hoſti obiiciunt etiam fugientes: tranſverſique retrocedunt, ut cancer ſolet, itàque fit, ut in caſſes ſe inſcientes inducant, quibus ſtatim irretiti, & ſi fruſtrà luctantes, capiuntur. Hæc ut dicta ſunt, ego ad veſperarum preces recitandas, Quinctius ad precarium Virgini ſertum offerendum, abivimus.

Leones à facibus pavent, quas dũ fugiunt retrocedentes, ut ſolent Cancri, in Caſſes ſe inducunt.

CAPUT VI.

Poſt deambulationem ſub quercu viridi, & amœna ſeſſum eſt: ibique aliquot verſiculi ex III. *Naut: recitati: ex quibus dedita occaſione, de ventorum procreatione fusè diſputatum: deque authoris penè naufragio mentio facta.*

Jam dies ad veſperam declinabat, cum motandi corporis cauſâ, & reficiendi tantiſper animi, domo egreſſus ambu atiunculam arripio, aderant mecum juvenes duo Cotta, & Balbus, qui quoniam cacoſtomachi, à ſtudiis vacationem impetraverant; hâc tamen conditione, ut ſimul atque à ſtomachi faſtidio convaluiſſent, ſe Neapolim ad bonarum artium ſtudia reducerent: optimum ſanè conſilium arbitror, ut adoleſcentibus, qui diutino morbo vexari cæptant, ſtatim vacatio concedatur; ne poſteaquàm contabuerint, nec literis addiſcendis, nec familiæ commodo apti ſint. Nonnunquam præſtantiſſima ingenia, ac divinas penè indoles amiſimus magno damno: quibus ſi in ipſis morborum exordiis impenſa hæc opera fuiſſet, ingens rei literariæ decus, ingens familiæ commodum acceſſiſſet. Cum igitur in viam domo egreſſi eſſemus, ità ad illos: Quò ambulationem inſtituemus? Nunnam Surrentum versùs? Et illi: Surrentum hoc manè viſimus: & via illa eſt etiam inſolata: duc, quæſumus, in Campeſtria, verùm per umbroſum iter perductos, iterum, iterumque rogamus; mirum oppidò quantum à Sole nobis creetur incommodum. Tùm ego: Atque mihi pariter Sol eſt perquàmnoxius; malim rigidiſſimum quamvis frigus, etſi frigoris ſim pariter intolerantiſſimus, quâm momentum unum temporis Solem perferre. Agite, me ſequimini, vos per ſemitam tùm umbro-

In ipſis morborũ exordiis Medicina adhibenda.

brofam, tùm amœnam perducſtabo. Mox perpauculis paſſibus, brevi tramite ſuperato, ingrediamur, inquam rus iſtud: ibimus hàc per compendiariam. Quoniam verò cornix præ vetuſtate tota penè corroſa erat, ac detrita, baculo fores pulto, & colonum etiam inclamo, adfuit tandem ille, & foribus illicò reſeratis, nos comiter introducit, ſimul rogat, ut illi parceremus, ſi paulò ſeriùs accurriſſet: id enim factum, quia erat ſuper quandam ficulneam, ex quâ ficus, quas nobis deſtinaverat, decerpebat. Cui ego: Benè factum: moram iſtam æqui, bonique conſulo; curato, ut ſint mitiſſimæ, de numero ne labores: ſint perpaucæ, ſed ſelectæ, cùm mox domum duxeris, dic à me puero, ut ſtatim in puteum demittat: erunt ſic craſtinò gelidiſſimæ, ſi maturi jam tuberes, aliquot decerpito: hiſce meis adoleſcentibus grati oppidò: illiſque excitant appetentiam, quod ubi ille ſtatim ſe curatum, factumque daturum ſpopondit, arreptam deambulatiunculam continuamus, expenſo gradu, ne maderemus, erat enim dies æſtuoſiſſimus, anniq; temperies in æſtate impluviâ nimium ſicca: dum autem ex uno, in aliud rus, per interpoſitos tramites pertranſimus, ego ad juvenes, Nonne amœna, & perquàm pulchra, iſtæc ambulatio? Tùm Balbus: Imò amœniſſima æquè, ac pulcherrima, quin & illud commodi mihi habere videtur, (quod quidem ego primo loco numero) nimirum ſecreta eſt, & libera ab occurſu hominum: & ut planè dicam, neſcio quid ſacri ſilentii habet; quocircà illam tibi chariſſimam puto, & in deliciis eſſe; nam, ut in Æſtatibus ſcripſiſti, hanc tu libertatem pluris, & meritò, facis, quam Corcyræi ſuam. Tùm ego: Rectè autumas. Nec poſt multos paſſus, in jucundam viſu convallem devenimus, cui opaca ſuper ſylva imminet, infra verò ſuo nativo horrore inveſtitæ rupes amœniſſimæ. Hoc loco Balbus: Quidni, inquit, tantiſper ad amœnam hanc umbram ſedeamus? Cui ego; Si Cottæ grave futurum non ſit, per me licet. Tùm Cottæ; Imò rogo, ut lubeat: delector hâc umbrâ, ac peramœno vallis proſpectu. Juxtà convallis crepidinem ſilens quædam vinea erat: inque illius limite, ultra quem nemus frondebat, ingens quercus, & benè patula, totam latè crepidinem obumbrabat: ſubter verò molle ſolum paulò extuberans: quocircà ſedeamus, inquam, hîc, ubi tellus nobis veluti in ſubſellia conſurgit. Tùm Cotta: Rectè excogitaſti, commodè nimirum hîc ſedere poſſumus. Nihil igitur cunctati herboſo in thoro conſedimus. Tùm balbus libellum à marſupio educit, & pellegamus, inquit, verſiculos aliquot: ſic enim, & fallemus otium, & ani-

Dum ſub quercu Viridi, & amœna ſeſſum eſt, aliquot ex III. Nautic. verſiculi recitantur.

animum allevabimus. Cui Cotta: Ità, quæſo, ſed cedo; quis iſtic libellus eſt? Tùm Balbus: Quem perinde tu, atque ego lectitare ſoliti. Cui Cotta: Intelligo: gratiam mihi facis: lectita. At ego quod erat interpetratus: Teneo & ipſe qui ſit, nunnam mihi vultis caput demulcere? Nunnam ficus vultis? ſed illas jam colonus decerpſit. Tùm Balbus: Non vivam, ſi talis mihi animus unquam fuit: & voluiſſe haud ſanè opus erat, nam neque tu gloriolam venaris: neque quidquam eſt, quod in convictu amplius expetamus. Nonne ita, Cotta? Et ille. Ità enim verò. Non enim id aſſentandi cauſsâ dixi; nunnam meum ingenium ignoras? Cui ego: Planè teneo ingenium tuum: verùm ea eſt hominum conditio, ut interdum torquentes naturam, ab inſtituto declinent. Tùm Cotta: Age ſis, Balbe, lectita Parthenii noſtri aliquot verſiculos. Nauticane iſta, an Halieutica? Et ille Nautica, inquit, ſtatimque librum aperuit; & ſive ex compacto, ſive caſu factum ſit, hic locus lib.III.oblatus eſt:

De Ventis diſputatur.

Sed jam me Zephyri; & felicior evocat aura:
Ire animus: faciles concedite carminis oeſtrum,
O Muſæ: & celeres properate per ardua mecum;
Namque iter in nubes intendimus. Eſt locus ingens
Ætheris in medio, rigidis ubi plurimus horret
Aër frigoribus, volucrique impervius omni eſt,
Proximus huic flammis ardentibus imminet altus
Juppiter: Ima tenet dulcis mortalibus ægris
Temperies, magno ſuperûm data munere divûm.
Pendula ſe circùm regio diffundit in omnes
Terrarum, pelagique plagas: ſed major in axe
Arctoo: gelidiſque riget ſtipata pruinis.
At ſol Æthiopas quà ferventiſſimus urit,
Strictior illa, nimis vicino preſſa calore.
Sed geminæ in medio quà zonæ habitabilis Orbis
Temperiem, & mixtam faciunt cum frigore flammam;
Stat juſtis extenſa locis. Hic æthere regna
Æolus alta tenet, veniunt his ſedibus Euri,
Et Zephyri, Corique, & nimbiferi Aquilones.
Hic etiam nubes concreſcunt, tenuior imo
Cùm vapor è terræ gremio conſurgit in altum;
Cæruleique cadunt ſubmotis nubibus imbres:
Ergo age, nunc cauſſas mecum tentare latentes
Aggredere, & primâ revocemus origine ventos.
Tantiſper, Palinure, licet divertere clivo:
Haud equidem labor incaſſum, nec inutilis error.
At tu, quo noſtræ lætantur Apolline Muſæ,

Locus, ubi generantur Venti, deſcribitur.

Regiones Aeris.

Carde-

Cardenide, generoſe præi, tenueſque per auras
Sterne viam vati facilem, incœptumque ſecunda.
Sol maria, & terras radiis vitalibus omnes,
Aëraque irradians, animantia cuncta calore,
Cunctarumque fovet cauſſarum exordia prima:
Semina compingit rerum: concretaque vertit,
Atque novas cogit paulatim ſumere formas.
Rerum quippè parens Sol eſt; ſic humida Tellus
Phœbeis ſenſim radiis tepefacta relaxat,
Expanditque ſinum: tenui volat halitus aurâ
Nimborum in ſedes: hic frigore preſſus iniquo
Stipatur: ceu parva phalanx, cùm fortiter inſtat
Hoſtis ab adverſo, cuneo denſatur acuto.

Hoc loco Cotta: Ne, quæſo, inquit Parthenie, in deteriorem partem rapias, ſi hic ego te interrogem: non enim id facio quaſi te admonere vellem, ſed ut potiùs, quòd non planè per me percipio, per te prorſus intelligam. Cui ego; Imò gratiſſimum mihi facies: neque ego ſic ſum, ut aliorum judicium contemnam. Et ille: Cur, inquit, cuneo dixiſti? audivi alias ſi benè memini, quadratam eſſe aciem. Tùm ego: Non levis ſcrupulus; verùm te illo facilè expediam: Macedonica phalanx in trianguli formam inſtruebatur; idcircò cum tres haberet cuſpides, ſive acies, veluti cuneo denſari videbatur, ad quam antiquam conſuetudinem reſpeximus, etſi id temporis quadratis, ſeu veriùs oblongis agminibus utamur. Tùm Cotta: Intelligo. Perge porrò, mi Balbe, verùm, quæſo, ut lentè, & limpidè legas, ne verbum aliquod intercidat: nimirum ſcis oppidò quantâ voluptate hujuſmodi me verſus afficiant. Cui Balbus: Intendam ad id animum, geratur mos hic tibi; Quibus ego ſubridens. Salvete, inquam, equorum filiæ. At Cotta: Tu ludis belliſſimè, & non certè illud mercenarium præconium, ut ait Cicero. Cui Balb: Audi.

Phalanx Macedonica in trianguli formam inſtruebatur, & veluti cuneo denſari videbatur.

Colligit & vires, atque arma, globoſque ruentes
Objectis contra ſcitis, hactiſque repellit.
Sed gravis ille venit concretus: pondere quo ſe
Confeſtim patrias iterum demittit ad oras.
Hic rurſus tepefactus, abit reſolutus in auras:
Et ſenſim major, majorque accreſcit eundo.
Cum tandem ſpatiis nimium concluſus iniquis,
Quà via per medias nubes, perque aëra latè
Seſe aperit, citus irrumpit, velut acta ſagitta,
Stridulus, & circùm rapidus ſe trudit in auras:
Atque auras premit obſtantes, premiturq; viciſſim:
Stare loco neſcit: celeri ſecat æthera lapſu,

Exponitur modus, quo procreantur Venti.

Dum

Dum fugit, immiſcetq; fretum, & nemus omne tumultu.
Non ſecus admotum rapidis ſi fortè favillis
Vas fuerit, cui ſtricta manent, oblongaque colla,
Æneus & venter magnum turgeſcit in orbem:
Intus paulatim ferveſcens humor ab igne
Solvitur, & tenues rarus ſe vertit in auras:
Ac majora petens latè loca, it halitus alto,
Colla per oblonga erumpens, tractimque volando
Attenuatus abit, ſonituque effertur acuto
Stridulus: & multo fugiens niſu premit auras
Objectas, raucoque imitatur murmure Coros.
Non intermiſſi flantes ſic aëra venti,
Continuis agitant flabris, & cærula vertunt.
Quippè ſinu terræ ſemper vapor exit ab imo.

Hic Cotta: Deſine jam, ſat, Balbe, decantaſti: nam oſtentata quando occaſio eſt, illam elabi è manibus non patiar. Tùm Balbus: Videlicet? Et ille: Hic Parthenius, ut vides, univerſam Ventorum procreationem perpauculis hiſce verſiculis complexus eſt, non modò poëta, ſed phyſicus: quamquam Zoili quidam ὁμηρομάστιχες hanc illi laudem derogent. Hic ego: Benè faciunt: quanta enim verò ſunt, quæ nos latent. Cotta verò: Prudenter tu quidem, ut multa: at illud ego vix decoquo; ſed veniamus ad limen oſtii: & quia res eſt oppidò mira, & tàm digna ſcitu, quàm quæ digniſſima, fusè de illâ diſputare placet. Tùm Balb: Idipſum ego deſiderabam; quare res mihi cadit ex animi ſententiâ. At ego: De his aliàs, nunc verò ſurgamus, ut incœptam deambulationem perficiamus. Tùm Cotta: Abſolvemus die craſtini, qui fortaſsè tepidior, nunc ab hâc umbrâ, amœnoque hoc proſpectu ægrè divellor, non ita tibi quadrat Balbe? Et ille: Quadrat vel maximè. Veniam & ego in veſtram ſententiam, quando ſic lubet, inquam ipſe, neque ego adeò inurbanus qui eo graver, quod vobis facere ſentio. Tùm Cotta: Age ſis, quando tanta nos benevolentiâ complecteris, & quibus ex cauſſis, & quem in modum venti procreentur, expone: verùm non preſsè, ac ſtrictim, ſed fusè, & enucleatè: id enim ſcire ſummo avemus opere, fortaſsè torpentes hodie Zephyros conciliabimus; ut excitati ſuis nos auris à calore vindicent; imò tuus nobis ſermo æſtum allevabit. Cui tùm ego: Num utrem Ulyſſis me habere ducitis? utinam! ventulos vobis facerem frigidiuſculos. Erravi, ſcio quorſum dictum ſpectet: nimirum meus ſermo tantum frigus, ut vice flabelli vobis ſit, quo ventulum excitetis. Hic Cotta: Hui! itane, Parthenie, dictum in deteriorem partem rapuiſti? id

ſanè

ſanè tibi inſolens. At Balbus: Næ tu tardus ingenio es, cui jocari Parthenium non ſubolet. Sed mittamus puero nuces: neque tempus hiſce nugis præterire patiamur. Age jam, & quæſito fac ſatis: nam ſecus ibit dies ſine lucro, totum enim fermè nugando tranſegimus, viden'ut jam extabeſcit? Tùm ego: Mones rectè, Balbe: conferamus igitur pedem, ut verò accuratè faciam, quod vos velle ſentio, rem altiùs aggrediar, &, ut dicitur, à capite. Velim igitur primùm, ut mihi detis nullum concitari ventum, quin aër hùc, illùc agitetur. Tùm Balbus: Iſtuc facilè impetras, vel oculis enim ipſis videmus commotum flabello aërem ventum excitare. Tùm ego: Dabitis prætereà non quemcumque motum aëris ventum eſſe, ſed perennem, & tactu ſenſibilem. Tùm Balbus: Et id etiam tibi concedimus, (nam ſpondeo etiam pro Cotta, qui annuit) ut petis, non enim quamlibet aëris agitationem, quæ fortuitò ſæpe cadit, ſed perennem, & certò perſeverantem tempore, continuòque aërem verberantem, ventum vocamus. Etſi iſtæc lis de vocabulo eſſe poſſit, ut eæ plerumque ſunt, quæ in ſcholis tantâ contentione agitantur, ut de Romano Imperio certari credas: quando reverâ de lanâ caprinâ, ut ajunt diſceptatur: præterea ſi tactu percipi nequit, certè ventus non eſt, id verò efficitur manifeſtò: Siquidem ſolares radii, cùm ad nos allabuntur, aëremque pervadunt, agitant quidem, commoventque, nihilo tamen minus, ventum non creant: quippè illiuſmodi motus ſenſibilis non eſt. Tùm ego: Acutè Balbe, & preſsè, ut rem acu videaris tetigiſſe. Sed pergamus ad alia. Fieri interdùm poteſt, ut halitu ſine ullo commoveatur aër, ventus adſibilet. Hîc Cotta: Id non planè liquet. Efficiam, tùm ego, ut appareat liquidiſſimè. Age, tùm ille, profer argumentum. Ego verò: Attendite, quæſo, inquam, meque animo in caminum illum, qui proximè in ruſtici casâ ſub veſperum fumat, ſequimini. Hic Balbus: Sequeremur etiam greſſu, ſi quid polluctì villicus adornaret. Cui tùm ego: Si pulte ex capitato cæpe, vel faſeolis contentus es, ilicet, ſed neſcio quomodo iterum excidimus, redeamus ergo in viam. Dum ignis in camino ſuccenditur, ventum ad fores deprehendimus, hunc verò ſine exhalatione fieri ſic conficitur: hujuſmodi ventus, dum per fores in caſam perflat, productam ab igne exhalationem expellit, non verò ſecum infert, ſit igitur ſine illâ. Tùm Cotta: Dò id facilè, ſed quo eveniat modo, velim explices. Cui ego: Accipe. Dum ignis vi ſuâ lignum abſumit, illum partim in cinerem, partim in exhalationem, quæ aëre levior, immutat. Hæc autem ex-

Ventum, non quecumque motum aeris, ſed perennem, & certo tempore perſeverantem, aeremq. continuò verberantem, dicimus.

Sine ullo halitu ventum interdū fieri, probatur.

exhalatio ſuaptè naturâ ſurſum ab aëre extruditur : extrudi verò non poteſt ab aëre à camini ſpiraculo veniente, quippè jam fumo circumobſito : quocircà ab eo extrudetur, qui à foribus irrumpit ; & ſic ventus eâ parte exoritur. Tenes? Et ille : Teneo : liquidum quippè ; contende nunc efficere, quod iſtituiſti, & primò cauſſam ventorum effectricem, ut ajunt, expone, nam de hac magnam eſſe litem audio ; plurimi, quorum dux eſt Stagirites, exhalationem eſſe acerrimè contendunt, complures verò alii vaporem ſtatuunt, tu ab quibuſnam ſentis? Tùm ego : Cum utriſque: Ajo enim tùm halitum, tùm vaporem ventos efficere. Hic Cotta : Sed quam inibis viam, ut id efficias? Cui ego: Hanc, quam ratiocinio præeunte, mihi dux fidiſſima, ratio præmonſtrat. At Cotta : Placet hanc inire, quæ quidem plana eſt, & recta, ingrediamur. At Balbus, qui diù tacuerat, ſic interpellat : Duram Parthenie, provinciam ſuſcepiſti, dum enim ambabus partibus favere ſtudes, neutri acceptus eris ; imò hoſtis duceris ab utrâque. Scis olim apud Lacedæmonas hoſtem patriæ habitum, qui neutri ſe parti addixiſſet. Cui tùm ego : Habeant Spartani ſuos mores : nullius ego ſectæ : nullas partes ſequor : quippè indignum ſemper duxi, ſe certis factionibus addicere, quæ ut publicæ, ita literariæ rei jugulum petunt. Ratio ſequenda eſt, quæ homini à Naturâ idcircò data, ut illam vice facis ad indagandam veritatem adhibeat. Tùm Balbus : Ita verò, non inficior, verùm ſi ſic nullius favorem promereberis, ſoluſque jacebis ignotus author. Cui ipſe : Verum, inquam, animique tranquillitatem quæro, in quibus unis beatitatem omnem collocavi : cætera, quæ infra me poſita eſſe duco, tanti facio, quanti caſſam nucem. Hoc loco Cotta : Sapis tuquidem, Parthenie : iſtic enim ingenui hominis generoſus animus, iſtæc divina indoles, nihil magni in humanis ducere, nullius favorem aucupari, nullis angi votis : uno verbo (ea enim hora eſt, ut compendio loquendum ſit) non precario vivere, ſed liberè : & his uti dotibus, quas natura nobis elargita eſt. Sentiant alii, ut velint, te ego beatum duco : cui illud Lyrici bellè quadrare puto.

Tùm ab halitu, tùm à vapore ventum generari poſſe, conficitur.

Ad indagandam veritatem, Ratio ſequenda eſt.

mihi parva rura, &
Spiritum Grajæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere vulgus.

Sed rem ipſam cominùs aggrediamur : ſatis, etſi cum voluptate, extrà lineam tranſilivimus. Eja age, effare : liberam tibi loquendi, ut ſentiendi eſt, poteſtatem facimus : at-

atque aures tibi vacuas dabimus quantum voles, neque hîc, ubi non niſi ſilentes agri, & tacitæ ſylvæ circumſtant, captator aliquis verborum eſt, qui nos deferat: Tùm ego: Atque audite. Cùm magnus ignis accenditur, ſive dumeta, ſive arundineta conflagrent, ventus illicò exoritur: id verò ſiccâ ignis exhalatione fieri in confeſſo eſt: ſi igitur ità, cur non etiam perflabit idem, cùm ſicca exhalatio excandeſcit, atque inflammatur? ſimiles enim cauſſæ cùm ſint, ſimiles progigni effectus neceſſum eſt. Imò cùm plurimi effectus ſint, qui niſi à vehementi ſpiritu, præſtari à nemine poſſunt, cujuſmodi procellæ, turbines, aliaque ſunt hujus generis; quæ plærumque fulgetra, ac fulmina vel præcurrunt, vel comitantur: idcircò halitu ab accenſo procreari, liquida res eſt. Hîc Balb: Aſſentior: res eſt, ut dicis, ſed confice reliqua. Cui ego: Iſtùc jamjam ibam. Tenetis, credo, Æolipilæ nomen? Tùm Cotta: Et rem etiam. Benè eſt, tùm ego: in illiuſmodi vaſe ex vapore attenuato ventus procreatur, id autem; quia calor, aquam in vaporem attenuat, illum cogitque anguſtum per os erumpere: quo fit, ut illâ violentâ, & nunquam intermiſsâ aëris agitatione ventus exoriatur. At ſi ità experimento compertum in vaſe illo eſt, cur id ipſum evenire aperto in aëre dum venti perflant, concedendum non eſt? Tùm Balbus: Imò concedimus: nam id etiam ſentire Cottam animadverto. Tùm ego: Atqui eſt etiam, quo confirmari res facilè poſſit. Quodnam iſtuc? tùm Balb: Et ego: Quod jamjam adjungebam. In mari, ut quotidie experiuntur certò nautæ, & frequentiores venti, & violentiores ſunt, quàm in terris: id verò nonne quoniam affatim in mari vaporum eſt, quos tot aquæ continuò ſuppeditant? ajetis quippè, at exhalationum non tanta copia ſubminiſtratur. Prætereà dum liquantur nives, plurimique è terrâ vapores educuntur, Boreales venti ſpirant: & ubi ſolum paludoſum, pluvium plerumque cœlum eſt, quocircà progigni etiam à vaporibus ventos apertiſſimè conſequitur. Hic Balbus? Et his etiam aſſenſum impetras, inquit: conſtant quippè. Verùm age jam ſis, & quonam modo vel exhalatio, vel vapor ventos creet, ediſſere. Tùm ipſe: Ad id me convertam: & faciam quàm maximè potero ad brevitatem accomodatè, jamjam enim advesperaſcit. Et primò ea eſt, tùm halituum, tùm vaporum natura, ut cùm rara fiunt immenſum penè locum ſibi vindicent, eodem prorſus modo quo pyrius pulvis (qui millecuplo fit major) ſunt enim ſimilia. Hoc autem præaſſumpto, uti verò, ajo è terris halitum vi ſolis elevari, inque ſuprema aëris loca,

Æolipilæ, exemplo res explicatur.

Modus, quo Vapores, & Halitus Ventum excitant ob oculos ponitur.

quæ ſuâpte naturâ frigida ſunt, pervolare, hic quoniam in adverſarium occurrit, nimirum frigus, conſtipatur, & veluti ſe colligit in ſe; atque ob id gravior evadit: quia verò gravia ſic ſunt, ut ferente genio ad inferiora relabantur; hinc fit, ut illiuſmodi halitus in easdem ſedes, è quibus emerſerat, revertatur, hic à calore attenuatur iterum, raruſque fit: rarus autem, ut dicebam paulò antè, immenſum ſibi locum petit; quem ut ſtatim occupet, aërem extrudit, ac propellit, ex quo motus illicò, agitatioque fit aëris; qui quidem motus ventus eſt. Hic Balbus: Acutè tu quidem, quod & recitatis verſiculis eleganter depinxeras, & coloribus ſuis. Cui ſtatim ego: Num ego Appelles, quem tu tantis laudibus exornes? ſed age, eſt ne tibi ad manus, quod opponas? Et ille cur non id, inquit, ab halitus gravitate fieri dicamus? Hic enim dum ex alto recidit, mole ſuâ aërem loco movit, atque impellit: hic verò propulſus hoc modo, ventus ipſe eſt. Cui ego: Reſponſio eſt in promptu: ſiquidem pluvia majori ruit impetu, & graviores aquæ ſunt guttæ, quàm halitus: nec tamen imber ventum procreat, imò ceſſant plerumque venti, cùm depluit; neque igitur ſuo deſcenſu halitus ventum excitabit. Tùm Balbus: Do manus: res eſt ab exemplo manifeſta: Verùm, dic, ſodes, cur in latera venti perflant? id enim mihi oppidò mirum videtur. Tùm ego: Aliquammulti ſunt, qui motum hunc tranſverſarium, ideò progigni opinantur, quia recidens exhalatio gravitate, aër verò levitate præditus; itàque fieri, ut duplici ex cauſsâ contrariâ, motus ille tranſverſus oriatur. Sed hi errant totâ viâ, nam ſi ità ſe res haberet, perſtaret pendulus in aëre halitus, non ſecus ac nubes. creatur igitur motus ille tranſverſus, quia exhalatio in aërem incurſat, aër verò in terræ ſuperficiem, quæ ſolida cùm ſit, obſiſtit, reluctaturque: atque ità fit, ut in latus, quà via facilè datur, ventus irrumpat. Hic Balbus: Aſſentior: nam ſi non verum, veriſimile quidem certè. Pergamus porrò, quando in viam nos dedimus; magnanè halituum copia, an quæcumque ſatis eſt, ut venti excitentur? Et ego: Magna profectò, ut validus, parva, ut tenuis exoriatur: etenim cùm rarefacto ab halitu illa aëris agitatio conciatur, quâ oriri ventos oſtenſum nuper eſt, pro illius menſurâ progigni etiam ventos neceſſum eſt. Si verò ingens cadat halituum, ac repentina inflammatio tùm vehementiſſimo oriri turbines, excitarique procellas dilucidè conſequitur. Cum Panormo Neapolim redirem, ſereno cœlo, Auſtroque ſecundo in velum flatu perflante, circa Uſticam, quæ una ex Æoliis eſt ad

Cur in latera venti perflant? Aliorum ſententia reiicitur.

Aſſertur vera cauſa.

Quænam halituum copia ad ventos excitandos, requiratur!

Occi-

Occidentem poſita, ingens de repentè fulgetrum ad Subveſperi plagam (Rhombum nautæ novi dicunt) effulſit, ac totum illàc cœlum conflagrare viſum : ſimulque ex eâdem cœli plagâ, nubecula è pelago aſſurgere conſpecta nobis eſt. Tùm ego ad navarchum, vidiſtin', inquam, fulgetrum? viden'nubeculam illam? Et ille : Ità enim verò: Cui mox ego : Horribilem ex illâ plagâ turbinem expecta, faxint ſuperi, ut ſalvi, ac ſoſpites teneamus noſtram Neapolim. Et ille: Ne dubites, inquit, ſigna illæc caloris ſunt. Cui ego : Atque idcircò horrendæ tempeſtatis. Quæ brevi adeò vehemens incubuit, ut totam noctem illam in ſummo vitæ diſcrimine transduxerimus, tot effuſiſſimi imbres, tot tonitrua, tot fulmina, ac coruſcationes totâ nocte ſævierunt, ut cœlum ruere crediidiſſes: primo manè ceſſavit ventus, noſque Capreæ exceperunt. Hoc loco Cotta: Tàm citò Capreas tenuiſtis? Cui ego : Quidni teneremus vento adeo vehementi, inque puppim perflante? Ille verò: Haud equidem ventum ego tàm proſperum, tàm ſecundum exoptarem; tritum quippè illud, Feſtina lentè. Cui ego: Quid facias? cùm jacta eſt alea, inque medio mari improviſo comprehenſus es nimbo, eâ utendum fortunâ, quâ uti datur. Quid ſi contrarius, & cui obniti minimè poſſis, ventus percrebuiſſet? neceſſe erat curſum retrò flectere, & in quas, tu nolles, terras appellere. Tùm Cotta: Quanta te formido corripuit? quot exoraſti Superos? quot pro ſalute vota nuncupaſti? Cui tùm ego : Fateor tibi planè, ut ſcis mihi moris eſſe, haud ſanè multum pertimui, ſic ego mecum verſabam animo : Humanis nimium angi, nec cordati eſt, nec philoſophi, ſed plebeculæ, quæ omni vento hàc, illàc jactatur, tantus quiſque eſt, quantus fuerit animus, quo adverſa generosè ferat, infortunia os opprimant, qui ſuccumbunt, non vero, qui ſi pellere nequeunt, infringunt tolerando. Neque ſi timori locum cedam, idcircò remittet ſe ventus, ceſſabit periculum, & res meliùs habitura erit; præſtat igitur generosè ſubire aleam, quam vitare non eſt ampliùs in noſtrâ poteſtate, atque hâc cogitatione erigebam animum, & cùm cæteri pertimeſcerent, ego unus illis animos faciebam. Erant in Celoce, præter nautas duodeviginti, vectores unde quadraginta, & ex his fæminæ duodecim, quæ à viris ſeparatæ in inferiori puppis cubiculo verſabantur, erant etiam equi quatuor Africani, quos Siciliæ prætor ad Neapolitanum dono mittebat; mercibus verò adeò onuſta navis, ut nihil amplius accedere potuiſſet, quocircà haud ſatis expedita videbatur, ut tempeſtati par eſſe poſſet : atque ob id jam nautæ ja-

De Parthenii pene naufragio, dū Panormo Neapolim rediret, fit mentio.

ſturam facere cogitabant, at quoniam credula ſemper ſpes, & bona difficilè proiicimus, adhuc pauliſper expectandum decreverunt; ſi fortè ſurgente Lunâ (erat ille dies decimustertius ab interlunio, cum gibboſior apparet, ac fermè plena) ventus ſe tantiſper fregiſſet. At incaſſum vota reciderunt: nempè vehementior tempeſtas incubuit, tanto ventorum conflictu, tantâ undarum jactatione, atque æſtu, ut quiſque jam moriturum ſe crederet. Tum denique de illis, quæ minoris erant pretii, & ad manus jacturam fecerunt, at mihi maxima ea fuit; nam capſulam, in qua ego libellos aliquot, omnemque habebam apparatum mathematicum, & quidem copioſum, ſeu fortuitu, ſeu ex compacto projecerunt. Hic Cotta: Acerbam hanc Matheſeos vicem dolemus (id video ſentire Balbum) quammaximè, ſed Superis gratia, quòd te ſoſpitem ad nos reduxerint, ſi valeas ipſe, & unus tibi calamus ſuperſtes ſit, affatim habebis machinarum, quibus te ſupra mortalium conditionem evehas. Cui ego: Num ego numen ſum, quid me immortalibus æquas, Cotta? ſed interim nimium extra oleas delati ſumus. Et ille; Redibimus mox in viam; nunc quando divertimus, quæſumus (ut ſpondeam etiam pro Balbo, qui id ipſum cupit) ut quid poſtea factum ſit, enarres. Ego verò: Quid? ingens tumultus inter vectores exortus eſt, & immaturum quiſque fatum conquerebatur, meque omnes adeunt pectora pugnis tundentes, veniamque noxarum multâ prece, multis lacrymis poſtulantes: utque ipſorum piacularem confeſſionem exciperem cuncti rogant. At ego, quoniam id ingratum nautis fore, neque in extremo diſcrimine nos conſtitutos videbam, jubeo illos bono animo eſſe: Deumque animo, & mente affari, non verò ejulatibus illis, quibus nautarum animi perturbarentur, ne ſolertes, atque animoſi ſuis miniſteriis incumberent, cum opus eſſet me omnes à piaculis abſoluturum. Erat inter vectores homo quidam ex religioſâ quadam, illuſtrique familiâ adeò meticuloſus, ut nihil ſupra, qui me, & confeſſionem identidem inclamabat, atque omnes perterrefaciebat: neque eum monitis, neque precibus inducere potui, ut quieſceret. Tandem navarchus cùm diù hominem toleraſſet, & continuiſſet ſeſe, his tandem aggreditur: Quæ te agit intemperies? quis te malus genius invaſit, ut in hæc deliramenta devenires? non vides ut cuncti quieſcant? non vides ut taceat hic? meque manu indicat, an pluris tui unius vita, quam omnium iſtorum facienda? tu certè mihi patientiam abrumpes. Sub hæc magnus à fœminis ululatus ſubortus eſt, & om-

Auctoris Capſula, in qua omnis Apparatus Mathematicus, & nonnulli libelli adſervabantur, in mare à Nautis projecta.

Nonnullo de quodam Religioſo viro nimium meticuloſo, enarrantur.

& omnes aquam, aquam inclamabant. Tùm ego ſolutis jam repagulis fatiſcere navigium credidi. Accurrit ſtatim navarchus vir magni animi, ut quid rei eſſet, inſpiceret. Hic Cotta: Quid tùm ille meticuloſus? Cui ego: Quid? Nihil propius factum eſt, quàm præ timore enecaretur, cæpitque tanto gemitu abſolutione à me petere, ut quotquot erant animis conciderent. Ego tùm, more majorum, una omnes abſolutione à piaculis expedivi: Deumque enixè precatus ſum, ut me ipſe ſuâ clementiâ mundaret. Intereà redit navarchus, noſque bonâ ſpe eſſe jubet, nihil omninò diſcriminis eſſe, neque labem ullam navigium feciſſe: unam tantum feneſtellam, quæ juxtà temonem erat, vi undarum apertam, quam ipſe jam concluſerat, atq; obfirmaverat. Fateor hic me paulùm exortum, meliuſque ſperare cœpiſſe. Tandem ſub Auroram remiſſa aliquantulum procellæ vis eſt; verùm adeò præ immenſo undarum æſtu, hùc, illùc navis jactabatur, ut omnes perpetuâ vertigine circumagerentur, & quamquam mihi mare faſtidium minimè creet, nihilo tamen minus tantâ tùm nauſeâ vexari cœpi, ut nunquam aliàs. Poſtremò ridiculum quid accidit, quod etſi invito, mihi riſum extorſit. Aſcetrius ille quæri cœpit magnis gemitibus ſe amiſiſſe patientiam: meque rogat, anne illam vidiſſem? Ego tùm illum inſanire ducens, tantus ne, inquam, te timor occupavit, ut non ſanus ſomnieris? Quieſce, quæſo vir bone, neque velis nobis rumpere patientiam. Ille verò: Non ego inſanus, ſed mentis ſum compos meæ, certè aliquis mihi patientiam ſubripuit, quâ ni ſtatim induar, nobis piaculare eſt. Tùm ego: Quam patientiam dicis? Et ille: Tunicam ſuperiorem, quam ferre noſtro ordini religio eſt. Hic ego, non ſine riſu, Iſto nunc ſcrupulo ego te abſolvo, ſi tolerans tibi animus, illo, vice tunicæ, uti poteris, nunc quieſce porrò: neque velis tot hominibus, ut tuam quæras, patientiam abrumpere. Hoc loco Balbus: Lepida, inquit, fuit fabulæ cataſtrophe, ſed ad amœnam illam ſemitam non venimus. Cui ego: Ibimus cras illùc: nunc quoniam in ultimum diei ſerum ſermonem perduximus, domum redire tempus eſt, ſtatim igitur aſſurreximus, perque compendiariam rus grandi gradu faceſſivimus.

Ridicula fabella de eodem viro Religioſo.

CA-

CAPUT VII.

Amœna ſemita deſcribitur: in cujus mox crepidine ſeſſum eſt: ibique reliqua, quæ ad ventorum procreationem ſpectare videbantur, accuratâ diſputatione perquiſita.

VEſpere ſequentis diei dum quaſdam literas, quas miſſurus eram Neapoli complicarem, me Cotta, & Balbus adeunt, ingreſſique Muſæum: Eja age, inquiunt, ſurge tandem aliquandò, ſatis, ſuperque Muſis datum eſt: remittendus nunc pudicis, honeſtiſque voluptatibus tantiſper animus, eamus igitur in amœnam illam ſemitam, ſumma enim nos cupido illius inceſſit, erit certò, ut coniicimus genialis. Tùm ego: Jam de hoc cogitabam, voſque, plicatis hiſce literis, atque obſignatis, accerſurus eram. Manete tantiſper dum veſicam exonerem; nam ni me fallo; fici illæ perquàm mites, quibus ſupra modum nos ſaginavimus, mihi urinam cierunt. Tùm Balbus: Idem mihi accidit: nam hodie micturivi præter conſuetum. At Cotta: Id neutiquam ego expertus ſum, nec mirum non omnibus eadem temperatio corporis eſt, mox ubi calceos induimus, accepto pileo, & baculo per compendiariam incedentes, ad convallem pervenimus; hâc brevi deſcenſu per pontem lapideum tranſmiſsâ, in ſuperiorem collem evaſimus, mox per ejuſdem convallis crepidinem deambulantes, quæ hinc florido rure præcincta, illinc ſylvâ, quæ per confraga vallis conſita eſt, conveſtita, mirum quantum oculos alliciat, animoſque delectet, iter in ultimum marginem direximus. Hùc ut perventum, atque in proſpectum maris eſt: Hæc, inquam, ſemita illa tàm amœna, quàm quæ amœniſſima, videte, quæſo, ſi quid pulchrius, ſi quid amœnius, excogitari poteſt? Tùm illi: Expectationem noſtram longè ſuperavit. Eſt hic oppidò elegans naturæ luſus, eſt autem longa ſemita in extremo collis margine, quà mare ſubjectum ſpectat, plana, ac fermè recta, & DC circiter paſſus excurrit, hinc, inde altis quercubus, atque ilicibus præcingitur, atq; inumbratur, ut ſolaribus radiis minimè ſit obnoxia, niſi quod ex intervallo per certa arborum, ramorumque frondentium divortia, Solis radii interciſi, inque ſolum repercuſſi, illum verſicoloris inſtar Iridis, ſeu potius Attalici operis, depingunt, quod quidem pulcherrimum viſu, & quàm perjucundum eſt. Lævâ mare eſt, & totius fermè Crateris proſpectus amœniſſi-

Amœniſſimæ Semitæ deſcriptio.

niſſi-

niſſimus, dextrâ ampliſſimum rus, agricolarum induſtriâ; quæ ibi ſumma eſt, excultum miro modo, patent paſſim in unguem largiſſimi, rectique limites, quos frugiferæ arbores intercurrunt: & quibus ad voluptatem deambulare commodè poſſis. Dum autem hanc per ſemitam ſuſpenſo gradu pergimus, illiuſque pulchritudinem admiramur, Quid, Balbus, inquit, ſi mirabili huic naturæ operi, ſuam ars induſtriam, ſuam homines operam adjunxiſſent? Non Tuſculanis quidem hortis, non Tuſcis cederet. Imò, inquam, ego, qui illos vidi, longè ſuperat, ſi ſimplicem Naturam ſpectemus, fucos illos, atque aſcitam ab externis elagantiam non amo: ſimplicem ſtylum, ſimplicem munditiem in rebus quæro. Hic Cotta: Optimè tu quidem: Hic tamen ego è dextrà buxeam ſepem prælongam plantarem, inque varias figuras, ut moris eſt, effingerem, ex intervallo, nimirum ad 1. quoſque paſſus, ſedilia ex quadro lapide inſtruerem, & fontem etiam adderem. Quid ſic illâ pulchrius? Ita non Tuſculanis, non Tiburtinis Thuſciſque ruribus invideret, Cui ego: Imò ſic placet, & magis placet, quippè pluris ipſe naturæ ſimplex ornatus faciendus eſt: quem totis licet nervis inſudet, totum impendat ars ingenium, ne adumbrare quidem poteſt, conentur illa, quibus natura non riſit; accerſant ab arte ornamenta, qui domi non habent. Amœniſſima ſemper Tempe habita, & tot laudibus celebrata: & tamen illorum ſola artifex natura fuit. Pulcherrima juxta Piſas Olympia, in quam quarto quoque anno ad celebrandos ludos univerſa fere Græcia conveniebat, totus autem Olympiæ ornatus, amœnitas, pulchritudo, ſimplex natura erat, quippè haud fas eſt arti, naturæ addere ornamenta. Tum Balbus: Vera prædicas: plus delectationis, ac voluptatis habet nativus hic decor, quàm quidquid emendicato ars adjungere fuco poteſt. Tandem cum ad finem veniſſemus, Sedeamus hic, inquit, Balbus: nam lignea hæc ſubſellia, quæ hîc ſunt poſita nos invitant: & habent etiam ſimplici ſuo ornatu neſcio quid voluptatis. Sedeamus, tùm ego: namque etiam hic pulcher proſpectus, ſubjecta colli ora eſt, in quam venientes Neapoli phaſeli appellunt: naves ibidem fabricantur, quare populo frequens: contrâ Æquana juga, dextrâ Surrenti Campeſtria, quæ ultima in collem conſpicua aſſurgunt. Hîc igitur, ubi volentes conſedimus, ità ad me, Balbus: Ne tibi grave ſit, Parthenie, quam de ventis, externo veſpere habuimus, quæſtiunculam abſolvere. Erit id nobis (ut pro Cottâ etiam tibi ſpondeam) perquàm gratiſſimum, ſcis enim nos ad te unum

Pluris naturæ ſimplex ornatus faciendus, quàm aſcita ab externis elegantia.

pri-

primas referre. Cui ego. Faciam, non modo patienti, ſed etiam volenti animo: nihil enim antiquiùs habui, quàm vobis morem gerere. Et nos, tùm Balbus, pro tantâ benevolentiâ, qua nos novis ſemper vinculis implicas, gratias agimus quammaximas: & equis, veliſque, ut dicitur, adnitemur, ut nulla unquam dies nos immemores arguat: Sed omittamus officia; ſcio nimirum ingenium tuum, uti enim tu rerum largiſſimus, quàmparciſſimus admodùm verborum es, quippè generoſi eſt animi plus præſtare amicis, quàm dicere, quod rarum admodùm inventu eſt. Si igitur ex halitu rarefecto venti procreantur, fientne iidem ex vapore condenſo? Tùm ego: Ajo enimverò: etenim ſi magna vaporum copia, vi frigoris, aliâve ex cauſsâ conſtipetur, in unum derepentè locum coacta, magnum certè ſpatium, quòd prius occupabat, derelinquat neceſſe eſt, quod illicò repleturus vicinus aër accurret, id verò ſine motu fieri nequit: motu verò ventus exoritur: igitur coactione vaporum cieri ventos neceſſariò conſequitur. Hic Balbus: Aſſentior, liquidum quippè. Verùm pergamus porrò: cur interdum dum pluit, venti ex pluviâ perflant? & cur item poſt pluviam iidem exoriuntur? Cui tùm ego: Accipe: paucis expediam: dum imbres decidunt, aërem lapſu extrudunt ſuo: hic extruſus, atque agitatus, ventum creat, hinc compertum plerumque eſt (idque in mari quàm frequenter) eâ parte, quâ pluviæ deſcendunt, ventos afflare. Præterea cùm vapores è terrâ emergunt, inque ſublime evolant, unà cum illis igneæ particulæ (ſive halitus calidos mavis dicere) exiliunt: reſolutis mox in aquam vaporibus, illiuſmodi halitus ab aquis ſegregati, diverſumque diſtracti rari fiunt, aerem pellunt, ventum excitant. Tùm Balbus: Et his etiam aſſentior, Parthenie. Verùm ſi ità, cur non ex ſolâ aëris dilatatione oriri ventos concedamus? Quia, tùm ego, id ex illis non exiſtit: nam etſi rarus aër occurſu ſuo] vicinum aërem expellat; id tamen eodem modo uſu veniat, neceſſe eſt; quo liquidis contingere, res uſu trita eſt: nimirum cùm illorum unum ſubſidit, alterum ſubſilit: ſic dum gravior aër leviorem propulſat, in ſuperna hic, ille in inferiora concedet, quinimò aër adeò tenuis, raruſque eſt, ut vix rarior fieri queat. Hoc loco ſic me Cotta interpellat: Quid tu de ſalibus? nolo ut illos elabi patiamur, uti volatiles. Cui tùm ego: Nempè ut tenuis iſtæc mea oratio, atque inſulſa aſperſo ſale condiatur: & ſic palato diſpliceat minus, verùm ea præſens res eſt, ut ſcitamentis, atque embammatis adornari, ut lepidè ſapiat, eſt oppidò difficile. Tùm ille: Graphicè, tu qui-

Iterum de Ventis agitur.

Cur ex vaporũ coactione generentur venti?

Cur non ex ſolâ aëris dilatatione non oriatur Ventus.

quidem facetus, Parthenie, & ſanè variandus hilarioribus verbis paululùm ſermo erat: qui quamvis duriuſculâ inſtitutus de re, tu tamen facilitate illâ tuâ delicatum reddidiſti. Cui ego: At coquinaria iſtæc verba cum ſuis intinctibus coquis relinquamus. Hîc Balbus: At ſi ità, ad te unicè pertinebunt. Cui ego: Gratias ago pro honore, quo me cohoneſtas. At Cotta: Eja omiſſis nugis, rem experiamur. Quid tu, inquam, de ſalibus illis, quos è metallis, nitro, ſulphure, atque iſtiuſmodi aliis erumpere, in que ſuperna evolare confeſſa res eſt? ex his enim nonnulli, ſi benè commemini, oriri ventos voluere; & ni mea me fallit opinio, non id certè quidem inveriſimile; irrequieti enim, & violenti cùm ſint, aërem facilè concitabunt. Cui tùm ego: Rectè colligis, ajo enim verò illiuſmodi ſales è metallis, atque his agnatis corporibus eductos, quà vaporibus, quà halitibus permixtos, in aërem tolli, atque elevari; hic mox à circumſtante frigore coactos, paulatim fermenteſcere, donec fermento benè imbuti rareſiant, circùm obſiſtentem extrudant aërem, atque abire in ventum motu cogant. Atque hinc potiſſimùm oriri turbines, ac procellas facilè crediderim: enim verò ſi è nitro, ſulphureque tantam tormentario ineſſe vim pulveri videmus, eandem ab iiſdem impertiri vim ventis manifeſtò conſequitur. Imò è montibus, ubi fodinæ ſunt, oriri ſæpenumerò tempeſtates, ac de repentè turbines, experimento compertum eſt. Majo menſe, decimo ab hoc anno, cùm per Apenninum, quà hic altiſſimis rupibus Lucanos ab Apulis diſterminat, inque proximos Brutios ingreditur, ac perpetuis fermè jugis in ultimas Italiæ oras procurrit, quibus in locis fodinas eſſe deprehenſum, iterfacerem, tantus ex improviſo obortus turbo eſt, tantâ grandine, tantis mox imbribus, ut niſi in vicinum tugurium comis quidam paſtor, excepiſſet, certò periiſſem, narravitque mihi paſtor, illud ibi frequentiſſimè evenire, ex quo id, quod modò ego dicebam, liquidò exiſtit; nimirum è ſulphure, nitroſiſque halitibus, ventos, ac turbines excitari. Hîc Balbus: Intelligo. Verùm ipſe: Addam amplius, inquam, ut hactenus oſtenſa manifeſtiùs confirmem. Obſervatum ſæpè ex intimis terræ viſceribus, in quibus metalla gigni, eaque omnia, quæ novo vocabulo mineralia jam dicunt, ventos quàm frequenter erumpere. Hoc loco Balbus: Iſtuc, inquit certiſſimum, vidi ad Veſuvii radices, quà hic ad Soſianum noſtrum convergit, perangustam quamdam ſpecum, ex quâ perpetuus fermè ventus erumpit; unde, & nomen obtinuit, illam verò te vidiſſe credo, etſi raro admodùm te

Quid ſentiendū de ſalibus volatilibus? An ex his Turbines fiant.

Quod experientiâ confirmatur.

Ad Veſuvii radices eſt perangusta quædam Specus, *Le Ventarole* vulgò dicta, ex quâ perpetuus ferme Ventus erumpit.

te agreſtes Veſevi nymphæ aſpiciant, adeò te Sirenes, & elegantiores hæ Muſæ delectant, benè facis: laudo palatum, quod delicatiſſimum tibi eſt. Sed age, quo illud pacto autumas evenire? Tùm ego: Quia calor metalla, cæteraque illiuſmodi concoquens, magnam ſalium copiam educit (ſuppeditant affatim hujuſcemodi ſales nitrum, ſulphurque, quorum feraciſſima tellus eſt,) eductam frigus cogit: coactam ſeſe fermento imbuit, atque excreſcit; tùm demum mirò rarefacta modo ventos creat: dum per illiuſmodi ſpiracula aërem expellit. Hoc loco Cotta: Nolo, inquit, ut te ſemper Balbus fatiget: De Sole quid? habetne ille aliquid in ventorum excitatione? illum enim rerum ferè omnium parentem phyſici faciunt, & fortaſsè ſuo jure, imò tu in Naut: 111. verſiculis illis, quos memini heſternâ à Balbo lectione recitatos, ſic habes:

An à Sole generari ventus poſſit?

Rerum quippè parens Sol eſt.

Cui ego: Habet certè, ut illis ego verſiculis innui. Etenim cum calore ſuo tùm vapores, tùm halitus è terrarum ſinu educat, author etiam ventorum vocari meritò poteſt, & quamquàm ipſe re verâ ventos non procreet; quia tamen ut illi evaporent halitus, qui mox rari ventos concient, auctor eſt, talis etiam ventorum vocari poteſt. Tùm ille: Teneo: & ſic ipſe arbitrabar, plurima te hic rogarem, res enim eſt oppidò curioſa; verùm quia jam adveſperaſcit, & ambulatio longiuſcula, in aliud tempus illa reiicio. Cui ego: Certè tardiſſima hora eſt, & aër humidulus, eamus igitur; cumque ſtatim ſurreximus, domumque nos capeſſentes gradus grandivimus.

CAPUT VIII.

Quæſitum de aurâ ſerotinâ, quid eſſet? & cur illam non nulli noxiam experiantur, alii verò non ità: cur item varia variis in locis eſſet.

De Aura Serotinà diſputatur.

QVodam die poſteaquàm Sol occiderat; èque noſtro orbe in alterum Antipodes illuſtraturus conceſſerat, ego, ut corpus aliquantulùm exercerem, animumque remitterem (ſederam totum penè diem in Muſæo ad menſulam) in ſubdialem ambulationem egreſſus deambulare cœpi; ne verò ſerotinæ auræ nocerent, pileatus proceſſeram. Vix dum curſare incipio, cum ſtatim Cotta, & Balbus ex ultimo Surrenti pago, cui Metæ nomen idcircò factum arbitror, quia planitiem, quæ ad Æquana juga pertinet ultimus ſuo poſitu concludit, domum reverſi me in ſub-

diali

diali ambulatione curſantem conveniunt ; cumque lætam mihi veſperam impertiiſſent, Quid rei eſt, inquit Cotta, quod pileo iſto benè amplo caput operuiſti ? Cui ego: De hac re Balbum interroga. Tùm ſtatim Balbus: Nimirum ut te à ſerotinis auris defenderes, teneo enim illud tuum Eclogæ ultimæ.

Surgamus, nam prima gravis cantantibus umbra
Veſperis, atque aër gelidi nocet humidus antri,

Tùm ego: Euge, euge Balbe, eruditè ſemper, ut ſoles. At Cotta: Nempe tibi adblanditur : Mulcebo ego etiam caput, ut laudem aucuper, Cui ego; Si rectè feceris, laude te exornabo, ſi aſſentandi gratiâ, haud te illâ cohoneſtabo. Tùm Cotta. Omittamus iſtæc. Quoniam verò ad quæſtum animi mihi porta data eſt, ſine ut eâ utar. Cui ego: Laudo ſtudium tuum, utere igitur : per me licet, imò nihil mihi gratiùs accidit erudito ſermone ; ſcio quippè quid cogites? Tùm ille: Non me fugit ac re tibi ingenium, ut cogitatum prævertas meum. Age igitur, & quæ ſerotina aura ſit, ediſſere, id ipſum Balbus ſcire magnoperè cupit, nonne ità, Balbe ? & ille: Ità enim verò. Tùm ego: Faciam lubentiſſimè : nam præterquamquod res ſcitu digna, ſuo non vacat commodo, & valetudini quammaximè conducit; vobis præcipuè, qui diutino morbo vexati eſtis; date igitur aures vacuas, rem ego perſtringam verbis perpaucis, dicamque preſsè, ne verè noceat. Et illi: Fac, ut tibi placitum, nos tibi aures dabimus attentiſſimas, ac perpurgatas, Tùm ipſe; Ut veſtro igitur ſciendi deſiderio obſecundem, telam pertexam hoc modo. E terræ gremio vapores continuò exiliunt, qui aërem adventu ſuo ſtatim inficiunt, vapidumque reddunt, horum tenuiſſimæ quædam particulæ poſt Solis occaſum piæ ſubito illo tempore concreſcunt, mox concretæ deorſum relabuntur, noſtrumque hunc aërem, quem reſpiramus, frigidiorem faciunt, temperiemq; illam, quam totâ die retinuerat, derepentè immutant, atque hæc eſt aura illa veſpertina, quæ plerumque noxia eſt. Hic Cotta : Ut video, inquit, eo prorſus fit modo : quo rorem, pruinamque fieri, non multis ab hinc annis nos docuiſti. Cui ego: Rectè intelligis. quinimò rorem ipſum, ipſam pruinam hanc interdum eſſe auram, explorata res eſt. Dum enim illa hunc infimum aërem inficiunt, eoſdem omninò effectus creant. Fit verò cùm ſudum eſt : non ſecus ac ros ſereno in guttas cœlo concreſcit. Tùm Cotta : Ergo, cum pluvium cœlum eſt, iſtiuſmodi aura neutiquam generatur. Rectè colligis, tùm ego. Ille verò: Sed quâ id cauſsâ ? Cui ego : Nempè pluvia

Quid ſit Aura Serotina ?

Quomodo è Terræ vaporibus fiat.

Cur, cum cœlum eſt pluvium, iſthæc aura non generatur ? aut cum venti vehementes perflant.

vapidos hoſce halitus, deprimit ſecum, inque ortu ipſo veluti jugulat: atque ità fit, ut illi vel circa terram diſpergantur, vel abeant in aquam. Tùm Cotta: Rem teneo perſpicuam. Tùm Balbus: At ſi id concedamus, & concedere neceſſe eſt, ſequeretur manifeſtò perflantibus generari ventis non poſſe. Cui ſtatim ego: Si vehementes venti perflent, ita profectò continget, ut dicis: tùm enim prævalido ventorum flatu diſſipantur: ſi verò tenues, ac frigiduli, non impedient, quin minus illiuſmodi vapores auram generent: imò juvabunt, ut facilè vapores concreſcant, quippè frigidi. Aſſentior tùm Balbus. At Cotta: Sed age, curnam hujuſcemodi auræ noxiæ ut plurimum? Quia, tùm ego, illiuſmodi vapores è terris vel fœtidis vel ſulphureis, vel aliâ vitiatis labe emergunt plerumque; quò fit, ut illis in noxiæ ſint veſpertinæ auræ, uti non ſanis imbutæ qualitatibus. Si ità, tùm Cotta, ſiccis in locis, puroque ſolo illæ auræ erunt tàm innoxiæ, quàm quæ maximè, & quia ſolum iſtuc tuum ſiccum eſt, & labe minimè vitiatum, ſerotinæ auræ haud noſtræ nocebunt valetudini: Tùm ego: Primum do facilè, quippè ex poſitis manifeſtò exiſtens: ſecundum non concedo: Nam etſi ſolum hoc ſit nonnihil ſiccum, habet tamen humorem ſuum: & licet labe minimè corruptum; nihilominùs quia latè arboribus, maximè nucibus adeò ſpiſsè inumbratum, ut ſolaribus radiis ſit penè impervium. Hic Balbus: Ita vero: quare non immerito ceciniſti.

Cur noxia?

Siccis in locis eſt innoxia.

Et Vici colles, & pampineum Surrentum.

Sed quid hinc conficis? Tùm ego: Auſculta modò, neque meis mihi verſiculis præpedimentum obiicias: iſtuc enim jamjam ibam ratiocinatione. Ex ſpiſſo illo arborum textu, præcipuè nucum juglandium, quarum vel umbram noxiam perhibent, ut illas à nocendo dictas plerique velint, fit ut aër ſit humidiſſimus, inque illo vapores ſtatim concreſcant in haſce auras, de quibus inquirimus, atque hinc fit, ut reumata, fluxiones latinè dicimus, ingenerentur: maximè noxium nempè eſt humidum, idque meo malo didici tertio ab hoc anno, cum apud me eſſet Taurinus adoleſcens: nam quodam die ad ambulandum progreſſi, adeò longè diſceſſimus, (ambulabat ille gradu grandi, & expedito, quaſi curſorio) ut in ſerum redire domum coacti ſimus; quia verò æſtuoſus dies inciderat, ego haud cycladatus meo more egreſſus fueram: præque nimiâ defatigatione, dieque æſtu largè ſudaveram, illicò præ veſperis frigore, ſolique humore congelatus ſudor eſt, perque patentia corporis ſpiramenta ſe altius inſinuavit, tanto valetudinis damno, ut ſtatim me

In Surrentino nocet.

acer-

acerbiſſimus dentium dolor invaſerit, quo penè enectus ſum. Hic Cotta: Vicem illam, mi Parthenie, quammaximè doleo: fas enim mihi dicere, quod ad Æneam quondam Dido:

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Nam mihi etiam interdum dentes præcipuè columellares acerbè dolent, cedo igitur, quo medicamento convaluiſti? Tùm ego duo mihi genuini dentes dolebant, quorum alter carioſus, alter labans: primò adhibui cinerem cervini cornu, quo confirmari dentes, mitigarique dolorem Plinius tradit: verùm luſi operam, nempè nihil levamenti mihi attulit: mox, ex medici præſcriptione, caryophillum aromaticum admovi, deinde philonium, quod Romanum dicunt: ſed & hæc fruſtrà reciderunt; poſteà amicus quidam balſamum neſcio quod, xylo haud neto dentibus impoſuit, ac benè imbuit: ſed vel hoc tantum profuit, quantum nihil. Hoc loco Cotta: Adeone immedicabilis hic dolor? verùm quid tandem. Tùm ego: Jamjam dicturus eram molaris radicem Soli expoſui: mirum oppidò! derepentè ceſſavit dolor. At Cotta: Nugaſne loqueris? haud equidem tibi nunc dentes dolent, non eſſet profectò jocis locus. Tùm ego: Loquor ſeriiſſima. Ille verò! Ah, ah, ah, vah! ut bellè jocaris, quo enim modo fiet, ut dentis radicem Soli obiicias? At Balbus: Næ tu tardus, Cotta, qui iſtuc non tenes, quid facilius, quàm erutum dentem Soli exponere? cum verò exemptus dens, ceſſat dolor. Et ille: Itanè Parthenie? Tùm ego: Ita enim verò. At hoc eſt malum radicitùs convellere, inquit Cotta. Sed quid facias, inquam ego, quando nulla alia eſt medicina? Agite, quoniam occaſio ſeſe attulit (placet reverâ jocari, ut arbitrabatur Cotta) fabellam vobis ridiculam narrabo. Tùm Cotta: Ita, quæſo; juvat exhilarare tantiſper animum. Tùm ego: Auſcultate, ridebitis quippè, eſt enim lepidiſſima. Pia quædem mulier, ex iis, quas aſcetrias dicimus, noſtræque familiæ, cujus habitum geſtabat, addictiſſima, ſæviſſimo intimi dentis dolore cruciabatur; & quamvis plurima adhibuiſſet medicamenta, nullo modo leniri dolor, nullo levari poterat: nam penitùs expellere non ſperabat, fortè ad illius domum ſuæ artis gratiâ tonſor, quo noſtri homines utebantur, acceſſit, vir lepidiſſimus, & non magis facie, quam facetiis perridiculus: ingenio etiam acri; quocircà ex tempore quamfacillimè comminiſcebatur: tantâ verò gravitate vultus, ut etiam prudentes, atque callidos in errorem inducebat: hic cùm gementem miſerabilem in modum virginem conſpexiſſet, Nunnam, inquit, à den-

Medicamenta ad dentium doloré levandum fruſtrà adhibita.

Soli dentis radix eſt exponenda, dum dolet.

Fabella lepidiſſima de Tonſore faceto, tribus verbis Dentium doloribus medenſe.

à dentibus doles? Et illa: Ità verò, bone vir, ſed cedo, ſi quid medicamenti in promptu habes, nam plurima tibi cognita medicamenta jamdudum accepi. Tùm ille vultu gravi, ac ſerio: Bono ſis, inquit, animo, mea filia, tribus non ampliùs, verbis ab iſto dolore, quem ſcio eſſe acerbiſſimum, te ſtatim eximam. Tùm illa: Hui! verbis, nimirum præſtigiis, habeas tibi iſtiuſmodi medicinam: nolo ego pietatis jacturâ mederi malo. At ille: Hos ſcrupulos deponito: nullum quippè in verbis hiſce piaculum. Et illa: At cedo, quæ ſint ea verba? Tùm tonſor: Audies cùm recitavero. At mulier, Ex quonam didiciſti? Ille verò: Ex Jeſuitis, quos tu meritò veneraris: & quibus fidem præſtare poſſis, quippè piis, & eruditis, ſi ità eſt, ut dicis, tùm illa, ſcrupulum depono, age jam, dolore me libera. Tùm tonſor: Vindicabo quàm citiſſimè, tribus nimirum, ut dixi, bolis, verùm indica mihi quis tibi dens doleat. Et illa: Ultimus hic molaris ſuperioris maxillæ. Ille tùm attentè inſpicit, attrectat digito, periculum facit, ſitne facilè mobilis, hæretque tantiſper animo, mox, Attento nunc, inquit, ſis animo, quæque ego verba pronunciavero, tu ſtatim repete, vide ne aliquod excidat, pronunciato clarè, & diſtinctè. Et illa: Attendam nervis omnibus, effare jam: te ſequar, ſed, quæſo, vide ne quid ſuperſtitionis iſtis verbis ſubſit. Tùm tonſor: Ne tu pervicax, inquit, quæ nec mihi, nec religioſis illis, ac doctis hominibus ſidem adhibeas, age, age eiice ſcrupulum. Dic ita: Dolet mihi dens. Tùm illa repetens, Dolet mihi dens, ille verò iterans rurſus, dic, dolet mihi dens: Tùm virgo voce perquàm lamentabili, dolet mihi dens, repetit. Hic tonſor, Heu tu, attento ſis animo, jam res agitur. Dic ita: Non dolet mihi dens. Et Virgo excipiens: Non dolet, inquit, mihi dens. Tùm tonſor, vultu hilari, ſed gravi: Non dolet igitur tibi dens? ergo ſana es, & ſalva. Hoc loco quantus fuerit circumſtantium riſus, & erant plurimi ad ſpectaculum acciti, vos ipſi coniicite. Tùm Cotta: Conjectamus facile, nam quis, vel maximè tetricus riſum non riſiſſet ſolutiſſimum? feſtivus ſanè tonſor. Imò tùm ego, totus quantus, quantus erat ab unguiculo ad capillum ſummum feſtiviſſimus.

Sed tamen amoto quæramus ſeria ludo:

Ut ait, Lyricus. Quid tu, Balbe? nam te ad interrogandum paratum video. Et ille: Vellem, inquit, ſcire cur quibusdam nocent auræ ſerotinæ, quibusdam verò non ità? Tùm ego: Quia plurimi cutem habent tenuem, & poris, ut ajunt, phyſici, pateſcunt plurimis; atque hinc facilè au-

Cur auræ ſerotinæ quibusdam noceant, præſertim literatis, aliis non item?

ras

ras illas excipiunt, tales verò ſunt literati, qui præ ſtudio calidiorem cervicem habent, & idcircò ſpiraculis quamplurimis laxatam. Qui verò duriorem cutem, & labore duratam induti ſunt: & quorum caput frigidum, & ſic ſpiſſius, & rimis minimè patens, hujuſcemodi auris minimè obnoxii. Viden'ut noſter ille villicus capite vix tecto brevi petaſo, imo interdum detecto omninò, & plerumque ſeminudus, nullâ aëris intemperie, nullis veſperæ auris vexatur. Tùm Balbus: Video ſanè, & miror oppidò, illi nihil omninò noxium: nos vel leviſſima intemperies, aura tenuiſſima, ſtatim lædit, ac vexat. Tùm Cotta: Sed jam tempus eſt è ſub divo in tectum ſe recipere, ne ſcientes in malum incidamus; ſentio enim humeſcere veſtimenta; delabuntur nimirum, de quibus diſputatum, auræ ſerotinæ. Tùm ego: Benè Cotta ſubmonet. Eamus: cumque ex hypætrâ in deambulacrum introiſſem, ſecuti illico Cotta, & Balbus ſunt. Vix dum intramus, cum Fabiolus funalem afferens, placidam nobis noctem impertivit. Cui ego: Benè eſt, Fabiole, atque amicos intuens, videte, inquam, hujus pueri ſolertiam, atque urbanitatem, illi ſtatim laudantes caput demulſere. Ego verò, cedo, quid in culina? Et ille: Cuncta, quæ mandaſti diligenter curavi, aqua cum butyro eſt in teſtudine, ut cùm tempus, cereales coquam vermiculos: ficedulæ verrunculo transfixe in promptu ſunt. Cui ego: Addidiſti inter ſingulas ſingula lauri folia? Ita verò, tùm ille. Cui tandem ego: I, cuncta adornato, dum nos libellum aſceticum lectitabimus. Hinc ille in culinam, nos in cubiculum pedem intulimus.

CAPUT IX.

De vitâ quietâ, ac ſolitariâ, quàm felix ſit, diſputatum, mox occaſione hoſpitum, de modo adornandi, condiendique quædam edulia. tractatum.

SEdebamus quodam manè in ſcopulo ego, & Eulalius, vir quo nemo comitate, nemo lepore, nemo gravitate conditior; quare mihi ſemper chariſſimus, & ex intimis familiaribus fuit: & dum mirâ cœli ſerenitate, mariſque placiditate, atque inſuetâ quâdam ſacri ſilentii ſuavitate frueremur, ità ad me ille: Quò magis, Parthenie, hujuſce amœnitatem loci oculis complector, quò ſalubrem hanc aëris temperiem liberiùs haurio, & ut dicitur, toto pectore, quò requietem hanc, beatumque ſilentium mente con-

Quanta Felicitas in vita quieta, & ſolitaria ſit, exponitur.

contemplor, eò magis me urbis, & rerum omnium, quæ in illâ magni extimantur, ingens faſtidium capit; ut jam ſolitariæ vitæ inſolens invaſit amor: ut nihil vigilans, nihil ſomnians, niſi de quiete meditor, ut Theocriti illud uſurpare poſſem.

καὶ γὰρ ἐν ὕπνοις
Πᾶσα κύων ἄρτως μαντεύεται, ἰχθύα κ' ηγών.

Canis panes ſomnians, Adagium.

unde factum adagium, Canis panes ſomnians, uno tantùm verbo mutato, ut quemadmodùm canis panem, ille piſcem, ego quietem ſomnier. Rideo ſanè nonnullos, qui iſtam tuam ſolitudinem non capiunt: neque te hîc felicem vitam agere, ſed miſeram arbitrantur: procùl nimirum ab humano conſortio, & ab iis voluptatibus, quas plurimas ſocietas affert, falluntur oppidò: & error illorum tantùm abeſt, ut de tuâ felicitate detrahat, ut etiam conducat. Hîc ego: Sentiant, quæ velint, dicant, quæ ſentiunt, non laboro: ſtultum profectò foret, miſſas facere res omnes humanas, quæ etſi umbræ (eſt tamen neſcio quid veluti latens poſt tabulam) & verbis, quibus nihil levius, & quibus nihil omninò ſubeſt, tangi, ac moveri. Hic Eulalius: O verbum ſapientiæ, & prudentiæ plenum! At miſeram ipſi vitam, & tot tumultibus turbidam, tot ægritudinibus gravem, tot viciſſitudinibus variam, tot difficilem caſibus ducunt. Enim verò, ſi ad beatitatem nati ſumus, quæ vita felicior eſſe poterit, quàm illa, quæ animi tranquillitate, corporis valetudine, in quibus humana felicitas, abundè fruitur? Et ſanè hìc loci animus ſibi ſatis, nihil deſiderat, nihil appetit, nihil odit, nihil metuit: quocircà immunis eſt ab iis perturbationibus, quæ ex deſiderio rerum humanarum naſcuntur, nunquam turbatur, non ardet irâ, non mæret invidiâ, non flagrat cupiditate, non turget honoribus, non falſus ſpe, deicitur: non ſimulat, non machinatur, non mentitur, non decipit; breviter, nihil eorum patitur, quæ vitiatæ naturæ ſunt. Accedit ab aëris ſalubritate, & frugalitate victus, quam in ſolitùdine velis, nolis, amplectaris neceſſum eſt, ſana valetudo, quæ promptum, atque expeditum facit animum ad ea meditanda, quæ felicem iſtam tuam requietem fovent, ac promovent: nimirum ſtudia literarum, quibus animus paſcitur, eruditur, ditatur, & ſe ab otio, & voluptate fortiter, & ſuaviter vindicat, quæ quidem duo præcipui ſunt ſcopuli, in quos homines plerumque impingunt. Et quamquam hîc videaris ſolus, atque otioſus ſedere, tamen & otium maximè operoſum, & ſolitudo tot habet comites,

Vitæ ſolitariæ commoda deſcribuntur.

quot

quot eruditi, magnique viri ex Græcis, & Latinis, nimirum ex doctiſſimis generis humani, hi ſunt quorum operâ, atque illuſtriâ monumenta quotidie præ oculis, præ manibus habes; ut meritò illud uſurpare poſſis, à Scipione dici ſolitum, ut refert Tullius, Numquam ſe nimirum minus otioſum eſſe, quàm cùm otioſus, nec minus ſolum, quàm cùm ſolus. Beata certè ſolitudo, quæ una facit, ut tantorum hominum conſortio fruaris. Verſiculos tuos ego, ut ſcis, ſummoperè amo; at illi, quos habes IV Halieut: mea mulſa ſunt, & ideò libentiùs dico, quod ſciam te non ex iis eſſe, qui ſe magnificè circumſpiciunt, quibus tu verſiculis nihil admodùm eſſe, quod ames, quam quietem hanc rebus omnibus præſtantiorem, profeſſus es.

Nam me non animi ſpes vanæ, & inania vota,
Nec favor inſtabilis vulgi, plauſuſque theatri,
Nec fœda ambitio movet, urbanique tumultus.
Gaudia pacis amo liberrimus.

Omitto reliquos ne faſtidioſus modeſtiæ tuæ ſim. Hîc ego: Rectè facis: non quòd illos aliquid eſſe, etſi informes etiam partus pulchri parentibus videantur, & eſt hæc providentia naturæ, nempè ut amentur, atque hinc tritum illud, ſuum cuique pulchrum, emanaſſe arbitror, ſed ne mihi aſſentari videaris. Et ille: Nihil minus, ſed teneo ingenium tuum, redeamus in viam, à quâ tui me verſus deduxerunt. Creſcit mihi, inquam in dies amor ſolitudinis: & pacata iſtæc vita, quâ nihil poteſt eſſe mitius, quantum mihi gaudium cumulet, haud facilè verbis explicare queo. Cui ego: Ne labores, credo equidem, ac de me ipſo conjecturam facio. Siquidem tota difficultas, eò vertitur, ut rectam quis de rebus opinionem concipiat, quod ubi obtinuit, ſtatim res humanæ, fictæ nimirum imagines, ac ſplendida quædam vocabula, ex animo decident. Hic Eulalius: Et hoc parum eſſet; quot ſpinæ, quot aculei ſub magnificis illis vocabulis latent? plurima quippè. Roſam dicerem, pulchra quidem illa, & frondium luxurie nobilis: ſed paucarum admodùm horarum ille decor, illa nobilitas, & ut tetigeris, punget: egregius flos ille, vireſcit, nitet, purpuraſcit, ut decerpas, allicit, invitat, ſed quid? latet ſæpè anguis, ut optimè poëta: Vita urbana quot incommodis obnoxia.

Qui legitis flores, & humi naſcentia fragra,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Aſſequatur aliquis magiſtratum, ſplendidum, magnificum nomen, cæteris eminere, coli, agere pro arbitrio, complecti amicos beneficio, competitores, & quibus cum nulla eſt gratia, ſubmovere è gradu, deiicere, magnâ potentià: ve-

sùm quantam affert tùm animi, tùm corporis ægritudinem? quot mala? ſolicitudine angi, conſcientiâ torqueri, curis diſtrahi, premi turbis, non benè audire, rumoribus lacerari; nonne id vitam eſt agere pluſquam miſeram? niſi miſeram, mutato rerum vocabulo, felicem vocent. Idem dico de reliquis honorum gradibus: quos ut aſſequaris, quot neceſſe eſt, ut devores? verſari ad aliorum arbitrium, iniqua ferre, ſimulare, ſubiici, adulari, quæ ab animo ingenuo, quàm ſint aliena, & quantum etiam indigna, etiam cæcus videt, ni etiam mente cæcutiat. Mitto ea, quæ perpeti opus eſt, ubi obtinueris: muneris obeundi laborem, & ſolicitudinem, æmulorum invidiam, cynicorum cenſuram, & quibus cum munera exerces, indocilem plerumque indolem, & mores tuis non conſentaneos. Quid verò, ſi collata munera, ut non ſemel cadit, ſupra vires, ſupra ingenium ſint? quanta meditatio, quanta diligentia, quantus conatus, ut ſi ea non decorè, at quàm minimùm indecorè obeas? Sentiant alii quidquid velint, ego quietem vitam præoptarem, & eligerem etiam, ſi poſſem. Et hæc quidem, quod attinet ad munera: venio nunc ad ſocietatem eorum quibuſcum vivis. Sunt vel hîc ſcopuli, in quos allidas, ſunt ſyrtes, in quas impingas: & ni fortem habeas animum, ingenium quàm per dexterrimum, naufragium facias neceſſe eſt. Et primùm quanta circumſpectio in rebus adhibenda, ut aliorum offenſionem vites? quanta in ſermone, ne verbum fors excidat, quod ſtatim ab iis decerptum, quibus cum verſaris, ad aliorum aures deferatur, qui ſi erga te non benè affecti, quantam creare moleſtiam tibi poſſunt? ſi benè, illorum amicitiam, atque benevolentiam perdas, quidquid enim de te reſcitum fuerit, ab illis delatum certò ſcias, qui apud te verſantur; tritum enim illud, Aut municeps, aut vicinus nunciavit, quare nulla major cautio, quam à domeſticis. Quanta prætereà ſolertia ne de te aliis ſuſpicionem præbeas? quanta diſſimules, quaſi non viſa? quanta, quaſi non audita? quanta toleranda vel maledicè, vel contumelioſè, vel per impudentiam, vel per ridiculum prolata? quanta ab inſipientibus temerè vel dicta, vel facta devoranda tibi patienter ſunt? Quod ſi tibi non tanta tolerantia (talia interdum accidunt, ut vel ſapientiſſimis patientiam abrumpant) quot rixæ orientur? quot jurgia? quot ſimultates? quantæ hinc animi perturbationes? plurimæ quippè, & graves; quantis, & quàm variis hominum moribus, te accomodes vel invitus neceſſe eſt? quàm diverſa feras ingenia, & tuo conſentientia ullo modo? quot caſus accidunt, quibus pro tempore conſulere difficile: & quodcumque elegeris, in de-

te-

teriorem partem ab aliis rapiendum ſit? quantas pati repulſas? quantas item dare, cùm expoſtulantur, quibus aſſentire non licet? Sine, quæſo, ut exclamem,

Gaudia pacis amo liberrimus.

Intereà loci dum hæc diceret, nuncius venit, nunciatque non longè abeſſe duos noſtrates, qui ad me Maſsâ ad Delubrum inviſendi gratiâ veniebant. Tùm ego, audito tali nuncio, Eulalie, neque hic noſtro otio, noſtrâ ſolitudine frui licet. Et ille: Quid facias? te extra orbem locare minimè potes, es & tu mitis ingenio, & non illiberalis; quocircà quid mirum ſi te facile conveniant? Eſt etiam quædam intercapedo ad reficiendos animos neceſſaria. Cui ego: Eſto, non refragor, at enim illud me angit, quod eò loci ſumus, ut in promptu habeas fermè nihil; quo igitur illos apparatu excipiam? De hoc non multum labores, tùm Eulalius: quod ad manus eſt, apponito: & ita ſatis officio factum; debuerant illi tibi diem dicere, ſi paulò lautius tractari voluiſſent. Sed quique ego currenti addo calcaria? promptiſſimus tu ad officia: neque tibi modus deeſt, quo brevi, nec multo labore (nàm celeritatem cùm ingenii, tuum manuum tuarum mirantur omnes) non inelegans prandium adornes. Cui ego: Bona verba: excidiſti, ut video ab equo: nempe poſt ſeria nugandum tantiſper. Sub hæc puer adeſt è vicino rure cum quaſillo, & ſalve, inquit, mi domine, bonumque tibi diem auguror: dominus meus te ſalvere jubet, rogatque, ut duas halce turtures, quas modò venatus eſt, accipere ne graveris, eumque excuſatum habeas, ſi plures non miſit, nam dies venationi non admodùm felix. Tùm ego: Meo illum nomine fac ſalutes, mihique gratiſſimum fuiſſe munus, & opportuniſſimum, nam cùm me duo hoſpites oppreſſiſſent, miſit ipſe aves lautiſſimas, quas illis apponam, ut verò puer diſceſſit, Eulalius: En ut Superi tuæ obſecundant comitati. Et ego: Plurima illis gratia reddenda mihi eſt, at age, maneto hic tu, ut illos excipias, ego ad videndum de prandio, me conferam. Heus puer, quas tu lepadas, ex iſtis ſcopulis collegiſti, affer ad me, dabo tibi præmium, ſtatimque domum concedo. In quam ingreſſus, Heus tu, Fabiole, inquam: Et ille: Præſto ſum. Cui tùm ego: Suntne cuncta parata? Et ille: Paratiſſima, inquit. Neque hîc ego manus habui ſub pallio. Et ego: Benè eſt, ſcitule: ſententias etiam addiſcis. Ille tùm: Caudex eſſem, ſi nihil ediſcerem, te magiſtro: Et ego: Tace, audacule: non decet puerum lineam tranſilire. Elixiſtin' cerebrum bubulum? Ità, inquit ille, ſed vereor ne ſit decoctum. Accipe, inquam ego, ut mittam digitum, mox cùm allatum attre-

Ædulia quædam ſcitè condita ad Hoſpites quoſdam excipiendos.

ctaſſem, ſcitè, inquam, coctum. Illud mox ego in fruſta quadrata oblonga, diſſeco, ſimilaque conſpergo, accipio deinde duo ova, inque catino, tùm vitellum, tùm albumen diverbero, inque ſpumam ire facio, interea jubeo puerum frixorium cum butyro ad ignem applicare, cerebri ego fruſta ovis involvo, inque ſartaginem mitto, ut frigerentur, quod genus edulii inauratum dicunt, quod ovi colore flaveſcens, aurum imitetur; frixa tali embammare ſcitè condio, accipio mel (habebam Siculum probatiſſimum, ab amico mihi dono datum) infundoque in aulam (quidam defruto utuntur, quidam ſaccharo) miſceo mox tantillum aceti: adjungoque uvam paſſam minutam conditaneam (Tarraconenſem appellant; ex illa enim Hiſpaniæ parte ad nos primùm delata) cunctaque ſimul coquo, coctum mox ſalſamentum ſuper cerebrum effundo, ſervo tandem lancem operculatam in hypocauſto.

Exinde, heus tu, inquam, Fabiole, fac ut puer ille, qui detulit lepadas, turtures, & pullos quatuor, ex his, qui in corte aluntur, deplumet, tu accipe coculum planum æreum, & ſumine inungito. Et ille: Habeo ad manus butyrum, liquabo illicò: Ego verò: Ipſe de aliis loquor, tu reſpondes de cæpis, tenes adagium. Et ille: Teneo quidem, ſed butyrum minus noxium. Næ tu doctior, qui delphinum natare doces? tùm ego fac ut juſſum butyrum farinæ immiſcebo. Mox ego ſcriblitam ſalgamariam adorno, accipio ſimilaginem, ſal Indicum, butyrum, & ovi luteum: cunctaque permixtim depſo, mox intritam diſſectim partior, extendoque unam partem cylindro lævigato, conformoque in circulum, quem coculæ æreæ impono. Accipio mox bellaria, minutimque trito, immixtoque plurimo lauroceraſo ſaccharo imbuto, ſuper extenſum circulum expando, tandem facto ex alterâ intritæ parte circulo altero, ſupra primum ſalgamis tritis plenum extendo, atque ſuperioris limbum, cum inferiore adnecto, limbumque dentatum facio, ſeponoque mox ſcriblitam, ut ſuccenſo clibano coquerem; meque ad offam adornandam accingo. Jus fieri jubeo ex medullâ, & lepades aceto elixari, ita enim caruncula illa è teſtâ per ſe divellitur, ego boletos, ac terreſtres tuberes aliquot, quos heſterno veſpere ab amico Neapoli miſſos acceperam, minutatim contritos in teſtudinem mitto, ſumineque frigo quibus tritum allium admiſceo, quo noxii tuberum, boletorumque humores temperentur. Sub hæc panem candidum pumicoſum durum in fruſta diſſeco: torreoque mox fruſta ſuper prunas, inque ampliſſima teſtudine miſceo jus, lacteſque vitulæ jurulentas, arietiſque coleos, boletos, ruberes, cuncta promiſcuè, lancem deinde ampliſſimam accipio ex nobiliori argillâ fictam: in-

inſternoque panis fruſtra ſemitoſta , mox acceptum cochleare jus illud cum admiſtis fartis infundo in lancem,ſtrata mox alia panis ſuperficie , jus iterum infundo, quo tandem totam benè lancem adimplevi , quam operculatam mitto in hypocauſtum, jubeoque puerum brevi educere,ne ſiccaretur,jurulentam enim volebam,non ſiccam . Hic me ille ſic interpellat : Jubes ne præparem pultem ex braſſica capitata ? Cui ego : Aſine,videturne tibi decorum hoſpitibus braſſicam apponere ? Ille verò , ut eſt promptus. Quidni? inquit. Maritabimus illam noſtro more,petaſone nimirum admiſto,glandio,lucanicâ,caſeoque bubulo : & ſi ad manus foret vaccæ lactantis mamma,quid ſuavius? digitos perroderent ſuos. Et ego: Saperet, fateor, ſed ſtomacho noſtro non quadrat. Accipe,ſtipes,mundato pyra illa non dum mitia, & cidonium malum ; inque minuta fruſta incide : poſtea verò præcoqua,& Appium malum,ex his pultem faciemus delicatiſſimam, vide,jus,ut ſit pinguiſſimum.Cum cocta(adverte,inſulſe,cidonia primùm, & appiana, quæ duriora,mox pyrum,præcoqum tandem in ollam mittito) accipito quatuor ova ; inque patellâ dilue : exin premito limonium quoad ſuccus omnis in patellam effluxit , cave ne unà ſemina confluant,ſumito poſteà ex ollâ jus, & in patellam verſa ; & permiſceto , totam tandem patellam in ollam verſato, atque hæc polenta ſapit noſtro ſtomaco,non braſſica. Accipe,aſine,lepidam fabellam: Quidam cænobii cujuſdam præfectus quotidie braſſicam ſcholaribus apponebat; quocircà illi tanto braſſicarum faſtidio tenerentur, ut illas oderant angue pejus,& cane,ut dicitur.Hic ille:Meritò quidem . Nihil enim eſt,quod facilè nauſeam creat,quam repetitus idem ſæpè cibus,ſed perge,quæſo . Audi tùm ego. Quadam die apud magiſtrum querebatur præfectus, quod diſcipuli non eâ alacritate,qua par erat,in ſtudium incumberent,neque tantum ingenii ſpecimen darent,quantum ipſe deſiderabat . Tùm magiſter:Ne,quæſo,mireris,pater,inquit;quippè non benè conveniunt braſſica,& ingenium. Nonne lepidè,& argutè dictum ? Hic Fabiolus tantum cæpit riſum ridere, ut penè emoreretur. mox factâ intercapedine,ſumptoque ſpiritu.Feſtiviſſimum,inquit,& cum ſale. At ego,ut ad noſtra redeamus , illum limonii ſuccum non probo. Cui tùm ipſe: Curnon? Quia:acidum ſtomacho nocet,inquit ille . Et ego: Nunnam tu ex novâ medicorum ſcholâ? Accipe,ſtipes,ſuccus ille facit,ut ova non tota coaleſcant:ſed grana velut diſtincta videantur,quo elegantior polenta ſit,Sed cur ita ? tùm ille . Quia,inquam ego, illius natura ſic eſt,ut,diſgreget.Et ille : Non intelligo, dic, quæſo, planius. Mixtorum partes ſeparat ſua acrimonia,inquam ego. At puer: Multo minus.Tùm ego: Næ ego ſtultus, qui aſinum ad tibiam voco.Quia verò jam gradus hoſpites aſcendebant,obviam procedo.

Hiſtoria de quodã Cænobii cujuſdam Præfecto , quotidie braſſicam Scholaribus apponẽte.

FINIS.

AU-

AUTUMNORUM SURRENTINORUM

LIBER III.

CAPUT PRIMUM.

Deditâ occaſiunculâ , perquàm lepida advenienti amico fabella narratur : mox eidem recitatum de Pace Carmen eſt .

SEdebam quodam dic ad menſulam, qui ſi rectè memini, erat primus ab Id : Octobris, cùm me Vellejus ne cogitantem quidem oppreſſit : quem ſimul ac vidi, arctiſſimè complexus, affabiliter excipio, mox curnam non per ſcopulum brevi compendio veniſſet, interrogo. Et ille : Surrentinus nauta (nam tuos illos Cotam, & Nardum, qui è Campeſtribus ſunt, nanciſci nullo modo potui) noluit , etſi hominem ſæpius rogarem, præmiumque etiam promitterem , ad ſcopulum Surrentini noſtri applicare, ajebat ſe impediri à neſcio quo nobili, quem ferre affirmabat, at ego præter religioſum hominem laciniatà indutum veſte, & tres , quatuorve è plebis fæce homunculos, neminem videbam, ni fortè ſues (ferebat enim porcellum) hîc nobiles vocentur, & me uti hoſpitem vocabulo luderet . Ne mireris , tùm ego : ſic ſunt

hic

hic homines iſtiuſmodi : cùm aliquid facere nequeunt, quod ipſis commodum non videtur, ſe à nobilibus, quorum hic ſumma apud plebem potentia, impediri ajunt, quod tu verò ſuſpicaris, veriſimile & illud quidem certè, ſtolida enim, & immunda animalia, jocandi gratiâ, nobiles vocant. Verùm hic, Vellei, oblata quoniam occaſio eſt, dicam paucis, quod mihi quondam accidit oppidò ridiculum, at ſero priùs hic, nam tu certè defaticatus, madeſne? nam dabo ſiccam ſubuculam. Ille verò: Minimè, fabellam expecto, quam futuram lepidam credo, novi te quippè horarum omnium hominem, quamquam perpaucorum ſis hominum. Tùm ego: Exornabo me lepidè tui gratiâ, accipe lepidiſſimam fabulam. Meſſana Rhegium Julium rediturus cum viro amiciſſimo, ac noſtrate, domo ad portum deſcendo, phaſelum, qui quotidie ex unâ in alteram oram navigat, ſubiturus; verùm, ut ambo venimus, tantis onuſtum vectoribus, ut nunquam tot Charon tranſvexerit, animadvertimus, quoniamque æſtuoſum etiam mare erat, è re noſtrâ duxi profectionem in diem craſtinum, quò necya celebrabantur, differre. At amicus, qui Rhegii Humaniores literas docebat, & habiturus eo die orationem erat, quam in ſtudiorum ſolemniis recitari uſus obtinuit, me rogat, ut phaſelum alium conducerem, quod mihi à re minimè eſſe videbatur. Inſtat ille: Honeſtius eſſe, ſi ego totum ad meum arbitrium, meumque commodum phaſelum conducerem. Cui ego: Amice, ſi vis ludere tuo, non meo corio ludito, iſtiuſmodi ego ſpeciem ne titivilitio emerem. intereà nauta ad nos propiùs accedit, rogatque nunnam Rhegium ire vellemus? eſſe in promptu phaſelum, in quo perquàm pauciſſimi vectores erant. Tùm ego: Veniemus, inque phaſelum gradum ambo inferimus, cumque unum, aut alterum vidiſſem, Eja, agite, ſolvamus, inquam. At nautæ expectate, quæſo, inquiunt, dum nobilis quidam veniet. Cui tùm ego: Vos pro more luditis, poſt nobilem accedet famulus, fortaſsè, & famula; mox alius; & ſic major erit thylaco acceſſio, ut eſt tritum. Tùm illi: Minimè, inquiunt, unum dumtaxat expectamus, jamjam aderit. Poſtea verò quàm parumper expectaſſemus, venientem quendam cum aſino conſpicio, tùm ego jocandi gratiâ, Nunnam, inquam, hic eſt nobilis, quem præſtolamur? Nautæ partim verecundiâ, partim timore, ne diſcederem, honorem præfari, Ipſiſſimus hic eſt, verùm parce, quæſumus, inquiunt; nam neceſſitas, quæ quidem ingens telum eſt, nos cogit, ut hunc aſinum, ſit honor auribus, tranſvectemus. Tùm ego cum riſu in ſtomachum

Sues vocantur Nobiles.

Lepidiſſima Fabella de Aſino apud Rheginos Nautas Nobilis titulo inſignis.

erum-

erumpens : Nobiles igitur, inquam, apud vos ſunt aſini? ite cum veſtris hiſce magnatibus , nolo veſtrum præclariſſimum cœtum meâ ignobilitate de honeſtare , atque hæc dicens pedem referebam . Cum familiaris , cui fixum animo erat ad conſtitutam diem Rhegii eſſe, me orat, atque obſecrat, ut cum aſino ire non dedignarer. Sed quid ego, inquit, aſinum? Pegaſus hic eſt : quare gloriari poteris te cum Pagaſo Siculum fretum trajeciſſe, quod quidem præter te haud ſcio an contigerit nemini, arripere occaſionem, quæ fortaſſe aliàs erit calva , Cui ego : Tunc etiam deliras? an me ex illorum poëtarum grege æxtimas , qui pro Pegaſo, aſinum conſcendant? Et ille : Id tu opinari nullo modo potes : ſcis quippè quanti te faciam, nam etſi faſtidii delicatiſſimi , tuos verſiculos audio cum appetentiâ, verùm ita humanarum rerum conditio eſt , ut tales ſint, quales nos eſſe ducimus , quare ſi hunc aſinum Pegaſum credamus , perinde erit , ac ſi revera Pegaſus eſſet . Hic Vellejus : Non multum ſanè à veritate aberat , nos ipſi rebus opinione noſtra ſpeciem fingimus: verùm quid tùm poſtea? Et ego. Quid? adeò me urgere inſtitit, ut tandem unà cum aſino navim conſcendi. Sed quid? cùm nautæ vela facerent, inque alteram partem navis inclinaretur, aſinus tanto timore correptus eſt, tantâ item nauſeâ agitatus, ut ore & (parco auribus) eructans, totam navim conſpurgaverit. Hoc loco Vellejus adeò ſolutè ridere cœpit, ut penè ilia diſrumperentur. Ut vix tandem ſe continuit , Mira , inquit , Parthenie, ſunt quæ tibi acciderunt, ut haud ſcio an nemini; vellem ut tuam vitam ſcriberes : eſſet oppidò mira, & jucunda. Cui ego : Faciam ſi erit otium. Sed age , redeamus domum. Quid novi Neapoli ad me attuliſti? amici omnes benè ne valent? Et ille: Valent pugilicè : præcipuè Balbus, & Sextus Niger, qui ut te ſuâ vice, iterum iterumque complecterer , ſummoperè rogarunt. Cn: Bellus valet meliuſculè, teque ſummo geſtit opere videre, atque affari. Tùm ego : Hactenus de domeſticis, ſed quid de extrariis? Quid? tùm Vellejus: Magnus rumor de Pace inter Europæos Principes ſanciendâ, quem uti feſtiviſſimum ad te defero : & ut certus ſit vehementer opto . Cui ego : Jam de hoc me Cardinalis certiorem fecerat; & tantâ voluptate affectus ſum, ut ſtatim inſanire libuit . Tùm ille in menſam irruens , Num iſtuc , inquit , carmen de Pace? Cui ego : Divinaſti tu quidem, Vellei . Tùm ille : Quæſo , inquit ut , è veſtigio recites ; tanta me cupido invaſit carminis iſtius , ut nunquam aliàs. Rudis, tùm ego, truncus, ut è ſylva venit,

nit, ſine doletur, excipies tùm, minore faſtidio: At ille: Non eſt opus aſciâ, utut eſt, recita: certè non aſinum illum, ſed Pegaſum redolebit. Ego verò: imò vide ne ab illo defluxerit aſino. Mitte jocos, tùm ille, occine; nam ſecus non omittam te urgere. Cui ego: Accipe, tu videris. ſtatimque de ſcripto recitare cœpi hoc modo.

PRO PACE DIUTINIS POST BELLIS PACTA CARMEN.

De Pace Carmen

O agite, & magnis, Divæ, ſuccurrere cœptis,
Aonides, properate, quibus pacata Lycæi
Eſt amor incolere, & ſævos odiſſe tumultus:
Auxilio mihi fas veſtro de vertice Olympi
Tandem in deſertas Pacem deducere terras.
Magnum opus: at magnæ vobis ad grandia vires
Orſa, Deæ; tentare quibus placet ardua, & altum
Difficiles per conatus decus addere fronti.
Ite duces igitur tanti decoriſque, operiſque.
Jam per tot clades, & per tot funera victor
Verſarat rapidum Mars implacabilis enſem.
Terrarum pars nulla Dei ſecura furore,
Nulla erat & lacrymis, & fuſo ſanguine ſicca.
Martia nam latè in populos pervaſerat omnes
Contago: ſimul una omnes inſania gentes
Torquebat, ſtimulis agitans furialibus iras;
Vt cœci in cædes ruerent, & mutua fata.
Hìc fremit irrequieta, diuque inſiſtere eiſdem
Neſcia limitibus gens Gallica: proximus urget
Belga ferox: Batavique ſuas ad prælia vires
Adjungunt, terriſque ſimul, pelagoque ruentes
Decertant, mediis ardet Vulcanus in undis,
Extentis & rauca tonans fremit æreus arvis;
Illinc, diviſi à noſtro licet orbe Britanni,
Haud tantos ſegnes aſpectavere tumultus;
In pugnas, inque arma ruunt. Mars ſævus ubique
Sanguine tot populùm, tot cædibus æſtuat, & ſe
Per mare, per terras violentis invehit armis.
Nec ſedet infrenis longè Germanus: ahenis
Ipſe etiam riget in telis, riget undique campus
Cornipedum crebris hinnitibus, & tonitru vi
Fulminea, qua pulſa ruant, & mœnia, & arces.
Horreſcunt Rheni ripæ: ſtat & horridus ipſe
Rhenus aquâ, fluvioque immiſſa cadavera volvit.
Non tantis & Iberus iners deſiſtit ab armis:

Nunc hoſtem contra movet hàc, nunc & movet illàc:
Atque animis certat magnis. Incincta ſecuri
Ardet Hyperboreâ, Lechi, gens clara ſub Urſâ:
Et conjurati deſcendunt agmine magno,
Inque Scythas, Thraceſque agitant certamina Moſchi.
Et pacata licet nunc Divûm munere, tantis
Haud procul à bellis Oenotria: ſæpè cruore
Turbidus Adriacis ſeſe Padus intulit undis.
Parte aliâ bellis Oriens, & cladibus omnis
Sævit atrox, ſævitque rigens Mæotis, & Hebrus:
Et faciunt animos civilia bella tyranno.
Barbara nec Libyæ tellus, nec turbidus Auſter
Ceſſat iners: Numidæque ruunt, Maurique rapaces,
Et terris latè portant, & fluctibus arma.
Intutum mare, & intutæ prædonibus oræ;
Vel deſerta jacent, vel deturpata rapinis.
Hæc ubi Relligio neglectis vidit ab Aris,
Et triſti delubra ſimul ſqualeſcere luctu:
Totque urbes, tot regno unâ convulſa ruinâ,
Tot populos, genteſque trahi, legeſque refigi;
Has ſecum effudit vultum demiſſa, querelas:
Tantum igitur Furiis licuiſſe impune malignis
Conceſſum? tantumne Erebo, turbæque nocenti,
Tartareoque datum Diti? ſuccendere bella,
Inflammare animos, odiiſque urgere cruentis?
Tot cædes hominum moliri, & funera tanta:
Totque urbes potuere armis, totque inclyta regna
Vaſtare, atque unà totum ſubvertere mundum.
Nempe ſacris etiam communi ſorte prehenſis,
Excidium latè inferrent, ac funditùs Aras
Eruerent? tantæ Furiis crudelibus iræ:
Tanta odia in Superos, rabieſque inſana nocendi.
Haud equidem ſcelerata ultra producier auſa,
Neve nefas patiar tantum. mihi certa labanti
Jam mundo, & populis mens eſt ſuccurrere tantis:
Quæque ferat feſſis requiem, quæ ſacra reducat,
Conabor Pacem ſummis accerſere ab aſtris.
Hæc ubi dicta, fugam niveis ſubvecta quadrigis
Arripuit, Paciſque petit celſiſſima regna.
Eſt locus aſtrigeri ſuper alta cacumina Olympi,
Lux ubi perpetuò fulget puriſſima, & omni
Nube vacat, ſtrepituſque vacat pacatus ab Euris:
Nubila ſed ſubter, animataque flamina, ventos,
Fluminaque, nubeſque, & rauca tonitrua calcat.
Hic dextrâ de parte, rubens quà ſurgit Eous,

Et vitam cum luce refert mortalibus, altæ
Divino aſſurgunt ſtructu palatia, ubi alma
Pax habitat, ſævos terrarum exoſa tumultus,
Et fera bella, nefaſque armis furialibus Orbi
Illatum : & placidâ fruitur bona diva quiete,
Criſtallo ex albo paries formatus, ab ipſo
Multas ubi, nitiduſque venit diſſectus Olympo.
Aſt adamante fores, atque atria prima niteſcunt,
Et ſuperum limen, quatuorque impoſta columnis
Teſtudo, ſtellis interdiſtincta coruſcis.
Et ſtellæ totidem ſunt ſcintillante pyropi
Lumine. quæ circùm ſtat projectura coronæ,
Et quæ capitulis ex fulvâ jaſpide factis,
Et docto inſculptis cœlo, ſubnixa columnarum
Eoo ardeſcit ſapphiro, & fulgurat aureis
Interſtricta oculis, & gemmis dives, & auro.
Aſt imum penetrale, capit quo dia quietem,
Effictum ſolido, nitidoque effulget achate.
Plurima cui ſparſim fulvis arbuſcula guttis,
Naturâ pingente, virent : maculæque per omnem
Sponte ſuâ gemmam ſerpentes textile ductu,
Atque notis variùm circùm curſantibus, ipſas
Cum Phœbo referunt Muſas, intonſus eburnam
Phœbus habet citharam, ſua ſunt inſignia Muſæ,
Se gemmâ pingente, tenent, mirabile viſu.
Non procul æterno vernantes gramine campi
Dædaleo rutilant textu, Phrygioque labore.
Nulla quibus rapidi nocet inclementia Cancri,
Nec gelido nocet afflatu implacabilis Urſa.
Sunt & multigenis lucentes floribus horti,
Naturæ ridentis opus : variata ſuperbo
Namque opere in foliis fulget pictura colore
Multiplici : croceo, nimirum, alboque, rubroque;
Cyaneo, viridique, & purpureo intermiſto.
Et diſcors vario concordia ſpirat odore.
Non tales, quamquam celebrati carmine vatum
Alcinoi quondam Phæacum in finibus horti,
Nec ſylvæ Heſperidum, ferrent licet aurea trunci
Poma : nec Indorum, flavo licet omnis ab auro,
Omnis & à gemmis paſſim fulgeſceret arbos.
Hic Pax Uranidum cœtu comitata ſororum,
Per virides ſpatiatur agros, campoſque beatos:
Atque choros agitat ſacros, optataque ducit
Otia, quæ nullæ poſſunt triſtare procellæ
Terrigenum, nullique unquam turbare tumultus.

Sed jam Relligio veloci invecta quadrigâ,
Piniferi juga celſa reliquerat Apennini.
Hinc trans Jonium per ſumma Ceraunia, perque
Ardua clivoſi Parnaſſi culmina fertur.
Præterit, & Pindum, Muſis loca cognita, & altum
Pelion, atque Oſſam, & lucis frondentibus, Oetam.
Et celeri tandem curſu pervenit Olympum.
Hic habiles ſiſtit bigas dea protinùs: & mox
Exilit, & Pacis greſſum detorquet ad ædes.
Fortè ſacro ſtipata choro Pax alma ſub ipſum
Veſtibulum ſtabat feſtas ductura choreas,
Nam ſolennis erat Superis lux illa ſub aſtra,
Quò Dea terrenis victrix remearat ab oris.
Quæ ſimul ac grandi properantem ad limina greſſu
Sacrorum Divam aſpexit, venit obvia: & illam
Circumdans per colla manus complectitur arctè:
Charaque ſinceris delibat baſia labris.
Mox quæ cauſſa, rogat, ſuperi ſuper ardua Olympi
Impulerit? ſocio fœdatas ſanguine terras,
Juſque datum ſceleri, & totne impia fugerit arma?
Quæ dudum averſata, furentes liquerat ipſa
Mortales, odiis ſe inter, belliſque petentes,
Cui ſic Relligio miti ſermone profata,
Eſt ingreſſa: Soror mihi Pax gratiſſima cunctas
Uranides inter Divas, quæque una ſerenas,
Una & per totum diffundis gaudia Olympum.
Una etiam, ſi Diva voles miſereſcere, terras
Undique bellorum nigrâ caligine merſas,
Stragibus & tantis hominum, luctuque gementes,
Luce tuâ, actutum tenebris, & nocte fugatis,
Illuſtrare potes, ſubitamque afferre ſalutem.
Illarum nunc ipſa graves miſerata labores,
In tua regna, ſuper ſtellati culmina Olympi,
Ipſa tuæ ſpatiaris ubi ſecura quietis,
E deſolatis Divorum altaribus, Eque
Dejectis latè ſacris, adytiſque refractis,
Abs te, Diva ſoror, lapſis depoſcere rebus
Auxilium, veni, & requiem tot gentibus, & tot
Concuſſis bello regnis, & atrocibus armis.
Ne patere, ut toto victor Mars impius Orbe
Amplius exultet, miſcens ſtrageſque neceſque,
Et tot cum miſeris evertat civibus urbes.
Ne ſine, ne quæſo, rabidas baccharier ultra
Eumenides, Dirasque omnes immanis Averni.
Quæ face Tartareâ curſantes undique terras,

Accen-

Accendunt odiis animos, iraſque miniſtrant;
Vaſta quibus foveant bellorum incendia, & atris
Omnia corripiant flammis, atque omnia perdant.
Haud equidem, fateor (neq; enim ſum neſcia rerum)
Immeritæ tantum gentes meruere favorem.
Quæ cacæ ſtimulo vindictæ, atroque furore
Prædarum captæ; dirâque cupidine regni,
Non ſanctas curant leges, non jura Deorum:
Cuncta per & ſcelera, & per mutua funera currunt;
Præcipites, quòcumque ferus trahit impetus, & quò
Eumenides retrò flammis ardentibus urgent;
Sed te, Præſes ego, quæ Divûm altaribus adſum,
Relligio, per ſacra rogo delubra, per ipſas
Deſertas Superorum aras, miſerere benigna
Diva, fatiſcenti mundo, veniamque profanæ
Da genti: extremoque ruentes exime caſu.
Teque meæ id poſcunt comites Pietaſque, Fideſque;
Quorum, Dia ſoror, juſtiſſima vota, preceſque
Ne patere incaſſum recidant: ſcis ſemper ut illæ
Sint benè promeritæ de te: tua Numina ſemper
Ut cunctæ colerent gentes curavimus, & te
Plauſibus amplexæ lætis, feſtoque triumpho.
Quare age, luce tuâ bellorum nocte fugatâ,
Divinis tandem illuſtra fulgoribus Orbem.
Te, Dea, redde: dabis pacem, & bona gaudia terris:
Et ſacra reſtitues delubris, & decus aris.
Aſpice ut egregiis Pater Innocentius orſis,
Undique turbatum ſtudeat componere mundum,
Mitiget ut flammas odiorum, ut leniat iras,
Ut ſævas dirimat lites, ut jurgia pulſet.
Paulatim ut flectat mentes, animoſque feroces
Conciliet: vinctaſque trahens ad fœdera gentes;
Ut populos, ut regna manu nutantia firmet.
Aſpice, ut inſignes Capitoli in vertice pompas
Apparet, atque dies terris indicere feſtos:
Utque triumphales meditetur in æthera moles
Tollere, & antiquos Patrum renovare triumphos;
Ut te, blanda ſoror, pacato numine, ab alto
Accipiat reducem, & ſacratâ in ſede reponat.
Ergo age, rumpe moras: has mecum inſcende quadrigas;
Et quò ſacra Fides, Pietaſque benigna repoſcit:
Et te tot votis Genitor ter maximus optat,
Solenneſque parat pompas, bona Diva, venito.
Dixerat, has contra placido dedit ore loquelas
Pax tranquilla. Soror mea maxima cura, meum cor,

Quam-

Quamvis optatam teneam ſecura quietem
Ædibus his, nulli quas perturbare tumultus;
Non iræ poſſunt hominum, non bella nocere.
Auſaque terrigenum quamquam, ſcelerataq; facta,
Non ſibi, non equidem tantum meruere favorem;
Non tua, Dia, tamen mihi fas contemnere juſſa:
Quæque etiam dant ſacra Fides, Pietaſque: Quirini
Nec pia fas Patris fruſtrari vota, preceſque
Nam viget in cœlo ſemper clementia, & ipſi
Sunt ſemper faciles hominum miſereſcere Divi.
Tecum igitur veniam, & rurſus pacata reviſam
Mortales, dioque replebo lumine terras.
Hæc poſtquam roſeo Pax alma ex ore locuta,
Relligionis adit bigas, ſcanditque Jugales
Ilicet alipedes cæpere per aëra curſum.
Atque fugâ montes nunc hos, nunc præpete & illos
Prætereunt, circùm diſpulſus ſibilat æther,
Intereà, mirum! tenebroſus cogitur aer
Threicios retro in fines, Rhodopenque nivoſam,
Addenſatur ubi cælum, palleſcit Eous.
Horrida nimirum Pax illùc bella relegat.
At contra occiduo fulget lux clara ſub axe.
Mars fugit expulſus, fugiunt unà agmine facto
Eumenides, rabieque comas, irâque frementes
Anguineas lacerant: & tartareo ululatu
Antra petunt ſtygia, & nigris clauduntur Avernis.
Nuncius interea Romam pernicibus alis
It Zephyrus, ramumque ferens frondentis olivæ,
Syderio properare Deam de vertice Olympi
In terras iterum, optatamque afferre ſalutem
Nunciat, & requiem, & conſtantia fœdera Mundo.
Ilicet ex adytis ſe Paſtor Olympicus imis
Effert, purpureo Patrum comitante Senatu,
Omnis, & extemplò quem plebs Romana ſecuta eſt.
Obvius & Divæ venienti occurrit, Ubi Pax
It terris propior, divinâ, & luce refulget,
Tùm ſummus Pater, & Procerum chorus omnis ovantum;
Omnis & inflexo Divam gens poplite adorant.
Et dignas referunt grates: & murmure feſto
Per medias pompas, perque alta trophæa, per arcus
Inſignes opere, & gemmis, auroque ſuperbos,
Manſuram æternùm Capitolia ad alta reducunt,
Annuit his votis bona Diva: atque omine læto,
Pacta iterum pulſis firmavit fœdera bellis,

FINIS.

Ut recitavi, Placetne, inquam, Vellei, carmen utut rude, & incudi non dum redditum? Et ille: Placet ſummoperè, & ut dicam quod ſentio, non eſt quod amplius limes, atque expolias, adeò mihi raſum, tornatumque videtur. Cui ego: Itane verò? Et ille: Ita enim verò, ſcis me latinè loqui, & nihil magis odio habere quàm fucos, & fallacias. Atque id cùm diceret, puer adeſt, nunciatque veniſſe Stabiis amicum quendam, cui ut obviam iremus, illicò aſſurreximus.

CAPUT II.

Literæ ab amico tranſmiſſæ recitantur; mox occaſione arrepta ab Homero quæſitum, cur hic Æthiopes inculpatos vocet: & unde niger in Æthiopibus color oriatur.

SEdebam quodam veſpere in Calopſide, & libellum ſublegebam, cùm me Nardus convenit) eſt hic adoleſcens, qui literas interdum, & vidulum manè defert Neapolim, veſpere verò rediens, literas ab amicis acceptas, & quæ ad me mittuntur, deportat in vidulo) & ſalve, inquit, mi Poëta. At ego: Vidiſtin' Eulalium? Vidi, inquit, ille: èque manibus literas in manus dedi, ut tu mihi mandaveras, ille verò has mihi ad te perferendas dedit, hanc verò epiſtolam quidam ex veſtris adoleſcentibus, ut in manibus Lucilio darem è meis manibus juſſit. Cui tùm ego: Teneſne illius nomen? Neutiquam, ille. Eſt autem juvenis, ſtaturâ, quæ commodam excedit, capillo ſuccineo, & aliquantulum vibrato, colore inter aquilum, & candidum, naſo oblongo, cujus crepido altè prominet, juxta dextræ auris alam nævus in cinerem deſcendens, auribus patulis, voce gravi proximâ. Tùm ego: Hem! ut graphicè pinxiſti hominem. Habeo illum mihi perquàm notiſſimum ſtatimque accerſiri jubeo Lucilium. Interea reſignatas Eulalii literas perlego, & erant multiiuges, & ponderoſæ. vix ad umbilicum veneram, cùm en Lucilius, cui ego: Accipe has literas, quas, à Balbo ſcriptas certò exiſtimo: adeo enim mihi illum ad vivum deſcripſit Nardus, ut nihil dubitem. Ille, acceptâ epiſtolâ, cùm inſcriptionem vidiſſet, non hoc, inquit, Balbi autographum, fortaſſe ab alio inſcribi juſſit, mox ſolutâ, ille, inquit, eſt. Rectè igitur conjectavi, inquam ego, ſed videamus quid ſcribat. ille verò cùm tacitè literas perlegiſſet, Nihil admodum, inquit, quod tua ſcire referat. Recita, inquam ipſe: aveo ſtylum

illius

illius in ſcribendo cognoſcere, nunnam ſimplex, & purus. Tùm Lucil: tergiverſari cæpit, uſus verbis ambiguis: ſunt quædam, inquiens, quæ ad me amicè ſcripſit, & pueriles quidam luſus; quibus de poſtea: dabuntque anſam lepidè jocandi. Cui ego: Næ ego ſimplex, quem tu deludas, certum eſt mihi illas nugas è veſtigio audire. Ille quoniam ſic jubes, morem geram, audi, modo, atque attende.

BALBUS LUCILIO SUO
Ευπράττειν.

Balbi Familiaris epiſtola ad Lucilium, per quã de ſuo ad Parthenium advẽtu illum facit certiorem,

Craſtina die benè manè ego, & M. Junius te, & Parthenium conveniemus, quia verò illum ex improviſo opprimere volumus, quæſo, ut hâc de re nihil illi ſignifices; nolumus enim, ut noſtrum cauſsâ ſe vexet, perpauxillum contenti ſumus, non enim iſtuc ad curandum cutem, ſed ad inviſendum amicos veniemus; quorum conſortium dulcius quâvis cœnâ, quantumvis dubiâ: gratum verò nobis facies ſi ficus aliquot in puteo reponas, ut frigus benè concipiant: illis nos, ficedularum more, (quas cave compares, nam ingratam rem nobis facies) ſaginare animus eſt. Nos hinc feremus gallum Numidicum ſcitiſſimè conditum (ab amico dono accepimus) & quædam bellaria, quæ mihi ad manus ſunt; plura per tempus, non vacat; ſunt & plurima alia, quæ dicam, feſtiva quidem illa: ſed præſenti ſermoni reſervantur. Vale Neapoli, Pridie Id:Sept: MDCLXXXIV.

Hoc ego loco: Faciam, inquam, ut ſentiat Balbus, ſe me reverâ inſperatum oppreſſiſſe, nolo ut ficus reponas, neque, ut ficedulas compares, quas ille eleganti præteritione petit, ſat illi erit ſuus gallus Africanus. Tùm Lucil: Haud equidem inducor; ut id credam, ſcio quippè quàm tu erga amicos comis, ac liberalis, facies ex te certò cùm mox iram concoxeris, nunc enim, ut video infermento es. Age ſis, transferamus hinc aliò ſermonem. Quis iſtic libellus? Cui ego: Homerus. Nempè mihi genialis, tùm ille. Lectita igitur levabimus tantiſper animum, jam reviviſcens Zephirus blandè nobis adſibilat.

Cur Homerus Æthiopes inculpatos vocet, inquiritur,

Tùm ego Homerum recitare cæpi: tenebam enim plurimos verſiculos in memoriâ, cum verò ad hos veni,

Ζεὺς γὰρ ἐπ' ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα: θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.

Nullos eſſe Deos arbitrantur AEthiopes, ex Diod. Sic.

Sic me Lucil: interpellat: Cur poëta Æthiopes inculpatos vocat? nunnam quia Deum ſanctè colant? verùm hi, ut

ait

ait Diodorus Siculus, nullos eſſe Deos arbitrantur: & Solem ipſum, quem gentes penè omnes veneratæ, ipſi in loca paluſtria fugientes exorientem exſecrantur, an fortè quod humano ritu, & æquiſſimis legibus vivant? verùm hi ferino ritu, nullis legibus, ſummâ barbarie, atque immanitate vitam agunt, ut tu in Geographiâ adnotaſti. Tùm ego: Æthiopum gens varia, & latè per univerſam penè Africam diffuſa eo modo, quo per Aſiam Scythæ pervagati ſunt innumeris fermè familiis, & quemadmodum hi quidquid terrarum ultra Caucaſum eſt: ita iſti quidquid Africæ ultrà Atlantem ad Oceanum uſque Æthiopicum eſt, occuparunt. Ex his verò, qui ſub Ægyptum incoluere religioſi habiti, ut idem Diodorus refert, & ab Ægyptiis cultus Deorum, ritus, & cæremonias acceperunt, imò ſingulis annis ex urbe Dioſpoli Jovis ſimulacrum, cæterorumque Deorum, qui ſummâ ibi religione colebantur, accipiebant: perque univerſam Libyam circumferentes duodecim dies feſtum celebrabant, ad quam conſuetudinem reſpiciens doctiſſimus poëta ſubjunxit.

Vivunt ferino ritu.

Per Africam pene omnem pervagati ſunt AEthiopes.

Qui ſub AEgyptum incoluere, religioſi habiti, & de his loquitur Poeta.

Δωδεκάτῃ δέ τοι αὖθις ἐλεύσεται οὔλυμπόνδε

Hoſce verò Æthiopas meritiſſimò inculpatos Homerus appellat. Imò ipſi (ut me legiſſe certò memini, neſcio apud Herodotumne, an Diodorum) in argumentum ſuæ innocentiæ illud ſæpè jactare ſoliti, quod nullis unquam gentibus ſerviviſſent. Aliquammulti, autumant legi oportere μετὰ μέμνονας αἰθιοπῆας. Quia à Memnone nimirum Æthiopes orti ſunt. Ego, ſi fas eſt dicere, quòd ſentio, puto idcircò ab Homero innocuos appellatos, quod cùm longè ab aliis gentibus præcipuè Græcis habitarent; quocircà ἔσχατοι ἀνδρῶν ab eodem dicti: nulla unquam cum illis bella, nullæ contentiones: neque quid inter ſe agerent ſatis compertum erat; atque ob id innocui vocari à principe poëtarum meruerunt. Hic Lucil: Aſſentior, veriſimile quippè. Sed age quando in Æthiopes incidimus; undenam fieri putas, ut Æthiopes adeò nigri ſint? quare & nomen obtinuere, ut te non præterit; & factum item adagium Æthiopem lavas, quod de re inutili, & quæ fieri haud poteſt, jactatur: nempè illi totâ cute nigricant, ut fruſtrà illos laves. Cui tùm ego: Scripſit Hiſtoriæ pater Herodotus, Æthiopes nigrum ſemen promere; atque idcircò nigros, à radice nimirum procreari, id verò, quod ille vel vulgi opinione, vel aliorum relatu ſcriptum tradidit, falſum eſt omninò; quare furuum Æthiopum colorem à geniturâ minimè oriri in manifeſto eſt, ego id à calore eſſe arbitror, qui cutem inficit, nigramque reddit,

Sed veroſimilius eſt, Inculpatos dici quia nulla cum Græcis Bella AEthiopes geſſerunt, utpote qui longè ab illis habitarent.

Undenam AEthiopes nigri? An a genitura, ut falsò ſentit Herodot?

contra frigus album inducit, id verò quotidianâ experientiâ exploratum, compertumque eſt: etenim qui mediam mundi plagam, quam ob nimium calorem torridam dicimus, & inhabitabilem veteres crediderunt, latè incolunt, nigri omnes cute, nigris capillis, & vibratis: atqui Septentrionales mundi plagas perpetuo fermè frigore algentes, æternâque obſitas nive, habitant, nivei ſunt, promiſſo capillo, ſimplici, & flavo; qui verò medias plagas temperie præditas colunt, hi medio inter album, & nigrum colorem generantur: & quo magis, vel ad Septentriones, vel ad Auſtrum convergunt, eò magis vel candicant, vel nigricant; quocircà à calore nigrum, à frigore candidum progigni colorem liquidè conſequitur: imò apud nos in eodem atque invariato climate, qui montes inhabitant candore, qui litora fuſcedine inſigniti, nempè frigidus in montanis aër, in litoralibus verò calidus. Hic Lucil: Probabilia prædicas, nec multum admodùm diſſentio. Verumtamen eſt, qui me pungit ſcrupulus. Et ego: Videlicet? Ille verò: Qui circa Æquinoctialem in ipſo terrarum umbilico, ubi calor vehementiſſimus, minus nigri, quàm Æthiopes eſſe perhibentur, qui quidem Æthiopes longiùs abſunt, & circa æſtivum Tropicum paſtorum ritu pervagantur; quare Nomades appellati, quibus in locis in ipſo temperiei confinio paulò remiſſius fervefcit calor; quare non adeò ſatur eſſe color deberet. Cui tùm ego: Nigerrimos eſſe Æthiopes, quàm ſint Americi, Indi, & quotquot juxta Æquidialem habitant, do facilè: vehementiorem verò apud hos calorem effervefcere, nego: enimverò, illi maritima, ut plurimùm incolunt, quæ ventis perflantur, tellus crebris imbribus irrigantur, montoſa item loca quamplurima; quibus conficitur remitti calorem, atque ſuâ frui gentis temperie, imò tùm in mediâ Africâ, tùm in Americâ, præſertim Peruviâ altiſſimi montes nive ſemper obſiti, atque ob id circùm aër frigidior: quique hæc loca tenent, atro dilutiore ſunt. At verò Libya interior, atquè immenſa Africæ deſerta, quæ hujuſcemodi Æthiopes loca incolunt, mediterranea cùm ſint, atque arenis ſqualentia, nullis perflata auris, niſi Auſtro calidiſſimo, nullis irrigata imbribus, immenſo calore æſtuant, ut ſcintillare aërem credas: id ipſum apud nos experimur; ſiquidem valles per quas hyeme torrentes refluunt, æſtate quia ventis imperviæ, & repercuſſi è lapillis quàm ſiccisſimis Solis radii ardentiſſimi, immenſum ſanè in illis calorem ſentimus: fateor me quondam in unâ hujuſmodi val-

lium

An à calore nimio?

Qui circa AEquinoctialem, minus nigri, quàm AEthiopes; quia hæc loca, vel montoſa ſunt, vel imbribus crebris irrigantur, perflantuſque ventis frigidis,

lium non tantum enectum, Hic Lucil: Cedo, inquit, quæſo, quo id caſu accidit? Et ego: Narrabo quàm libenter. Rhegio Julio diſceſſeram, ut ægrotantem amicum, virum nobilem inviſerem, qui in pago, cui à divâ Chriſtinâ nomen factum eſt, non procùl ab urbe Oppido, quæ mediterranea in Brutiis eſt, incolebat; jamque extremam illam Apennini partem, quæ ad Leucopetram excurrit, Jonioque alluitur, ſuperaveram, cùm in vallem deſcendi, deſcendi autem? imò præcipitatus ipſo cum mulo ſum miro modo. Hic Lucil: Deus ſancte! quo id pacto? Cui ego: Da aures: rem oppidò miram audies: erat anguſtus trames, quem geminæ hinc, inde ſepes complectebantur, illàc ſe mulus intulit, nullo impellente, ego viam, quà eundum eſſet arbitratus ſum, eâ ductus opinione, quòd illiuſmodi jumenta peritiſſima locorum ſint, neque agaſo, qui pedes ſequebatur, me admonuit. Erat autem trames præceps in vallem, & profundus, quocircà, vix pluſculùm proceſſit mulus, cùm repentè per declive præcipitatus eſt: quia verò ſepes tramitem anguſtiſſimè coarctabant, me, mulumque veluti manibus tenentes hinc, atque hinc conſtipabant, factum eſt, ut ſenſim præcipitaremur, neque ego ab ephippio excuterer; uno verbo tùm ego in mulo, tùm mulus in plano erectus ſtetit, ne leviter quidem offenſi, certè id divinâ factum ope duxi. Et Luc: Haud ſecùs fieri potuiſſet; gratias ago Superis, & tuo in primis bono genio, quod te nobis ſervaverint, & ut diutiùs ſervent; rogo, quæſoque. Sed quid intereà agaſo? Tùm ego: Quid? nos conclamata quaſi corpora deflebat, ſuum identidem mulum nominatim inclamabat, quo de magis, quàm de me dolebat: ſeque pugnis tundebat arcerbiſſimè, neque ille quid factum eſſet eo loci videre poterat. Tùm Lucil: Major illi de muli jacturâ, quàm de tuâ vice dolor erat. Ita ſanè, inquam ego, nam hujuſce infimæ ſortis homines pluris beſtias, quàm nos faciunt; ut verò in vallem per rectam, non verò, per compendiariam illam, venit, & nos vivos, ſoſpiteſque vidit, nec quidquam accepiſſe incommodi, tanto ſtupore perculſus, tantâ perfuſus lætiâ eſt, vt vix ſui compos eſſet. Ego verò ex fumo, ut dicitur, in prunas incideram, tantum enim illius æſtu vallis ſuccenſus ſum, ut penè torrerer; credidi certò fore, ut acuta me febris corriperet, quocircà adeò calcaribus urgere mulum cæpi, ut parum abfuit quin me præ furore excuteret: tandem tranſmiſsâ eâ celeritate, quâ potui longâ admodum valle, in pagum veni, hic ſtatim ægrotum viſi, meque acerbiore morbo laborare, æſtu nimirum ardentiſſimo,

Parthenius dum Amicum ægrotantem inviſit, præcipitatur.

mo, illi profeſſus ſum, qui ſtatim nivare aquam famulum juſſit, quam brevi benè nivatam tantâ animi voluptate unico hauſtu exhauſi, ut nunquam aliàs. At Lucil: Certè quidem tibi illam in eâ corporis affectione ſaluberrimam fuiſſe credo, & medicatiſſimam. Haud dubium, inquam, me ab imminenti febri vindicavit. Si in Libyæ deſertis infelices illi homines hujuſmodi potum in promptu haberent, non ita frequenter perirent, etſi patientiſſimi ſitis ſint; atque hic quædam hiſtoriola in mentem venit, quam tibi narrarem, ni vererer ne te nimiâ dicacitate opprimerem. Imo, tùm ille, quæſo ut enarres; audiam non modo patienti, ſed etiam libenti animo. Atq; audi, tùm ego: eſt operæ prætium audire adeò inſolens eſt. Per immane quodam interioris Libyæ deſertum, ubi vaſtæ ſolitudines, nudæque arenæ paſſim occurrunt, mercator quidam unà cum famulo inter faciebat, ſecum undamque, laremque ferentes, ut ait Poëta; nam cum nullæ per ſolitudines tabernæ, fontes nulli, ni tecum ea omnia, quæ ad vitam conſervandam neceſſaria ſunt circumferas, brevi vel fame, vel ſiti intereas, neceſſum eſt: nam etſi quidam interdum putei reperiantur, tamen quia hi rari admodùm, & peſtilentem ut plurimum aquam continent, & à latronibus ſæpè obſtructi, ut viatores ſiti enecti ipſis in prædam cedant vel mortui, ni tecum habeas, quam bibas pereas tandem oportet. Hoc loco Lucil: Suntne qui negotiandi cauſsâ per iſtiuſmodi deſerta peragrant. Cui ego: Tanta eſt hominum avarities, ut nulla tàm horribilia loca ſint, in quæ non irrumpant. Ego tùm Lucil: neque ſi Midæ opes, aut Cræſi divitias comparaturus eſſem, in illas irem ſolitudines, nec ego, inquam, tàm ſtultus, qui auri ſpe in tàm vaſta, atque horrida deſerta pedem inferrem, ſed redeamus ad infelicem mercatorem, jam poſt multorum dierum iter, cœperunt aquæ inopiâ laborare, nec ulli fontes, neque ulla mapalia viſebantur, quocircà tanto mœrore affecti ſunt, ut jamjam contabeſcerent: ipſe deſerti horror, ipſa cœli intemperies, continuus ferarum timor, ipsâ morte erant acerbiora; tandem eò ventum eſt, ut nonniſi unus aquæ cyathus in famuli utre ſupereſſet, petiit illum dominus ardentiſſimo æſtu efferveſcens, at famulus, meâ, inquit, induſtriâ, meâ parſimoniâ, imo tolerantiâ, ſervatus ille eſt, mihique debetur, neque minus chara mihi mea vita eſt, quam tua ſit tibi; præthereà æquum eſt, ut ego ſuperſtes, tibi ultima officia perſolvam, nempè me inſepultum jacere decet, ut tu more patrio ſepeliaris. Hoc loco Lucil: Næ iſte famulus officioſus, at iſtæc ego offi-

Hiſtoriola de Mercatore quodam, ſiti enecto, per Libyę deſerta, una cum famulo.

cia

cia facere, non fieri mihi voluiſſem; ſed age, quid poſtea? Quid? tùm ego, cùm fruſtrà precibus hominem flecti mercator intellexit, avaritiâ evincere adortus eſt. Impetravit igitur: tùm Lucilius: nullum quippè avaratiâ telum potentius eſt. Cui ego: Rectè conjectas, multis aureorum millibus unum dumtaxat aquæ cyathum domino ſervus vendidit; eâ ſpe captus, fore nimirum, ut brevi puteo potitetur: verùm, ſive id errore viæ, ſive locorum ariditate factum, haud ſcio, nullos puteos, nullam aquam invenerunt, quocircà ambo ardentiſſimâ correpti ſiti interierunt. Hic Lucil: Stultior hic certè famulus, quàm Lyſimachus, ille regnum cum uno aquæ hauſtu, hic vitam commutavit. Sed age quo id pacto reſciri poterit, ſi ambo perierunt? Jam iſtuc ibam, inquam ego: quod reticeri ſine notâ vix poterat: perhibetur, antequam famulus fato concederet, totam in arenâ tragœdiam ſcripſiſſe, & ſic à viatoribus cognita res eſt, qui illâ ipsâ pecuniâ monumentum ſtruxerunt, cum epigraphe, quâ tota hiſtoria breviter narrabatur. Benè factum, inquit Lucil: ut reliqui admonerentur; ego ut dicebam per illas ſolitudines, & ſi ad Solis hortos, & beatitatis perventurus tandem eſſem, haud proficiſcerer. At ego: Imò eſt & aliud malum, nec rarum illud, nec minus pernicioſum (mitto beſtias partim venenatas, partim feroces, quæ quidem frequentiſſimæ) interdum vehementiſſimi venti perflant, qui infelices Æthiopes uno eodemque momento temporis, & necant, & obruunt. Quo id modo? ait Lucil: Cui ego: Adeò calidi, æſtuoſique ſunt, ut ſtatim homines præfocent, interdictâ illicò, ſublatâque penitus reſpirandi facultate; quia verò immenſos arenæ turbines commovent, atque impellunt, illos de repentè obruunt. Tùm Lucil: Intelligo: Habes id tu Naut. VII.

Unus aquæ cyathus pluribus millibus à Famulo venditus Domino.

Sæpè à vehementiſſimis venti Æthiopes enecantur, & obruuntur.

Arabiæ deſerta velut, Libyæ & loca circùm,
Cùm gemini adverſo ſpirarunt flamine venti:
Hinc Notus abreptam magnâ vi voluit arenam
Inde levem Boreas nubem ciet horridus: ingens
In medio cumulus ſuſtollitur: atque ubi quondam
Campus erat, magnus congeſti pulveris extat
Confeſtim mons, & miſeros premit altus euntes.

Sed redeamus ad inſtitutum. Si à calore Æthiopes nigritiem induunt, cur nigrâ naſcuntur cute? Et ego: Fateor, colorem illum primos illarum regionum incolas à calore contraxiſſe; contractum verò, primigeniam quaſi labem, in nepotes propagaſſe, idque ex eo manifeſtè conficio, nimirum ſi Europæi in Africam commigrent, incipient ſenſim

nigre-

nigreſcere : & quò magis à primis nepotes diſtant, eò nigriores naſcuntur ; contra ſi in Europam Æthiopes veniant, eorum filii paulatim nigritiem illam exuunt ; clarum igitur præ nimio Solis ardore Æthiopes nigreſcere . Atque hinc etiam eſt, ut barbâ , & capillo criſpo generentur : quare meritò Plinius : Æthiopas, inquit, vicini ſyderis vapore torreri , aduſtiſque ſimiles gigni , barbâ , & capillo vibrato, non eſt dubium . Hic Lucil: Ità eſt , ut dicis, non oppedo . Verùm cedo, cur ungues nigræ in illiuſmodi populis , dentes verò magis candidi , quàm in cæteris, qui albi naſcuntur ? Quia, inquam ego , ut ait Ariſtoteles, à cute procreantur, ut illius ſint veluti appendices, adeoque mirum videri non debet, ſi nigræ etiam ſint ungues. Sed de dentibus major difficultas, qui à cute minimè proveniunt, quare non eſt cur ex hoc capite nigricent: idem Ariſtoteles capite x Problematum id ait evenire, quia illis calor humorem omnem detrahit, & nihil eſt admodùm, quo illos ſuper inficiat, ſic ceram, humore exhalato, videmus albeſcere , cutem cùm calor inficiat , nil equidem mirum eſt , ſi furva ſit . Tùm Lucil: Veriſimile quidem, ſed pergamus porrò , cur iidem Æthiopes blæſi pedibus , & ut Latini dicunt, Valgi naſcuntur ? quotquot enim vidi ex Æthiopiâ devecta ad nos mancipia, hoc vitio laborare deprehendi . Cui ego : Imò ferunt etiam Ægyptios valgos eſſe, cruribus nimirum in diverſum actis, id autem ex eo fieri crediderim , quia quemadmodum calore ligna diſtorquentur ; ità & Æthiopum crura præ nimio calore depravantur , quâ etiam ex cauſsâ , ut modò dicebam , criſpi etiam pili : nempè blæſi & ipſi, contracto à calore vitio. Atque in id ſermocinationis rediens offendit Nardus, quem ſimul atque vidi ; Ubinam tu intereà ? Et ille : Ubi? ſuper ficum illam aſinaſtram atram , quæ in extremo horti angulo eſt, quò agricola non facilè divertit : meque ficis ad ſatietatem uſque ſaginavi . Cui ego : Bellè tu quidem: nimirum ut pingueſcas alienis jacturis ; non tu iſtuc religioni ducis? Ille verò : Non me mordet hic ſcrupulus: tantâ fame torquebar, ut in ipſum agricolam impetum feciſſem . Næ tu lupus famelicus, inquam ego . Ille vero : Neſcis equidem, mi Poëta, quantam remus famem excitet. Age , cedo ſi quid de prandio mihi repoſuiſti , nam hic dies lautus tibi fuit . Repoſueram , tùm ipſe, ſcutellam paſtillis caſeatis benè plenam : illam quando tu ſatur ficis es, puero concedam. Ille vero : Ne dubites ne mihi ilia rumpantur : ficus jam decoxi , eamus tandem : jam enim contenebraſcit . Hic Lucil: Benè monet Nardus, eamus.

Cur ungues nigræ, Dentes vero candidiſſimi in Æthiope.

Cur etiam Valgi?

Dum

Dum autem redimus, advertit Lucil: ſub magnâ caſtaneâ calyces quoſdam echinatos, qui è ſinu maturas jam caſtaneas promebant: quare jubet Nardum caſtaneas illas carpere, ad me verò amor eſt, Parthenie, hoc veſpere caſtaneas aliquot comedere, guſtabis tu etiam nonnullas: ſcio quippè illas tàm tibi gratas eſſe, quàm quæ gratiſſimæ. Fateor, tùm ego, me Sardianâ glande delectari. Tùm Lucil: Cedo, cur Sardianas glandes vocaſti? Quia, inquam ego, Sardibus primùm provenere: atque ob id Sardianos balanos Græci appellant. Tùm Lucil: Toſtas ne faciemus, an elixas? Tùm Nardus: Furnacea eſt ſapidiſſima. At ego: Mihi placet ſubcinericia, quæ enim cineribus obrutæ torrentur, innocentiores reliquis ſunt præcipuè ſi pipere, & ſale, vel ſaccharo condiantur. Hic Lucil: Quid iſtuc ſcitamenti eſt? nunquam ità noſtri condivere. Cui tùm ego. Idcircò tot inteſtinorum flatibus, crepitibuſque obnoxii, ut vix ferri queant. At Lucil: Vera narras: ſed age, conferunt ſtomacho, necne? multi enim ab illis tanquam noxiis ſe continent. Ego vero: Conferunt plurimùm, nam, ut ait Plinius, ſiſtunt ventris, & ſtomachi fluxiones, aluum cient, ſanguinem excreantibus proſunt, carnes alunt. Dum Nepetiæ admodùm adoleſcens humaniores literas docebam, novi hominem octogenarium grandi ſtaturâ, vegetum, & ſucci plenum, qui ut narrabat, optimâ ſemper uſus fuerat valetudine, quem cùm rogaſſem, quo cibo uſus eſſet, ad valetudinem conſervandam: reſpondit ſe ſingulis diebus loco cœnæ veſpertinæ, caſtaneis ſubcinericiis paſtum, & frigidam bibiſſe, atque hujuſmodi cibo pinguem factum, & optimâ ſemper fuiſſe valetudine. Tùm Lucil: Iſte homo, inquit, ſuario more craſſeſcebat, ut qui eodem cibo uteretur, tibi verò id non contigit: non enim multum opimus evaſiſti. Cui ego: Hem! nugas agis, an vis dicere me caſtaneis ſæpe veſci? verum raró admodùm apponuntur. Sed omittamus jocos: Heus tu, Fabiole, accipe paſtillos, & huic dato, ille verò (ſedebat enim ad januam periſtylii, in quod jam ingrediebamur) Paſtillos? jam illos canis concoxit; etenim vix repoſui, cùm hic in hypocauſtum inſiliens, illicò devoravit. Tùm ego ſubiratus: Trifurcifer, tu illos certò devoraſti, ſed faciam, ut verſuram ſolvas, incœnatus cubitum ibis. Hic Nardus: Si paſtillos comedit, aut ibit incœnatus, vis ut illum pugnis probè exoſſem. Minimè, inquam: corripiam ego illum ſine fuſte. Nardus verò: Verbone? at hic tanti verba facit, quanti digituli crepitum. Heri mihi dixit, hic Poëta multa minatur, extricat nihil. Ego tùm, Faciam profectò,

Caſtaneæ Sardianæ Glandes appellantur.

Conferunt ſtomacho.

ctò, ut ſentiat, ſi extricare valeam, atque hæc dicens periſtylium ingredimur.

CAPUT III.

Amicis convenientibus, convivium adornatur, cujus occaſione de quibuſdam cibis præparandis tractatur: mox inter convivandum de variis vini generibus diſputatum: plurimaque ſcitu digna quæſita.

PRimo manè cum in hypethram deambulatum, auraſque matutinas captatum exiviſſem, quòd tuendæ valetudini plurimùm confert, me Lucilius aggreditur, &, ſalve, inquit, amicum Muſis caput. Cui ego: Salve mi ocelle, dormiſti placidè hac nocte? Et ille: Placidiſſimè: & ſomnium item habui amœniſſimum. Cedo, inquam ego, cujuſmodi illud fuerit. Somniatus ſum, inquit Lucil: veniſſe Balbum, & M. Junium, atque à te comiter exceptos, convictuq; perquàm hilari. Cui ego: Ut bellè commentus es argutulus tu quidem, & totus poëticus, nimirum, ut ſic ego de prandio videam, erraſti: non ego ſimplex, quem tu facilè capias. Ille verò: Non certè commentus ſum, ſed reverâ ſomniatus, non me planè noſti? nonne meum animum in ſinu geris? Credo equidem, tùm ego; nam quia iſtuc tu magnoperè optabas, facilè ſomniatus, non tenes poëtam?

Credimus, an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt.

Et ut bellè Theocritus.

Εχω δέ τοι ὅσσ' εν ὀνείρῳ
Φαίνονται, πολλάςμεν ὄϊς, πολλὰς δε χιμάρας.

Ità enim verò, ut tu eruditè, non oppedo ait Lucil: verùm age, amici, & quidem chariſſimi ſunt, quocircà omnibus proſequi officiis te decet, adornemus igitur prandium, quod ſit tuâ liberalitate, tuo magiſterio dignum. Cui ego: Nunnam intellexiſti unquam in me officium erga amicos deſideratum? Et ille: Minimè verò, ſcio quippè te nihil antiquius habuiſſe, quàm amicis inſervire, & quod magis mirum eſt, in illos præcipuè tua conſtant officia, qui impares tibi vices reddiderunt: imò abuſi ſæpenumerò ipſis beneficiis ſunt, nempè tibi ſic eſt animus, ut benè facias etiam immerentibus. Ego tùm: Fateor compluſculos non reſpondiſſe meo erga ipſos amori, ſed quid facies? ſic eſt hominum natura, ut beneficiorum facilè obli-

Multorum ingenium verſatile.

vi-

viſcantur, multorum item genius verſatilis, inque eam partem facilè vertuntur, ubi majus commodum ſperant; uno verbo, ut ventus eſt, ità velum vertunt. Tùm Lucil: Vera prædicas, iſtiuſmodi ego homines ventorum indici, quem petalum vocant, comparare ſoleo, qui pyramidibus, turribuſque præfixus, in eam partem convertitur, in quam ventus ſpirat. Cui ego: Facis aptè: & ſic ſanè ſunt, venales homines, incoſtantes, adulatores, quorum amicitia mercatura quædam eſt ſuarum utilitatum, quibus illud bellè cadit, Chius, non Cius, Hos ego concoquere nunquam potui; quamquàm officiis nunquam defuerim, ni me fallo, ſed redeamus ad inſtitutum: haud enim hiſce in queſtibus libenter immoror. Heri veſperi luſi potiùs, quàm iratus fui: etſi factum minimè laudem, non probè novit Balbus ingenium meum? Hic Lucil: Nolebat ille tibi negotium præſtare occupatiſſimo, quamvis ſciret unum tibi negotium, curam unam eſſe, præ tuo, amicorum habere commodum, præcipuè eorum, quos tu ab unguiculis educaſti; ut ita dicam. At ego; Utut ſit, nolo ut eat dies: videamus de prandio. Primùm apponemus ficus. Hic Lucil: Juſſiſti aſſervari? Et ego: Silvius quaſi divinaret, fore ut id illi mandarem plurimas, & mitiſſimas repoſuit cum ficis apponemus petaſonem Samniticum exquiſitiſſimum, quo nos Purpuratus ille Antiſtes donavit, vir in quo quid priùs laudes neſcias, adeò in illo omnia magna. Hoc loco Lucil: Novi Principem benificentiſſimum, tuique amantiſſimum. Et ego: Adjungam petaſoni aniſum ſaccharo confectum, ut appetentiam præſtet. Deinde leucophagum delicatiſſimum. Tùm Lucil: Jam jocaris, nam tu neque leucophagum ſcis adornare, neque neceſſaria in promptu habes. At ego ſubiratus: Tot habes documenta noſtræ artis, noſtræ providentiæ, & adhuc ambigis? Accipe: poſtquàm tu cubitum conceſſiſti, ego caponem occidi, depilarique juſſi, & nunc elyxatur, oryzæ farinam attulit in vidulo Nardus; quo verò conficiatur modo teneto. Primò capi pectuſculum decoctum, in tenuiſſimas filamenta ſolvitur, inque frigida reponitur, mox ſumam unam, aut alteram lactis heminam, admiſceam oryzæ farinam; ſingulis lactis heminis binas uncias. Hæc in teſtudine ad prunas lentè coquuntur; eſt autem opus, ut continuò lac verſetur, ubi jam incipit ebullire caponem immiſceam, & duas ſacchari uncias ſingulis heminis: ſpargam item aquam odoratam ex aurantii floribus extillatam, ubi tandem materies concreta in lancem ingeritur, ut verò ſciam quandonam materies ſit ſcitè cocta, & coagulata, ita periculum faciam: accipiam cochleari

Chius, non Cius. Adag.

Leucophagum delicatiſſimum adornandi ratio.

illius tantillum, inque lancis margine ponam: deinde inclinatâ lance, video divellatur, necne? ſi divellitur, jam coƈta: ſin minus, verſanda iterum ad prunas eſt. Hoc loco Lucil: Proh Deum immortalem! quanta ſcit hic homo, alter mihi videtur Elæus Hippias, qui, ut ait Cicero, cujus verba recito, cum Olympiam veniſſet, maximâ illâ quinquennali celebritate ludorum, gloriatus eſt, cunƈtâ penè audiente Græciâ, nihil eſſe ullâ in arte rerum omnium, quod ipſe neſciret, nec ſolùm has artes, quibus liberales doƈtrinæ, atque ingenuæ continerentur, Geometriam, Muſicam, Literarum cognitionem, & poëtarum, atque illa, quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus; quæ de Republicâ dicerentur: ſed annulum, quem haberet, pallium, quo amiƈtus, ſoccos, quibus indutus eſſet, ſe ſuâ manu confeciſſe. Hic ego ſubridens: Imo amplius (juvat aliquid more ſenum gloriari) ſcio, & mihi panem pinſere, condire cibos, & diſſutos pannos aſſuere. Sed relinquamus Fabiolo nuces. Apponemus item ficedulas ſcitè præparatas. Videlicet? tùm Lucilius. Et ego: Atque audi: fici foliis involvam, faciamque globum, quem junco revinciam: mox cineribus obruam, ſic toſtæ ſunt perquàm delicatiſſimæ, maximè ſi pipere, & ſale condiantur, compluſculi aurantii ſuccum infundunt, verùm iſtiuſmodi ſuccus non eſt mei ſtomachi & mihi etiam dentes obſtupefacit. At Lucil: cui Chryſomalum in deliciis erat. Iſtic, inquit, ſuccus nimiam illam avium illarum pinguedinem temperat; itàque fit innocentior. Ego vero: Hoc ipſum præſtat piper, ſed pergamus reliqua, poſteà apponemus braſſicas apianas cum bove elixo: ut verò lepidè ſapiant, glandium adjungam, & inſicium. Hic Lucil: Vide, quæſo, ne ſint ſubrancida: nam ſic pultem perdes. Cui ego: Hui! ſumne ego fungus? quoties ego te admonui hâc in re ſupinos admodùm coquos eſſe, qui ſalitam porcinam tanto rancore affeƈtam cum polentâ admiſcent, ut nullo modo guſtari poſſit, nonne melior, ſalubriorque pura, putaque puls foret, quàm carne prærancidà admiſta? Et ille: Quis id non videat? Et tamèn illi cæcutiunt. Sed jam prandium ſatis dapſile, addito præcipuè Gallo Numidico, quem, ſe allaturos ſcripſerunt. Tùm ego: Mane, nondum, addam paſtillos eſculentos, quos condiam ſcitiſſimè. Tùm Lucil: Tu vis illos excipere quàm lautiſſimè, ſed quo paſtillos paƈto condies? Et ego. Hoc, in ſcobrem atteram radulà caſearià bubalum caſeum Acerranum, item Parmenſem, & Batavicum, permiſceam mox florem butyri recentis, hiſce paſtillos imbuam, mittamque in hypocauſtum, mihi crede,

Elæus Hiſpias omnium artium peritiſſimus.

Alia Aƈdulia præparantur.

de, nihil delicatius edi poteſt. Tùm Lucil: Credo facilè; verùm eſt ne ampliùs. Etiam, tùm ego, nempè quod Surrenti eſt optimum. Et ille, Intelligo, vitulam dicis, at illam non comparaſti: Cui, inquam, Lucili, tu me non probè noſti? miſi antequàm albicaſceret Sylvium, ut illam, unà cum ficedulis præſtinaret. Tandem pro ſecundis menſis faciam cruſtula multifolia, leucophago, & dulcibus tunſis infarta, tuberoſa. Ille verò: Iſtiuſmodi cruſtula nunquàm te aliàs feciſſe memini. Ità enim verò, tùm ego, at erunt non illepida. Ille tùm. At cedo, ni id tibi grave ſit, quo fiant modo. Cui ego: Dicam compendio. nàm ni fallor, phaſelus ille, qui rectâ ad nos velificat, amicos devehit. Tùm Lucil: Veriſimile quippè: verùm vix poſt horam appellet, diſtat enim v. milliariis circitèr, quantùm ego oculis rationem capio. Ego verò: Vix ſunt quatuor, & fertur ſecundis auris: quare intrà tres quadrantes perveniet, ſed veniamus ad cruſtula. Heri veſperi poſteaquàm tu ad ſomnum profectus es, ego (vide hominis diligentiam) in culinam conceſſi cum puero, hìc in abaco mundo, & lævigato binos farinæ filigineæ pugnos poſui, inqne craterem conformavi; addidi mòx pauxillum ſalis tunſi, puriſſimi. Hoc loco me ſic Lucil: interpellat; Curnàm ſalem adjunxiſti? Quia ſic, tùm ego, intrita farinacea in tenuiſſimas nebulas extenditur, quàm faciliſmè, mòx aquam in fontem infundo, atque intritam ſubigo, intereà jubeo puerum butyrum liquare in teſtudine, ego mox intritam inſtrumento orbiculato extendo quoad poſſum, manibus deindè ipſis explico, expandoque per totum penè abacum, quoad tenuiſſimæ inſtàr bracteolæ evaſit, his factis, in ter, quatuorve faſcias diſſeco, inungo butyro primam faſciam, atque convolvo. Hic Lucil: Cur butyrum potiùs, & non ſuillum adipem adhibuiſti? Cui ego: Quia nimirùm ſuillus adeps noxius ſtomacho, quippè qui non facilè concoquitur: butyrum non ita. Si ſic, tùm ille, quâ de cauſsâ noſtri ſumine utuntur? Tùm ego: Næ tu pinguis Minervæ, qui id non tenes? Tùm ille: Jam intelligo, butyrum carò emitur, ſumen vili vænit. Cui ego: Tetigiſti rem acu. Eſt etiàm illud, fateor, imus plerumque, quà conſuetudo ducit. Sed pergamus porrò, phaſelus jam properat, unâ faſciâ plicatâ, aliam ſuper convolvo, butyro priùs inunctam, tertiam deindè, & ſuper hanc deindè quartam: facioq; veluti cylindrum multifolium, πολύφυλλον Græci dicerent, mox butyro benè imbutum, frigido in loco, ut molleſceret, repono. Tùm Lucil: Cedo, inquit, (vide quan-

Cruſtula quomodo fiant?

tis te interrogantiunculis vexo) cur butyrum infunditur? Et ego: nè unam in maſſam folia coirent: & ut mox, cum furno coquuntur, ſeparatæ reſiliant ſingulæ cruſtæ, ſic enim friabile fit edulium, & delicatiſſimum. Intereà loci dùm hæc dicerem Sylvius venit, quem ſimùl ac vidi, emiſti, inquam, vitulam? Et ille: Maximè, at lumbos habere non potui, accepi pectuſculum: quod ſcio à te probari. Benè eſt, tùm ego: minoris venit, minùs habet oſſium, & meo judicio perquàm delicatum, comparaſti ficedulas? Et ille: Ne plumam quidèm inveni, omnes Neapolim primâ luce deportatæ. Hic Lucil: Id certè ægrè fero, volebam hanc amicis præſtare gratiam. Cui ego. Per nos non ſteſtit. Vix hæc cum puer adeſt, nunciatque veniſſe quendam curſorem cum tabellâ, & ſurpiculo. Cui ego: I, cito, & illum ad me adducito, mox Lucilium intuens, Hic certè à Veſpolo miſſus cum munuſculo, ſi ficedulæ, nihil opportunius. Ut curſor introductus, rogo quì ſe miſiſſet? Et ille Veſpolus: juſſitque adferri quaſillum hunc, ubi ficedulæ undeviginti, coturnices verò duodecim. Tùm ego: Divinavi, Lucili; & ille: Nihil ſanè gratius mitti poterat, ſed paucæ admodùm. At ego: Imò quot neceſſariæ erant, nonnè ſex ficedulæ, & quatuor coturnices ſingulis vobis ſatis ſunt? nàm ego, ut ſcis ab illis me libentèr contineò, mox curſore cum tabellâ, & præmio dimiſſo, in ſcopulum deſcendimus, ut amicos jam propinquantes exciperemus. Vix dùm deſcendimus, cùm phaſelus ad ſcopulum applicuit. Ut exiliere, Itanè, inquam, me ex improviſo adorti eſtis? in vos damnum recidet. Illi verò: Præ te cupimus nihil admodum. Neque hùc venimus convivii gratiâ, ſed ut te inviſeremus, & muſas tuas, quæ tám gratæ nobis ſunt, quàm quæ gratiſſimæ, quid jucundius expetas præter illas? Quibus ego: Bona verba. Muſæ non paſcunt. Tùm illi: Corpus non paſcunt, quippè: ſed animum, & quidèm abundè. Nec fas eſt eruditos quidquam appetere, quo non ſatur fiat animus. Quibus ego: Laudo ſtudium veſtrum, verùm ſi ità, feretis profectò, quod poſcitis: nàmque hìc præter Muſas, nihil eſt. Sed agite, valetis ne rectè? Et illi: Planè benè, & ut dicitur pugilicè, vales tu cum Lucilio iſto tuo? Valemus, tùm ego, & nos belliſſimè. At Balbus Lucilium intuens, Parcus admodùm verborum es hoc mane, vidiſti lupum? Tùm ille: Me decet tacere cùm Parthenius loquitur: nempè ſilent ranæ, cum tonat Olympus. Cui tùm ego: Argutulus tu quidèm, & blandis te moribus induiſti, verùm omittamus iſtæc, & quòniam multum die eſt, eamus domum

mum. Tùm Balbus: Eſt hîc, Parthenie, Gallus Afer, & capſulâ itèm cum quibuſdam bellariis, quæ amicus dono dedit: jube domum deferri. Cui ego: Conſultò nimirùm factum, & benè, ne jejuni ſederetis. Heu tu puer, accipe hæc, & nos ſequere, reliqui nautæ in ſpeluncam phaſelum ſubducant, non enim hîc tutum eſt ſtare in anchoris, ſiquidèm à meridie vehementior ſufflat Zephyrus, & plurimi hic circùm ſcopuli, mox ire pergimus: cùmque verò modico per clivum gradu ſcanderemus Balbum rogo, numquid novi Neapoli circumferretur? Et ille: Ex Africâ, ut vetus adagium eſt, novum monſtrum allatum. Cedo, inquam ego, nàm ſi lepidum in Autumnos meos infarciam. Et ille. Imò lepidiſſimum, & inſolens: Camelus eſt. Cui ſtatim ego: Atqui Camelus haud inſolens monſtrum eſt, an tibi fortè monſtroſus, quia gibbus? Tùm Balbus? Ne, quæſo, tàm rudem me putato, audi modò: Gibbus eſt, verùm tanta mole exuberat illiuſmodi tumor, ut altior ſit, quàm Camelus ipſe, turritum diceres elephantum, eſt prætereà biceps. Tùm ego: Id ſanè monſtroſum eſt, atque inſolens. Ille verò: Ex imâ cervice gemina educuntur colla ſatis producta, quibus duo præfixa capita ſunt, bicipitem hydram meritò appellarem, ſed de hoc plura per otium, habeſne tu hic aliquid novi? Tùm ipſe: Nihil admodùm, hîc enim loci moſtra non generantur, nec afferuntur aliundè: neque turbæ ullæ ſunt, nec rumores feruntur, indigenæ pacis amantiſſimi: quaſque locus delicias affàtim ſuppeditat, fruuntur ipſi bonâ pace, quocircà meo genio haud ſcio an alter. Sed jam in Caloprſidem ventum erat, ubì viſum amicis tantiſpèr immorari. Quibus tùm ego: Manete vos hîc cum Lucilio, ego prandiolum accuratum ibo. Et illi: Nè, quæſumus, multum negotii ſuſcipias. Et ego: Neque ſi vellem, poſſem, quando me præſcium eſſe noluiſtis, ſtatimque rectà domum me capeſſo.

Camelus monſtroſus.

Hîc advocato Fabiolo, jubeo ficedulas, & coturnices deplumare, ipſe intereà Sylvium accerſo, adfuit ſtatim ille. Cui age, manus operi admoveamus, in tripode caldarium imponito cum aquâ, & tantillum ſalis iniicito, ut paſtillos coquamus, poſteà verò caſeos hoſce in ſcobrem attere radulâ illâ recenti, & mundâ. Ego intereà dulcia in pila, prius panno lineo deterſa, tundo: admiſceo mox leucophagum, deindè æreum coculum planum accipio, inungoque ſumine, acceptum poſtindè cylindrum multifolium ab heſterno veſpere ex plicatis nebulis confectum, atque cultro calido in plures orbes digitales diſſero, mox unctis digitis extendo, atque explico, infartis poſteà dulcibus plico

in

in orbes ſemilunares, coculoque æreo impono. His confectis hoc modo, paſtillos coquo: coctoſque, & frigidâ infusâ nonnihil tepefactos in lancem ingero, condioque butyro recenti, & diverſo illo caſeorum genere jam in ſcobrem comminuto, tandem operculatâ lance in authepsâ colloco, ut ſic ſenſim paſtilli incaleſcerent, liquatoque ſenſim caſeo fierent quaſi jurulenti. Mox. Heus tu, Fabiole, inquam, deplumaſti aves? Et ille: hæc tantùm, quam in manibus habeo, deplumanda. Cui ego: Age, move te ocyùs, ut deplumaveris, vola in hortum, & aliquot fici folia decerpito, ſint quammaximè ampla; intereâ jubeo nivem emi, quæ quoniàm longè diſtrahebatur, opus erat puerum tempeſtivè mittere. Vitulam deindè veru infigo: veruque apto ad rotatum inſtrumentum, quod verſando veru meâ tandèm induſtriâ comparaveram, ſtratiſque ſubter prunis per ſe lentè movendum relinquo. Hæc inter adeſt puer ex horto cum foliis ficulneis: illis ego ficedulas depilatas, pedibuſque, & roſtro diminutas cum lauri foliis, & ſale involvo, cineribuſque ferventibus obruo. Incendi ſubindè furnum, purgarique braſſicas jubeo, ipſe petaſonem ligneo ſuper orbe, & lucanica in ſegmina tenuiſſima diſſeco, inque geminis catillis expando, ſparſim aniſum ſaccharo imbutum ſuper ſpargo, inque arculâ repono, ne illa veſpæ: ac muſcæ devorarent.

Paſtillorum conficiendorum ratio.

Intereà amici ex hortulo, quem luſtrando curſaverant, ſuperveniunt, ſimul atque lineo me præcinctum mantili vident: Operoſis tu certè negotiis occupatus: & ne noſtra nos fallit ſententia, baſilicum tu prandium adornas, haud enim vulgari Muſæ tuæ patiuntur; quippè heroum inducere cothurnum ſolitæ, non vero plebejum. Quibus ego: Erratis toto cœlo, perquàm ſobrium erit, & Muſis ipſis, quas dicitis dignum; humiles enim illæ muſcum, myrtumque decerpere conſueverunt. Illi tùm: Atqui heroam nunc laurum affectant, cùm bella ſonent? Et ego: Utut ſit, platonicum paro. Sed ſi ità, tùm illi, cur tantum occuparis? Nam non tu ex illis es, qui nihil agunt. Quibus ego: Ut illud quod meditor ſit ſaltem elegans, ſi non opiparum, utque gallum veſtrum recalfaciam, clibanum ſuccendi juſſi. Et illi: Vix credimus, utpote qui tuum ingenium planè novimus. Sed vis manus porrigamus? Quibus, tùm ego, Ne, quæſo, is ego ſum, qui ſine canibus, & retibus prædam aſſequor. Sedete ad magnam feneſtram, proſpectuque illo peramœno fruimini. Tu verò, Lucili, menſam inſtrue. Et ille: Curatum, factumque dabo. Cui ego, Ornato floſculis, vide ne quid deſideretur. Quieſce, tùm ille, meum
id

id erit. Statimque acceptum totale mantile ſuper menſem explicuit: Exin orbes binos hinc, inde diſpoſuit, quibus cultellos fuſcinulas, & cochlearia appoſuit, in ipſis verò orbibus panes collocavit ſimilagineos, pumicoſos; ſupra verò plicata mantilia, mediâ in mensâ hypocraterem, cum ſuis ſcyphis, ſalinum, & acetabulum, in extremâ verò mensâ foculum menſarium, trulleum, & guttum, tandem totam menſam Gelſimino, & Leucojo candido, & luteo, quos ex horto inter deambulandum decerpſerat flores, largè conſperſit, atque exornavit. Cui mox ego, apponi ſcutulas cum pernâ, farcimineque jubeo: corbiculam item cum fructibus, catinumque cum caſeo Campano laudatiſſimo, quem mihi Co: Bellus Capuâ rediens attulerat. Vix dum hæc, cum puer nivem detulit; quocircà geminas præcipio phialas nivari, unam hiberni Nolani, alteram Stabienſis rufi: aquam item, verſarique vaſcula identidem. Ego vero in culinam redeo: quoniamque purgatum jam à puero furnum cruſtula ſubmitto, ut torrerentur, & gallum ut recaleſceret: coturnices aſſari jubeo veruculis, admotis è furno prunis. Poſteà verò quam brevi cocta ſunt cruſtula polyphylla, infarta educo, inque trullâ ſatis amplâ impono, ſparſo deſuper melle calamino purgatiſſimo. Vitulam jam probè aſſatam ingero in megidem, ficedulas, & coturnices minorem aliam in megidem, inque ipſo præfurnio colloco ne tepeſcerent. Sub hæc me Lucil: convenit, rogatque ſi omnia in promptu eſſent? Cui ego: Cuncta adornata præter pultem oleraceam. Et ille: Sed iſtæc non debet excoqui, ſi duriuſcula, & viridans adhuc, gratior. Tùm ego: Anne Aquilam volare doceas? non tenes quàm benè iſtæc ego percalleam? Age, educ ficus è puteo, inque megide illâ ex nobiliori argillâ accomoda, exornaque floſculis, ut Balbum tuum, meumque Junium honeſtiùs excipiamus. Ego interea puerum voco doceoque quo edulia eſſent apponenda ordine. Sylvio verò mando, ut hoſpites invitaret ad lavandas manus, ille, ſtatim guttum, & trulleum, ego mantile accepi, lotis poſt manibus, admotiſque ſedeculis hoſpites in primis, tertiâ Lucilius, ego quartâ conſedi, ut moris eſt. Mox factum à ficis initium, quas dum comedimus, ità me Balbus rogat: Curnam, Parthenie, uſus obtinuit, ut ficus unà cum petaſone, & lucanicis edantur? At Lucil: Balbe, inquit, tu mihi videris haud lectitaſſe, quod Parthenius in æſtatibus ſcripſit de harmoniâ ſaporum. Cui Balbus: Æſtates legi: verùm hæc harmonia mihi excidit è memoriâ, quare, quæſo, ut iterùm inducas. Faciam libens animo, tùm ille. Ficus pingues ſunt, perna verò, & inſicium ſalſa: ſal-

Menſa adoratur.

Quonam ordine apponenda edulia.

ſalſus autem ſapor cum pingui benè copulatur, inquè harmoniam ambo conſpirant. Nonne ita, Parthenie? Cui ego: Ità enimverò. Imò ego, cùm non eſt ad manus petaſo, vel inſicium, utor caſeo, præcipuè ovillo, qui ſalſiuſculus eſt, qui quidem caſeus, cùm ego adoleſcens, apponebatur apud nos frequenter, nunc verò raró admodùm. Hic Lucil: Complures ab illo ſe continent, quòd noxium putent. At intereà, tùm ego, plurima, quæ nocentiora, quia palato ſapiunt, devorant cum ipſo vel ſcrupulo. Heus, puer, infunde frigidam. At M. Junius: Curnon merum? Cui tùm ego: Quia ficus calidæ ſuaptè natura cùm ſint, frigida temperantur, & ſic coquuntur facilè, quod ego ex me expertus ſum. Si ità, tùm ille, frigidæ ficus citiùs decoquuntur, quàm calidæ. Et ego: Rectè conjectas. Imò poma omnia cujuſquemodi ſint generis, frigida minus noxia: etenim cùm illorum humores facilè depraventur, ut ſæpè antequàm ſtomachus concoquat, corrumpantur: frigore illo diutiùs ſervantur, ne putiſcant, quòd quidem vel hinc videre licet: ſiquidem poma omnia frigidis in locis repoſita diù ab interitu ſe vindicant: in calidis quâmcitiſſimè vitium faciunt, ac putreſcunt. Tùm ille: Veriſimilia ſanè prædicas. At Balbus: Age quæſo ſis, oſtenta quoniam occaſio eſt, teneamus: Cur plurimi, tot tantaſque ficus devorant: & brevi, ac ſi ab heſterno jejuni, quaſi lupi in cibos irruunt? Tùm ego: Quam affers, Juni, de controverſiâ ſententiam? Et ille: Lucilio tuo trado hanc lampadam. Tùm ipſe, quid tu igitur? Lucili, age dic ab experto. Ille verò: Nimirum ficubus indulgeo ſupra modum. Cui tùm. Junium accuſa, inquam ego, cujus perſpicax ingenium, quæ cum dicerem, puer apianam braſſicam cum elixo bove intulit. Cui Junius: Benè eſt, Fabiole, ſed ubi oxyporum? Hic ego: Fateor id me latuiſſe, verùm laboraſne tu ſtomachi faſtidio, ut egeas intinctu, quo expetentiam pervellas? Haud equidem, inquit ille. At Fabiolus: Manete hic, afferam ego herbaceum embamma; inque culinam convolavit. Ego vero: Certò hic puer nugatur. At ille ſtatim rediens herboſum moretum in menſam intulit. Quod ut vidi, Unde nam inquam, habuiſti. Et ille: Confeci ego ipſe, dum vos eratis in horto, æquum enim eſt ut cum tot annos tuâ in ſcholâ fuerim, incipiam tandem manum ferulâ ſubducere. Ut video, inquit Lucil: hic puer lepidè ſe hoc manè exornavit. Dignus te præceptore diſcipulus, quippè arte certat, & ſententiolis. Ego verò, quando id didiciſti, cum ego illud ratiſſimè admodùm conficiam. Ille verò: Sextâ ab hâc die, cum tu illud

Ficus calidæ naturâ ſunt; hinc frigidâ tẽperantur, & coquuntur facilè.

ſud adornabas, ego animum adverti intentiſſimum, meoſq; que in tuis manibus oculos habui : nempè diligentiâ opus eſt, ut calleas artem : & ut tritum illud. Qui è nuce nucleum vult, frangat nucem. Hic omnes : Euge, euge, puer, tu es oppidò facetus. Et ego, inquit Lucil: te ob argutum dictum donare volo hiſce ficis, accipe. Et ille : Nempè quas duriuſculas deſpexiſti, de illis mihi facis gratiam. At ego : Nimirum ſeponamus tibi mitiſſimas? ni majus modeſtius ſpecimen præteferas, lente alam, & fabâ. At Balbus : Intercedam ego pro Fabiolo : deſunt hic ficus? illum meliore donemus munere? ſed age, cedo, quo intinctum modo compoſuiſti? Et ille : Geram morem, quando ſic jubes. In mortario mundiſſimo geminas allii ſpicas benè tutudi, mox petroſellinum permiſcui, & erucam quibus ſimul tunſis, pulpam panis aceto imbutam adjunxi, diluique cuncta promiſcuè : inq; ſcutellam ingeſſi, non ſcitè confectum? Scitiſſimè, tùm Junius. At ego : Age, ſi quid aliud eſt, adducito; nam nimis citò pultem appoſuiſti, & ille : Feci noſtro more, culinamque conceſſit. At Balbus : Redeamus, inquit, ad quæſitum de ficis, quid cenſes, Parthenie? Promam, inquam ego, quando ſic jubes, ſententiam meam. Imò rogo, atque obſecro, inquit ille æquum enim, ut à te non minus cibis hiſce exquiſitiſſimis, quàm eruditis etiam ſermonibus paſcamur. Atque audite, inquam ego. In iſtiuſmodi hominibus ajo vim quandam ineſſe ſalinæ, quæ ficus ſtatim ſolvat, ſolutas ſtomachus coquat : ſeque illis ſtatim expediat, ut liber ad alia obſonia excipienda evadat. Hic Balbus : Probabile quidem certè, nam ſecùs fieri haud poſſet, ut tàm citò vacuus ab illis, atque expeditus ſtomachus eſſet.

Qui fiat, ut radices tùm herbarũ, tùm arborum, & olerum, prҿcipuè tenerrimæ; adeò fortiter, & ſuaviter in Silices ſibi viam ſternant?

Tùm ego : Comprobare id etiam hoc argumento licet : quo & aliud ſcies mirum oppidò, undenam eſt, quod radices tùm herbarum, tùm arborum, & olerum, præcipuè tenerrimæ admodum cum ſint, adeò fortitèr, & ſuavitèr in ſilices viam ſibi duriſſimos tàm facilè ſternant, inque imas fibras perrumpant? Tùm Balbus : Age cauſſam ſis, reddas, quæſo, id enim ex longo ſcire aveo. Imò cum ſæpè ſæpius quoſdam, qui ſe magnificè circumſpiciunt, pleniſque buccis philoſophos jactitant, ſententiam hâc de re rogaverim, nihil omnino ad rem reddiderunt; quod meo judicio, planè quadraret. Cui tùm ego : Ità ſæpènumero uſuvenit, ut qui frivola quædam ſectentur, utiliora ignorent omninò.

An ab humore?

Ajo igitur in radicibus tenuiſſimis herbarum quendam humorem eſſe erodendi vi præditum : illoque lapides ſenſim, lentèque edendo, viam ſecare, ut ait Virgilius, ut ſeſe penitùs agant, inſigant-

que altiùs, iſtuc verò, ni me fallo, confirmari liquidò ex illis aquis poteſt, quas acres novi, quorum inventum eſt, vocant, quæ illiuſmodi vi præditæ, æs erodunt, & aurum ab argento ſeparant, etenim ſi id artis magiſterio fieri compertum eſt, curnon à Naturâ primum præſtitum eſſe concedamus? Hic Balbus: Concedimus, ut etiam pro M.Junio, & Lucilio ſpondeam. Et illi: Damus ultrò, res enim ad liquidum demonſtrata. Sub hæc Fabiolus dextrâ lancem cum avibus, lævâ eum leucophago lancem alteram appoſuit, quæ ſimul ac vident hoſpites, Tu inquiunt noſtrum gratiâ ſfeſtum diem agis. Hactenus, inquam, nihil quod feſtum ſubolet, quid enim parcius? At Balbus. Quis hoc delicatiſſimo te leucophago donavit; nam ſubitâ confici opera non potuit? Hic ego ſubridens; Ad me illud amicus, quo nullus mihi amicior, tranſmiſit. Age, cedo, tùm ille, quiſnam? num Veſpolus? Et ego Ficedulas, mihi, & coturnices Veſpolus. Quo loco cùm ſe à riſu minimè contineret Lucilius, ille rem ſuſpicatus. Intelligo, inquit, quis ille fuerit artifex. Heus, puer, infunde merum. Et puer: Album ne amas, an rufum? Album, inquit, Balbus. Tùm ille lævâ hypocraterem cum cyatho, tenens dextrâ vinum infudit. Tùm Balbus ſumpto cyatho, M. Juni, inquit, hoc ego te poculo invito, & Partheniis Muſis libo. Ille nihil cunctatus: Infunde, inquit rufum Stabienſe; quadrat illud meo ſtomacho: cumque puer verſaſſet, ille, adde, inquit pluſculum, vereris ne labris effluat? mox, Lucili, te ad potum invito hoc cyatho, quem tàm ſcienti artifici totis animis propino, totumque continenti ſpiritu exhauſit. Tùm Lucil: Næ ego inurbanus, qui ab eo propinationem recuſem, à quo honore affectus ſum: accede hùc Fabiole cum albo: infunde, adde etiam pluſculum: ne ſis avarus. Et ille: Vide ne diffluat, Tùm Lucil:Hanc mihi curam, inquit, relinquito, meque mox intuens, plenum hunc ego calycem Purpurato tuo libens propino, hic omnes honoris gratia caput operuerunt, plaudentes Lucilio, quod tanto principi debitum illud obſequium præſtitiſſet. Tùm ego ſcyphum rufo impleri jubeo, & ad amicos, hunc ego omnibus vobis propino, nam ſingulis ſingulos Græcis relinquo, vel iis, qui bibunt Græco more. Vix exhauſi, cum Balbus; Cur, inquit, Parthenie, Neapoli abſtemius, Surrenti non ita? Et ego: Quoniam hic vinum habeo delicatum, & quod literatorum ſtomacho accomodum eſt. Neapoli quo noſtri utuntur fumoſum, & robuſtum tùm ſtomachum, tùm cerebrum lædit. Et ille: Non igitur Veſuvianum probas? Cui ego: Duplex Veſuvianum, unum Soſianũ dicimus à noſtro

ſtro rure, & hoc in campeſtribus naſcitur; alterum quod ad editiora loca in monte gignitur, & Malateſtidi ab altero rure noſtro ei nomen impoſitum, primum oppidò nigrum, dulce nimium, & prævalidum, ſecundum album dulcius, & validius, utrumque vix hauſtum mentem obfuſcat vapore ſuo nimis denſo, & ni robuſtus, ac vegetus ſit ſtomachi calor, qualis in ruſticis operis, ac bajulis, in Germanis item, ac Sarmatis, concoqui vix poteſt, indeque ſit ut vel crudum egeratur, vel aceſcat, univerſamque cibi maſſam depravet, atque corrumpat. Hic ille: Intelligo, ſed quid, de Græco? Idem judicium, tùm ego, etenim & ſatis vaporoſum, & robuſtum. Ille vero: Quod igitur probas? Collinum, inquam ego, guſtu mordens quale in collibus circa Anianum naſcitur ruri noſtro, cui à Campeſtribus nomen, quæ ſupra Anianum ſunt, nempè delicatum, & minimè fugax, Pauſilypæum item tùm helvolum, tùm nigellum, quod quidem pungens eſt, & colore gratiſſimum, tandem Stabienſe rubellum, præcipuè quod ſuperioribus collibus inſolatis naſcitur optimum omnium noſtræ regionis puto. Si ego feſtucam gererem, exquiſitiſſimum vinum fieri curarem, eâ adhibita diligentiâ, quæ neceſſaria ducitur, quam quia negligunt, publico bono malè cavetur, malè autem? imo peſſimè. Hoc loco Balbus: Proh Deum immortalem, ut ſumma ingenia in occulto latent, qualis hic prætor eſſet, qui nunc privatus eſt. Cui ſtatim ego: Bona verba, quæſo. Tùm illi uno ore. Si penes nos facultas eſſet, tibi feſtucam traderemus. Ego autem: Gratias vobis ago, quod veſtro me ſuffragio ornetis, verùm iſtæc lepidè dicta; nam ſecus me de ambitu accuſabunt. Tùm Balbus: Ne dubites ſciunt te eſſe philoſophum: neque in Platonis tui Republicâ ſumus, in qua philoſophi præſideant. Sed jam puer vitulam, & paſtillos appoſuerat. Quæ ut vidit Junius: Non te certò inopinantem oppreſſimus. Balbus verò in Lucilium intuens, Lucili, inquit, tu illum de noſtro adventu docuiſti, quippè. Ille verò: Ità ſe res habuit, ut celare illum non potui, & ſanè nec decebat. Ego tùm: Adeo ne me faſtidioſum putabatis, ut veſtrum adventum ægrè ferrem? non vobis benè perſpectum me nihil antiquius habuiſſe, quam amicis morem gerere? Quod ſi erga omnes meum non deſideratur officium, quo pacto erga vos deeſſe poterat, quos unicè amo. Tùm Balbus: non id fecimus, quo veniret in dubium, tua erga nos benevolentia, animique tui magnitudo; ſed nolebamus tibi negotium faceſſere occupato, nempè contenti eramus prandiolo extemporario, & frugali, quibus ego:

Num Veſuvianũ vinum ſtomacho conficiat?

Sed quæ hactenus lautities? nempè vos nimis ſobrii; cæterum Surrenti vitulam, & aves deſiderari piaculum erat.: Imò nihil eſt, quod magis hic deſideratur. Tùm Lucil Ità enimverò, nam hinc Neapolim deferunt, ut ſine magno labore vix iſtæc vitula comparari potuit, aves Maſsâ ad Delubrum ab amico dono miſſæ: At ego: Fabiole, eſtne aliud quod tuo magiſterio confectum ſit? nam embamma illud fuit non illepidum. Et ille: De hoc cogitabam, inferam igitur, quando jubes, at vereor ne delicatiſſimi iſti homines me deriſui habeant, & quod in oxyporo comparavi plauſum, nunc perdam, captamque illam gloriolam, cachinno corrumpam. Cui ego: Adeò tu delicatus? i, citò. Ille ſtatim abiit, acceptâque megide illicò rediit: Iſtæc, inquit, cruſtula ſunt multifolia infarta. Hic M. Junius: Puer, hæc certè ex tuâ officinâ non prodierunt. Et ille, perquàm feſtivè, Nonne tanti me magiſtri diſcipulum ſcitis? Scimus profectò, tùm ille, ſed tantum te profeciſſe neutiquam credimus; nam ut video, hæc cruſtula artifices manus ſubolent. Mox cùm delicatiſſima, & ſuaviſſima guſtarent, Junius, Age, inquit, puer, infunde rubellum iſtuc oppidò bonum, & bimum, infuſoque Lucili, inquit, genialem hunc calycem horum artifici propino. At Balbus: Da, inquit, heluolum, quod quidem honorarium eſt optimæ notæ, Juni, eidem lilibo. Tùm ego, Lucili, tuum eſt propinationibus reſpondere, & ille, nihil moratus ruſi poculo benè pleno illis meo nomine vices reddidit. Hic puer, Vultin', inquit, gallum apponam? an mihi de illo facitis gratiam? Cui ego: Fabiole, es graphicè facetus, tantulus es, & gallum Numidicum comeſſe potes. At Balbus: Nobis, inquit, (idem ſcio placere Junio) cunctam iſtam fac gratiam, illique gallum concedito. Et ego: Si ita jubetis, geratur vobis hic mos. I, igitur affer bellaria. Ille tùm è penu megidem eduxit cum ſalgamis; erant autem thyrſi lactucacei, & pyra ſaccharo condita, Genuenſe ſalgamum, & globuli ſaccharei cum nuclèis, & amigdalis Indico melle incruſtatis. Tùm Balbus: Placent magis, inquit, hi fructus mites & frigidi, quam ſaccharo imbuti, laudavitque pyrum falernum; at Junius uvam corniculatam pergulanam: Lucilius præcoqua odoroſiſſima, ego pruna fera herbacca, quæ miſtam quandam habent acritudinem palato perquàm ſapidam. Dum in ſecundis menſis verſamur, Ita Balbus: Cur, inquit, Parthenie, Nauticorum IV. ſic ceciniſti?

I tu Nauta, duo ſpumanti pocula lacte,
Et Surrentino duo pocula plena Lyæo

Dona

Dona ferens: nam mitis amat ſibi talia Glaucus
Dona geri.

Etenim cum Surrentinum ſit auſterum infimæ notæ: imò & deterius Atellano; ut meritò illud Tiberius Cæſar vini nomine minimè dignaretur, ſed generoſum acetum vocabat. Cajus verò, qui illi ſucceſſit, nobilem vappam, idcircò non videtur dignum honorarium, quod Deo offerri poſſit. An Glaucus marinus cum ſit rudi, ineruditoque eſt palato? Scio enim nautas rudes, & feros habitos, ex quo facta illa adagia, quæ feritatem, & aſperitatem vitæ indicant. Cui tùm ipſe: Non huc ſpectavit mea oratio: verùm ad priora tempora, quibus etſi aſperum Surrentinum: erant tamen illi vires præcipuæ, ac pungentes palatum, ut ait Plinius, adeoque nautis gratiſſimum, utpote quod validum. Tùm ille: cur id temporis deterius evaſit? cœline vitio, an terræ? an aliunde propagines non adeò felices hùc translatæ? Haud equidem hiſce ex cauſſis factum arbitror, tùm ego, idem enim cœlum, eadem terræ conditio, etſi hæc veluti conſeneſcat; ſed quia olim omnis hæc regio, tùm campeſtris, tùm clivoſa aprica erat, atque inſolata: itaque fiebat, ut uvæ matureſcerent, ex quibus mox expreſſum muſtum prævalidum erat: neque huic admiſcebant vinitores muſtum tortivum circumcidaneum, quo fit magis aſperum: nunc verò regio arboribus paſſim conſita, & his tàm proceris, tàm frondoſis, ut ſubter vites Solem vix videant, quocircà priùs putreſcunt, quâm matureſcant, hinc agricolæ uvis adhuc acerbis vindemiant, itaque ſit, ut vinum proveniat peſſimæ notæ. Hoc loco Lucilius, qui jam caput identidem inclinare cæptaverat, Quidni, inquit, ad meridiandum concedimus, ut hi tempeſtivè Neapolim redire poſſint? Optimè mones, tùm ego, ſtatimque ad ſomnulum profecti ſumus.

Vinum Surrentinum à Tiberio generoſum Acetum; à Cajo nobilis Vappa vocatum.

CAPUT IV.

A ſomnulo cucumis, & mulſa ſcitè adornata hoſpitibus data: mox multa de Camelis ſcitu digna quæſita, & diſputata.

Vix brevi ſomnulo dormitaveram, cùm experrectus puerum voco: Heus tu, Fabiole. Et ille, præſtò adſum. Cui tùm ego: Pergito Surrentum, ibique emito tria nivis pondo, i, grandi gradu, non verò grallatorio illo tuo, cave ne cum pueris per viam vel nucibus ludas, vel lamellis. Et ille: Volabo, actutum redibo, ludam verò cùm

veniam mox, nunc enim nec nuces habeo, nec nummum, quem deponam. Et ego: Dabo tibi nummum poſtquàm redieris, quem tu deponas in ludo: nolo te honeſtâ voluptate fraudare. Ut verò ille diſceſſit, ego ad mulſam adornandam, ut amicos æſtuoſis horis recrearem, me confero, arculam igitur aperio, ut calaminum mel acciperem; verùm vix pauxillum repertum; quocirca angi animo, diſcruciarique cæpi, verſo igitur cuncta ſuſque deque, articulaſque truſatiles omnes introſpicio, ſi quid ſacchari invenirem, video tandem in interiore quadam arculâ alveolum conditura ex blugloſſi floribus benè plenum, quem ſtatim arripui, & quidni, mecum ajebam, compoſitionem hanc ipſam ſaccharo immiſceam? immo cùm bugloſſi flores ſint cardiaci, erunt ad fovendam animi hilaritatem perquàm aptiſſimi, totum igitur alveolum in aquam verſo; in quam & ſaccharum eliquatum addo: èque limoniis expreſſum ſuccum infundo, tandem paſtillos dulciarios odoratos, ex moſcho nimirum, atque ambare confectos, in pulverem redigo, mulſæque adjungo: quo odoroſa, utiliſque foret, illiuſmodi enim odores cerebrum fovent, ac roborant.

Intereà amici à ſomnulo in deambulacrum egreſſi me acerſunt. Tùm ego: Dormiſtin' aliquantulùm? Et illi: Placidiſſimè, tu verò, ut coniicimus dormitaſti tantum. Quibus ego: Rectè conjactatis: verùm ſic mihi natura eſt, ut ſim levis ſomni. Agite, ſedete hic; namque magnam hanc Zephyrus feneſtram jam perflare incipit auris tàm placidis, quàm quæ maximè. Tùm illi: Quidni maximè ſedeamus? quoniamque in promptu ibi ſedes erant, conſedimus. Vix dum ſedimus, cùm Lucilius adhuc dormiſcens cubiculo pedem extulit, & Audiſtin', inquit, cornicis crepitum? Cui ego: Somniaris, mi Lucili. Illi verò: Haud ſomnior, ibo ut videam quis pultet fores, cumq; inſpexiſſet de feneſtrâ, puer, inquit, cum cucumi ſatis magno. Cui ego: Jube illum ad me venire. Tùm ille, reſeratis foribus, puerum introduxit. Qui cùm ad me propiùs acceſſiſſet, Dominus, inquit, vicini ruris, quicum ſumma tecum familiaritas, juſſit hunc ad te cucumerem deferre, quem biduo ſua in ſpeluncâ aſſervavit; quocircà erit frigidiſſimus, rogat prætereà, ut illi parcas ſi adeò tenue munuſculum ad te miſit, cui ſe pluribus nominibus fatetur implicatiſſimum: id enim ſe feciſſe ait, ut ſuum erga te obſequium teſtaretur. Cui tùm ego: Illi renunciato mihi munus fuiſſe acceptiſſimum, & eo poſitum loco, quo theſaurum potuiſſem; atque adeo plurimas me illi gratias habere. Poſtea verò quàm puer diſceſſit, ego ad hoſpites: Id veſtrum gratiâ factum, quocircà

ca faciamus periculum an revera ſit frigidus, videtur mihi etiam optimus, nam, ut ex illis, quos mihi Acerrarum Dominus mittere ſolitus, conjecturam facio, hic indidem venit, mox jubeo Sylvium afferre cultros, & mantile, ille ſtatim advolans cultros, lineumque attulit mantile mundiſſimum, & villoſum, tùm ego cucumerem incido geminas in partes; qui tàm purpureus inventus, quàm qui maximè, & quoniam color argumentum ſaporis eſt, fuit ſapidiſſimus, quare mirum in modum illo hoſpites delectati. Tandem deterſis manibus confabulari cœptum eſt. Age, inquit Balbus, quoniam de Camelo hoc mane, dum è ſcopulo in hortum aſcenderemus ſermo inter nos habitus, patere, quæſo, ut hâc de beſtiâ te plurima interrogem, nam etſi nonnulla in Geographicis ſcripſiſti, ſunt tamen quædam alia, quæ ego ſcire magnoperè aveo. Cui ego: Cedo quæ tibi ſcire eſt animus: contendam pro viribus ſatis quàm breviſſimè facere. Et ille: Suntne tantæ pernicitatis, quantam illis in Geographicis attribuiſti? & ſi ita, undenam illis tanta pernicitas? Tùm ego: Miræ oppidò velocitatis perhibentur: quocircà Dromedarii appellati, græco vocabulo, nimirum curſores. Intelligo, inquit Balbus. Et ego: Hoc autem cognomen Arabici præcipuè, qui minores ſunt, meruere. Nam duplex genus Camelorum eſt, primum eorum, qui in regionibus, quæ ad Auſtrum ſunt, generantur: ſecundum eorum eſt, qui in Septentrionalibus gignuntur, primi minores delicati, frigoriſque impatientiſſimi, nec tantum robuſti, quantum reliqui, ſecundi non adeò delicati, frigora patienter ferunt majores corpore, robuſtiſſimique, ut ſupra mille, & quingentas libras geſtent: qui etſi non tantæ pernicitatis, ſuperant tamen equos Niſſanos, ut author eſt Ariſtoteles, qui quidem perniciſſimi omnium habiti ſunt. Cur verò adeò veloces, docet idem Ariſtoteles. Etenim cum latius pedes glomerent, fit ut ex illa ampliori glomeratione velociſſimè incedant, quod quidem manifeſtum ex eo eſt, quo cuncta animantia, quæ latiore currunt glomeratione, velociora ſunt. Hic Balbus: Aſſentior, ſed pergamus porrò. Verumne ſuâ ſponte ſubſidere, cùm onerandi? Tùm ego: Imò veriſſimum: etenim ſigno dato, promptiſſimi accedunt, ſeque inter onera accomodant miro modo, inque pedes flexi, tamdiù manent eo ſitu quoad juſtum dorſo pondus impoſitum, mox illicò aſſurgunt, non ſecus, cùm deonerandi, faciunt, ſiquidem in gyrum cuncti ſe locant, acciduntque in genua, ut ſic facilè opera deponant, quibus jam liberi, ſuâ ſponte conſurgunt, & mirum oppidò eſt quàm placidè, nulloque negotio,

Nonnulla de Camelo diſquiruntur, & primo de ejus Pernicitate.

Deinde de Pernicitatis cauſa.

Mox de ſitu, quē tenet Camelus, dum oneri ſubditur.

tio, accidant, & aſſurgant vel cum ipſis oneribus; ut nihil ſupra, liberi emittuntur in paſcua: è quibus ex ſe redeunt, antequam Sol occidat: ſi qui deviant, certo ſigno, quamfacillimè revocantur. Ut rediere ſingulis bini intritæ ordeaceæ globi non admodum magni in cibum præbentur.

De ejus cibo, abſtinentia, ac Modeſtia.

Hic Balbus: Non amplius? Et ego: Nihil admodum, nam etſi grandes corpore, & laboribus frequenter exerciti, nihilo tamen minus parciſſimi, interdum perpaucis radicibus, cardui vel in primis, quas illi in deliciis habent, contenti ſunt. Sitis toleratiſſimi; ut nonunquam per totos decem dies non bibant. Imò cùm proli indulgent, dies XL. à cibo, potuque abſtinere perhibentur: id verò alternis annis, cùm Septembri in Arabiâ, Maio menſe in reliquis regionibus, commiſcentur. Atque hic mirum illud eſt, & quod magnum modeſtiæ ſpecimen præſefert: cùm habendæ proli dant operam, deſerti, ſolitudines quærunt, neque tutum id temporis ad illos accedere: ſunt verò tàm ſalaces, quàm qui maximè. Hoc loco Balbus: Mira quidem modeſtia in beſtiâ tàm ſalace. Cui ego: Memini me legiſſe apud Ariſtotelem camelum marem matrem minimè ſupervenire, refertque hanc hiſtoriam, ſi benè recordor: Accidit ſemel, ut admiſſarius gregi deeſſet, qui fœminas comprimeret; quocircà ſtabularius pullo uti conſtituit, quoniamque plenè noverat ſuam pullum ne invitum quidem matrem ſuperventurum, illam operuit: opertæque mox matri pullum admiſit, qui dum generationi incumberet, fortè delapſo operimento, matrem agnovit: tantâque verecundiâ, furoreque ob commiſſum, & ſi innocenter, crimen, exarſit, ut auctorem morſu diſcerpſerit, inſigni documento ne beſtias quidem ad crimen cogi debere. Hic Lucil: Imò ego memini eodem loco admirabilem alteram legiſſe hiſtoriam, digniſſimam quidem ſcitu. Ariſtotelem ego verſo non raro admodùm; quod haud ſcio an faciant, qui plenis ſe buccis Peripateticos jactitant. Cui ego: Pauci ſunt, mihi crede, qui auctorem hunc fœcundiſſimum Naturæ penu, ne dum Philoſophiæ evolvant, ſed quæſo, ut hiſtoriam illam mihi in memoriam inducas, quod, & Balbus, & M. Junius (ut pro his etiam ſpondeam) magno te orant opere. Tùm ille: Scytharum regi equa erat perquàm egregia, ex qua mares generoſiſſimi procreabantur. Hoc loco ego: Jam redit in memoriam, perge, quæſo, ut cæpiſti.

Hiſtoria de miro cujuſdam equi pudore, dum Matrem ſe oppreſſiſſe agnovit.

Ille verò: Ex his, qui cæteros indole, & formâ antecibat delectus, regis juſſu fuit, ut ex illo equa conciperet, admiſſus nullo modo cogi potuit, ut matrem ſuperveniret: & ſi equi ſint ſalaciſſimi, mox verò illam opertam inſciens

oppreſ-

oppreſſit; ac ubi à concubitu matrem cognovit, derepentè fugam arripuiſſe fertur, ſeſeque in præceps actum miſerabiliter confeciſſe: utinam tantus commiſſi criminis pudor in homine reperiretur, qui interdum brutis ipſis inverecumdior, petulantiorque eſt. Tùm ego: Ità enimverò: Nonnunquam ratio in homine ita obtenebratur præ immodicis cupiditatibus, ut brutis deterior evadat. Sed redeamus ad camelos: ferunt antequàm fontes libent, pedibus aquam turbare, quam limpidam nunquam hauriunt, interdum adeò turbidam reddunt, ut nonniſi ad plures dies, illimis, perlucidaque fiat. Hic M. Junius: Cur ità limoſam potant? Haud ſanè ad manus, inquam, ratio eſt; crediderim verò id eo fieri, quia limpida noceat, quippè frigidior: & animalia ferè cuncta frigidam non bibunt, & ſi biberint illicò torminibus torquentur. At Balbus: Curnon id evenire dicamus ne ipſi ſe veluti in ſpeculo videant, ſi admodùm verecundi? Ingenioſè tu quidem, tùm ego. Et ille: Age, verumne, inquit, Camelos pilos deponere, quemadmodum ſerpentes pellem exuere perhibentur? Cui tùm ego: Ita verò: primo enim Vere intra triduum pilis omnibus denudantur, & ne tùm à muſcis vexentur, illos picant. Durum remedium, tùm Balbus. Sed quid facias, ex malis præ minus eligendum. At eo tempore adeo intolerantes, ac rabioſi ſunt, ut vix ſine periculo tractari poſſint, illos non ſtrigile confricant, ut nos equos: ſed virga pellem percutiunt: ut nos in tapetis facimus, cùm pulverem excutimus. Neque hîc mihi illud reticendum quòd mirum, & perridiculum eſt. Mercatores cùm illos diſtrahunt, qui graciliores, exſuccique ſunt, inflant hoc modo, quo pinguiores videantur: juxtà caudam cutem incidunt, factoque foramine, ut lanii cum occiſis bobus, aliiſque exculentis animalibus factitant, illos, immiſſo calamo, inflant, mox foramen diligentiſſimi occludunt: poteratne excogitari fraus vel magis ridicula, vel aſtutior? At Balbus: Caudata quidem induſtria. Riſimus hîc cuncti ob verbum facetiâ conſperſum. Atque in hoſce riſus rediens cum nive Fabiolus incidit. Cum verò nivem Junius vidit, quid, in me intuens, opus eſt frigidâ? abundè exquiſitiſſimo illo cucumi ſatis ſiti factum, Cui ego: Dies æſtuoſus, ut haud ſciam, an alius hoc anno. Zephyrus vix exortus interiit; quocircà, commoda huic æſtui mulſa erit, manete, quæſo hic: ego mox revertar. Ità, inquit, quæſumus, tùm Balbus: id enim ſcio & hos magnoperè deſiderare. Cubiculum igitur ingreſſus citrinum corticem ſaccharo imbutum, quem jam minutatim concideram, iniicio in mulſam,

Animalia frigidã reſpuunt.

An Camelus deponat pilos.

Quonam pacto Mercatores Camelum gracilem atque exſuccum inflent ad fraudem.

Modus adornandæ Mulſæ exponitur.

dum verò cochleari aquam verſo, animadverto blugioſſi flores è cæruleis, Circæo veluti poculo, purpureos factos; quòd mihi primùm oppidò mirum, atque inſtar portenti viſum eſt, mox rem maturè penſitans, id limonii factum ſucco certò duxi: nive igitur contritâ, ſaleque admiſto, vas ſubereum picatum impleo, cæptoque verſatile, intus vas verſare, quoad mulſa coagulari cæpit; tùm primam cruſtulam, quæ ſpiſsè ad latera congelaverat, divello, verſoque mulſam, ut tota arenoſa fieret, quod, ut brevi effectum eſt, panno vas intego, ne frigus evaporaret, meque ad amicos reſtituo. Ut ſedi, quantum inquiunt Balbus, & Junius, tibi debemus, qui tantum laborem, noſtrûm gratiâ, ſuſcipere non dedignaris, tantâ nos liberalitate, comitateque complexus es, tantâ lautitie tractaſti, ut meritas tibi referre gratias poſſimus nullo modo, certè implicatos habebas nos beneficiis plurimis, nunc verò implicatiſſimos. Quibus tùm ego: Vellem, ut plures mihi vires, eſſent, quo meliore vobis modo inſervirem, verùm ego gratias vobis habeam quamplurimas, quando veſtrâ me præſentiâ cohoneſtaſtis. Hic Lucil: Redeamus ad Camelos: nam tu, ſcio quippè ingenium, iſtiuſmodi officiorum parciſſimus. Eſtne verum, quod ajunt, Camelum apud Perſas ſacrum eſſe? Cui tùm ego: Ita enim verò. Fabulantur enim Abrahamum non ovem, ut ſacræ literæ tradiderunt, ſed camelum ſacrificaſſe, & hunc Iſmaëlis, à quo Arabes progeniti, non vero Iſaci vice, ex quò electæ gentes procreatæ. Quapropter quotannis ſummâ pompâ camelum immolant hoc modo: Optimum quemque eligunt, quem more gentium, graphicè, mirâque concinitudine exornant: induuntque dorſuali auro, argentoque intertexto, adornatum ad principis templi fores ducunt, ubi rex cum immensâ penè populi multitudine præſtolatur. Siſtitur verò ab urbis regiæ præfecto, qui regias vices gerit, mox ſacerdotes in genua deflexi preces fonditant Arabico more, quibus intra dimidiatam horam abſolutis, Rex, qui ſummi Pontificis in hujuſmodi ſacro vicem obit, ſagittam in camelum vibrat, qui, etſi vulnus minimè lethale, cadit tamen illicò; nam fune ligati pedes à miniſtris pertrahuntur. ſimul, atque cecidit, ſacerdotes jugulant, occiſumque duodecim in partes concidunt, quæ duodecim tribubus ſingulæ ſingulis diſtribuuntur, ſaleque conditæ in ſequentem annum reponuntur; caro autem quæ ſuperiore anno ſale condita, repoſitaq; fuerat, cum oryzâ coquitur, inque feſtivis diei illius conviviis apponitur, & beatus ducitur, qui vel micam illius guſtaverit. Sed guſtemus nos mulſam noſtram, & barbaris barbarum hunc morem

An Camelus ſacer apud Perſas?

Quotannis ſummâ pompâ Camelum immolāt Perſæ.

rem

rem relinquamus. Rectè tu quidem, inquit Balbus. At Lucil: cui illa gratiſſima erat potio: Colamus, inquit, nos mores noſtros, qui humaniores ſunt, mulſamque libemus: nam ut fatear latinè, geſtio illam exhaurire, ut calorem, quo depereo, temperem aliquantulum. Tùm ego expoſitis in menſâ vaſculis, illa affatim impleo. Ut verò purpureos illos flores conſpexerunt, Cedo inquiunt, quinam hi flores? Quibus tùm ego: Divinare qui tandem illi. Qui cum diù ſe mutuo intuiti eſſent, rogaſſentque invicem unus alium, Neſcimus tandem, inquiunt. Tùm ego: Bugloſſi flores, qui non minus præcordia, ut qui cardiaci, quàm ipſos oculos colore hoc purpureo fovent, ac recreant, At illi: Numnam ludere inſtituiſti? certè jocandi gratiâ, tibi nobis animus eſt imponere, laudamus factum, laxandus enim nonnunquam arcus eſt, quem ſi nimium intendas, franges. Ego verò: Nugas non ago: neque jocari mens mihi in præſentiâ eſt. Tùm Lucil: Parthenie, hos non eſſe bugloſſi flores, in quodcumque te ego pignus vocarem. Cui ego. Perderes quidem certè, inſpicite formam floris. Quam cùm ſedulò inſpicerent; Forma quidem bugloſſi; at color formæ non conſentit. An fortè, inquit Junius, purpureus hic bugloſſus flores generat? Minimè, tùm ego, ſed cæruleos: neque hic alio in Orbe ſumus, ubi alias formas, alios colores habere flores perhibentur. Tùm Balbus: Sed ſi ità, cur colorem mutavit? an ejuſdem naturæ, ac polypus? an tu id medicamento aliquo, & ut ajunt, circæo poculo effeciſti? nam poëtis, & mathematicis, commentis illis, his verò machinis cuncta præſtare conceſſum eſt. Tùm ego: Rem in pauca conferam, nam ſitiunt, qui ſedent, id, ut de me conjecturam facio, ideo eveniſſe puto, quòd limonii ſuccus admiſtus ſit, vidi enim ſæpè apud pharmacopolam noſtrum, ex humorum mixtione colores immutari. Hic Balbus: Credo equidem; nam id ipſum ſæpenumerò animadverti. Verùm quo pacto id fieri potuit? ſi enim, ut ajunt phyſici, ex unius interritu oritur alterum, neque interitum haberi ſine vi cauſſæ, qui hic interitus? quæ nova productio? quæ cauſſa? Tùm ego: Id videant, quibus hæc otium eſt pertractare. Ego ex unâ tantum admiſtione humorum, imò ex ipſa figurâ mutari colores ajo, nonne in ſpumam dum abit aqua, è cæruleâ fit alba? Nonnulli id ex ſympathiâ, vel antipathiâ, odio nimirum, vel amore, quæ potentiſſimæ cauſſæ ſunt, oriri autumant, quædam enim contraria inter ſe ſunt, quædam amico nexu copulantur, verùm quid in rebus inanimis iſtæc ſympathia, quid antipathia ſit, non ſatis liquet. Hoc lo-

Cur Bugloſſus in mulſa colorem mutet, non Citrium.

co Lucil: Sed cur citrium non etiam colorem immutavit ? Quia ego: non eadem mixtio provenit, vel, nì me fallo, quia non adeo tenues cortices illius ſunt, quemadmodum flores, qui, quoniam alio modo affecti, alio etiam modo opaca lux redditur, neque enim color diverſum quidquam à luce eſt. Hæc verò, ut variè opacitatem induit, in varios colores immutatur, ac pingitur: Intereà exhauſto jam primo cyatho alterum ſubminiſtro. Tùm illi: Beaſti nos iſtis, Parthenie. Ut ſcitè factum; ut delicatum, ut fragrantiſſimum iſtuc ſorbetum eſt, ita tu à ſorbendo, latinè dicis, quàm accomodè citrinum corticem admiſcuiſti; nam hic calidus ſuâpte naturâ cum ſit, ſtomachum fovet; ne præ nimio mulſæ frigore incomodi aliquid acciperet, paucos admodùm habes, qui tibi componi poſſunt, & tamen, qui te ex habitu, ex aſpectu, ex ingeſſu æxtimat, fungum putat, id tuâ bonâ venia dictum ſit. Nunquam veriùs locuti eſtis, inquam tùm ipſe, tanti enim ſum, quanti fungus. Et illi: Sed modeſtia te facit fungum, quem magnum natura fecit: At Lucil: Da veniam, dicam enim pace tuâ, quod vel ab invito riſum extorqueat. Cum tu Soteria illa tua recitaſti, coram tribus Cardinalibus, tui amantiſſimis, infulatis decem, & innumerâ nobilium primi ordinis, & eruditorum coronâ, tanto plauſu, ut nunquam aliàs, quidam dum te adeo egregiè declamantem, geſtuq; tàm mirabili, tantâq; vocis ſuavitate, ac tantâ item felicitate memoriæ vidiſſet, petiit à me quis eſſet poëta? cum te ego eſſe affirmarem. Ille: Ludis, inquit, ò quam diverſus hic eſt ab illo, Cui tùm ego. Homines non ab exteriori habitudine æxtimari oportere: neque externos cultus homines facere, ſed interiores animi dotes, quæ quo majores ſunt, eo magis latent, tandem vix & ægrè induci potuit, ut crederet; quid hic, ſi iſtæc tàm ſcitè à te adornari conſpexiſſet? Tùm ego: Mittamus ridicularia, tu ſemper ſaltas extra chorum. Ad hoſpites verò, Manete, quæſo, apud me hoc veſpere, craſtinâ die Neapolim redibitis. Et illi: Hâc in re tibi morem gerere non poſſumus, nam prætor hâc conditione facultatem abeundi dedit, quatenus eâdem die Neapolim rediremus. Tùm ego: Si ità eſt, penulam non ſcindam: nimirum Prætori parendum, tempus autem eſt, ut de reditu cogitetis, ne perveſperi domum veniatis. Et illi: Optimè mones, cùm autem aſſurrexiſſent, ad ſcopulum profecti ſumus. Hic poſtquàm rogaſſent, Numquid Neapolim vellem, abierunt.

CAPUT

CAPUT V.

Cum mane reficiendi animi cauſſa orientalem Surrenti oram perlegerem quædam ſcitu digna obſervata.

POſt continentem ſolidi menſis laborem, quo nunquam domo pedem extuleram, nunquam me è menſulâ divelleram, tantus me capitis dolor corripuit, tantum ſtomachi faſtidium invaſit, tàm item ſolitudinis tædium oppreſſit, ut jam me Muſarum pœniteret, & nihil propius factum eſt, quàm illis vale dicto, me domeſticarum rerum procurationi addicerem; quo in munere fortaſsè expectationem ſuperaviſſem; altiùs enim figere obtutum nec poſſum, nec debeo. Quocircà jubeo navicularium, cui Cotę nomen, evocari, navimque deducere, ego intereà ſine erudito libello, præter morem (tantum literarum faſtidium conceperam) in ſcopulum deſcendo, ut aliquid levamenti caperem, & factâ, licet exiguâ, à ſtudiis intercapedine, vires inſtaurarem, mirum oppidò quantum me marinus aër reficiat, ineſt enim in illo neſcio quid nativi, quo animus recreatur. Ut igitur deſcenſum per clivum eſt, naviculam ſubeo: jubeoque navicularium expenſo remo, & ſecundum oram Vicum Æquenſem verſus contendere, dum autem pergimus, Cota mitis homo indolis, & perquàm diligentiſſimus: cui plurimum me debere profiteor; nam fermè quotidiè Neapolim navigat, meoſque literarum faſciculos ad amicos defert: veſpere autem rediens, quæ ad me reſcribuntur literæ, & quod ad alendam parcè admodum vitam, deportat: tùm ità me interpellat: Quid premis animo? nam te præter ſolitum dejecto vultu, animoque triſti animadverto: plenum item tædii, & faſtidioſum. Nunnam iratæ tibi Muſæ? nunnam Apollo ſilet ex cortinâ? neſcio enim numquidnam acerbius tibi accidat, verùm ſi ità, faciam ut redeas in gratiam. Hîc ego, etſi non hilaris, tenere riſum non quivi: & Quo tu, inquam facies modo? Ille verò: excipiemus illas convivio in aliquo ex his ſcopulo, tu fercula adornabis, ego menſam inſtruam, ſubibo vices magiſtri convivii, atque ità, mihi crede, redibis illicò in gratiam; amant enim illæ liberiorem interdum convictum, & actuoſas relaxari ex intervallo virgines æquiſſimum eſt. Tùm ego: Lepidum certè commentum, nimirum, ut ſic te ingurgites meis jacturis. Et ille: Quidni ſecus faciam? tu liberalis homo & ad benè

Colloquium non iniucundum Parthenii cum Cote Naviculario.

nè merendum natus, ego ex illis ſum, qui omnem ſubſtantiam ſunt induti: quid igitur mirum ſi tuis expenſis vivere cupiam. Sed age, quando nihil tuâ ſalute mihi charius, qui te morbus corripuit? quis angit dolor? quæ vexat ægritudo? Cui tùm ego: Doleo à capite, ſtomachique faſtidio non leviter laboro. Quid mirum, tùm ille, ſi ſemper ego Neapoli rediens te ad literariam menſulam, vel ſcribentem, vel lectitantem invenio: continuò me Neapoli tui familiares, præcipuè poſtici janitor, ſenex admodùm benevolus, etſi interdum in ſtomachum erumpat, at tanto lepore, ut id ipſum ſit in homine ad gratiam: & juvenis ille, qui tuas res procurat, comis ipſe, & liberalis, interrogant, Quid agit Parthenius? Quibus ego: Quid? ſutoriam exercet. Tùm ego: ſuariam rectius dixiſſes: at quid illi? Et Cota: Riſere primùm, mox cum à me cognoviſſent te menſulæ uſquequaque inhærere, dictum excepere cum plauſu, laudaruntque ingenium meum. Hic ego: Rectè quidem illi, eſt enim aſperum ſale verbum, ſed quid præterea? Quid? inquit ille, vereri omnes ne in morbum incidas, antequam Autumnis Surrentinis ultimum faſtigium imponas. Et ego: At his brevi ſummam manum addam, quos ſimul ac ad umbilicum duxero, me Neapolim reſtituam ad otium, & amicos, quamquam fateor, ægrè animo pacatiſſimas hic Muſas, & ſacrum hoc ſilentium relinquam. Hic ille: At te modò Muſarum pœnitebat. Cui ego: Neſcis illud Comici, Amantium rixæ redintegratio amoris ſunt? Verum age eſt ne plus, quod illic accepiſti? Tùm Cota: Quidam, qui ibi erat adoleſcens, dixit ſe te hoc mane oppreſſurum, addiditque hæc verba: Divellam ego illum à ſuo Muſæo, velit, nolit, mecum ſaltem triduò occupabitur. Cui ego: Tenes ne adoleſcentis nomen? Nequaquam, inquit; nunquam enim audivi illum nominatim compellari: deſcribam tamen ſi vis ab ungue ad ſummum capillum. Tùm ego: Imo jubeo, ut facias. Ille vero: Accipe, ſtaturâ eſt mediocri, pectore lato, humeris pauxillùm prominentibus, quod vitium in pleriſque veſtrùm animadverti, idque, ni me fallo, idcircò contrahitur, quod ſedentes, atque incurvi literariæ menſæ ad ſtudium incumbitis. Cui ego: Vera prædicas, ſed perge, ut cæpiſti, contendam illicò, inquit ille: Lacertis brevibus, digitis delicatiſſimis, ore non illiberali, at dentes nonnihil detrahunt, ut qui decolores, & carioſi: capillo aquilo, naſo grypho, & prominenti, in quo paucæ admodum vibriſſæ, genis ex rubro albicantibus, in quarum dextrâ ſubniger cum pilo nævus eſt. Tùm ego: Nihil plura; pinxiſti ad vivum ho-

mi-

minem mihi in primis charum, ſi venerit, ut dicis, excipiemus Muſas convivio perquâm lauto. Hic Cota: Verùm hoc in ſcopulo, cui navi, à ſimilitudine, nomen factum eſt; & ſanè dignus eſt locus, ut qui Reginæ olim Neapolitanæ convivio inſignitus: nunc te poeta & tuis Muſis celebrior evadat. Cui ego: Vndenam id accepiſti? Et ille: Totâ hâc noſtra regione diſſipatiſſimus ſermo, quem nobis ſenes ab illis acceptum ſenibus tradiderunt, hic olim Neapolitanam reginam cum primis regni proceribus convivium celebraſſe, delectabatur illa noſtrâ hâc orâ: Surrentinâ, per quam cum ſemel animi gratiâ deveheretur, inque altam hanc rupem (Scutalum dicimus: Caurus olim, Æquanorum jugorum prorumpens in mare ramus) cum veniſſet, ſcopulumque hunc cerneret, ut ſunt fœminæ extemporaneæ indolis, Quid ni, inquit, hic cænam adornemus? nihil amplius opus fuit, ut illicò dubia, baſilicaque cæna inſtrueretur, certatum terrâ, marique eſt: nec pecuniæ, nec diligentiæ parcitum, quid vidiſſes? allati momento ſunt temporis, capones, perdices, turdi, palumbes, artocreata, intrita, farta, ſcriblitæ ſalgamariæ, mulli, acipenſeres, ſoleæ, pagri ſynodontes, Glauci, & quæ famem pervellerent, oſtrea, ſolenes, dactyli, echini; bellaria verò generis univerſi penè infinita: panes ſimilaginei, candidi, pumicoſi: vinum helvolum, rufum, album delicatiſſimum: tandem, ut brevi præcidam, quidquid comparari potuit, in menſam illatum eſt. Sed quid? Regina (ajunt enim ſic fuiſſe) paſtillis caſeatis, atque aphyis eodem loci veſtigio, & temporis captis, oleoque frixis quadriennio mirificè delectata eſt. Quoniamque in aulâ adulatio primas obtinet, Proceres omnes præter paſtillos, & frixos piſciculos, nihil omninò guſtarunt, cætera ſervi, nautæ, coqui, purgatores lancium, reliquæque hujuſmodi quiſquiliæ devorarunt. Nos quando naſci principes fortunæ non placuit, miſſam faciemus tantam lautitiem: quæ plerumque ſtomacho nocet, lancem adornabimus paſtillorum edulium quàm ampliſſimam, quos illo Calabro condiemus caſeo, quem tuus ille juvenis dono miſit, & illum ego tibi detuli nudiuſtertius, erant autem duodecim cilyndri, quâ formâ illiuſmodi caſeum coagulant, & nihil propiùs factum eſt, quam in nervum à telonariis conjicerer, ſed de hoc poſtea, frigemus aliquot piſciculos, aliquot grandiuſculos arundini infixos aſſabimus piſcatorio more, afferremus phyalam Stabienſis rufi, quo te illius domus præſes donavit, vir quotquot vivunt liberaliſſimus, quippè juſſit me tùm diem frangere: deditque pernæ fructum, fruſtumque caſei ovilli cum pane recenti

Scopulus quidã propè Surrẽtũ, cui Navis nomen fecere propter ſimilitudinem, Reginæ cuiuſdam Neapolitanæ convivio inſignitus.

ti ſecundario : illius verò vini vitrum ampliſſimum , quo vos utimini, nos lampada vocamus. Cui tùm ego. Hos tu liberales vocas , atque idcircò juvenem illum, janitoremque laudas , quod ſæpè jentare te faciant, cave ne id œconomus reſciat, vel jentantem comprehendat. Tùm Cota. Haud mihi ab hoc timeo , nam Præfecti, Priorem vos dicitis. Hic ſtatim ego. Erraſti, inſolens apud nos hujuſmodi verbum. Et ille : Da veniam, inquit, inſciens lapſus ſum. Rectorem volebam dicere , hujus, inquam, viri humaniſſimi, & tàm liberalis, quàm qui maximè, gratiam inivi, quem cum Surrento Neapolim devexiſſem, grandi me ſtrenâ donavit. Cui ego : Gratulor tibi equidem, Cota. At age, infudit aquam? Minimè, tùm ille : ſecùs vinum perdidiſſet. Tùm ipſe : Ex illis tunc, qui Polyphæmum imitantur? qui ita, apud Homerum Ulyſſem exprobat, quod vinum aqua didiluiſſet: πώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ. Hic Cota : Græcum ego haurire malim, quàm audire : At ego: Lepidè ſapis, verùm quid ampliùs? Et ille. Nihil omninò deſidero. Ego verò : Hui? tàm ſobrio , atque vulgari apparatu Muſas excipiemus? addemus etiam ficus aliquot cum latuſculo Campano , & Nolanâ tomacinâ , leucophagum ex caponis pectuſculo, lacte, Indico, ſale oryzæque confectum farinâ, magnum item panis, carniſque edulium: in quo pullos, vitulam, turtures infarciemus. Ne, quæſo, hic Cota; nam infarciemus etiam ſtomachum, quo majus tibi faſtidium creetur, pauca deſidero, non verò ſolidos è clibano boves, ut dicitur, vereor enim ne dum plurima adornentur, convivium prolatetur ad Kalendas Græcas. Tùm ego : Anne tibi ego fumus? quo cognomento Theagenes dictus , qui cùm pauper eſſet magnifica pollicebatur. Tùm Cota : Non ità verò , at timeo ne nimis amplæ pollicitationes ex iis ſint, quas Caretis vocant. Sed quid nocet promittere, inquam ego? tu certè non tenes illud Naſonis,

Polyphemus apud Homerum Ulyſſem exprobat, quod vinum aqua diluiſſet.

Promittas, facito : quid enim promittere lædit?
Promiſſis dives quilibet eſſe poteſt.

Tùm Cota : Rectè tu quidem cum Naſone tuo iſto : ſed ego promiſſis non impleo ventrem . Intereà, ſcopulo tranſmiſſo, in mirabilem viſu locum, & peramœnum deventum eſt. Rupes illa præcelſa , cujus modo mentio facta eſt, quæque recta ad lineam ab imo ad ſummum uſque faſtigium aſſurgit , pauxillùm ad radicem prominet , pulchrum veluti præſepe efficit. Eſt enim cava ſinum, marique pervia , ſuperiùs in geminam quaſi teſtudinem fornicata : quarum una minor alterâ, atque interior eſt, conve-

vexam fornicis partem frutices, herbulæque conveſtiunt miro proſpectu, interiùs majori ſub fornice, in ſaxo è vivâ ſilice quaſi menſa inſtructa eſt per ampliſſima, quam fornix contegit, undæque præterluunt, luſus certè Naturæ mirandus & ad voluptatem unicè factus, dum autem ſpecum ſubiremus. Hic, inquit Cota, cum Muſis cænabimus, viden'ut amœnus, ut pulcher, ut facilis, atque ab interventoribus vacuus? idcircò Muſis tuis, quæ quidem modeſtiores quàm illa Regina, ſunt, futurus erit tàm gratus, quàm qui maximè. Cui ego: Arridet locus, hîc cænabimus quidem certè, verùm flecte jam curſum; multum enim die eſt.

Dum verò, ſuſpenſo remo, ſcopuloſque propter, ut majorem perciperemus animi voluptatem, domum rediremus; Numnam, inquam, lepida illa regina ſcopulum hunc (rurſus illum tranſmittebamus) quem illa tanto honore dignata eſt, aliquo regiæ munificentiæ titulo inſignivit? Tùm Cota: Non omiſit certè, juſſit enim ſi qua mulier hoc in ſcopulo peperiſſet, ut immunis partus à tributo foret: qui verò in eo contraxiſſent, res eorum, rationeſque contractu liberæ à quovis onere eſſent. Lepidè, tùm ego, & feſtivè factum, ſed quæ nudum in hunc ſcopulum veniat paritura? Et ille: Certè id temporis fermè, nulla, ſuperiori ævo complures veniſſe fama eſt, de contractibus non ità: conveniunt enim quamplurimi. Tùm ego: Veriſimile id quidem. Sed age, pergamus porrò, quid nam illud, quod tibi cum publicanis accidit? Ille verò? Quid? cùm ciſtam introſpicerent exploraturi, ſi quid foret, quo de ſolvendum vectigal eſſet, caſeum illum calabrum animadvertunt, ſtatim interceptam ciſtam conclamant: imò publicandum totum phaſelum, ne rutis quidem, & cæſis receptis, ut ajunt forenſi verbo, meque in nervum mittere aggrediuntur. Hoc ego loco, Oh miſerum Cotam! in quantum malum incideras mei cauſsâ, ſed cedo, quid tùm ipſe? Quid? tùm ille, Improbi, ac nequam, hic caſeus redemptus eſt, cùm donatus eſt civitate, anne redimendus iterum? Et illi: Non immunis, inquiunt, nam tu non extrahis urbe, ſed infers: Hic, etſi non facilè ſtomachum detegam, vix tamen me ab irâ continui: & Quo pacto, inquam, infero, ſi Surrentum defero? Et illi: Debueras, inquiunt, id priùs nobis aperire. Hoc ego loco: Quid tu, inquam, ad hoc? videtur enim juſta cauſſa. At Cota: Quid opus id erát, quando ex urbis portâ egrediebar, meque deprehendiſtis in pomœrio ad litus feſtinantem? Hic ego: Bonam attuliſti excuſationem, ſed quid tùm poſtea? Quid? ille

Si qua Fæmina in Navis ſcopulo peperiſſet; Partum à Tributo immunem fecit Regina nec non contractus ibi initos.

Cum Cota in Publicanorum manus veluti reus incidiſſet; Parthenii nomine liberatur.

ille, Stentoreâ voce, ut dicitur, hæc fermè pronunciavit, Quid agitis, attentè conſiderate: hunc ego caſeum ad Parthenium poëtam defero, hominem domeſticè notum: viderit ille quo caſeum modo redimat, quo me vindicet ab injuriâ. Hîc ego non ſine riſu, Quid tùm illi? At Cota, Quid? audito tuo nomine, quaſi numine alicujus derepentè mutati, mitigatique ſunt. Et ſi Poëtæ, inquiunt, caſeus eſt habeto, atque abito; imò ſi redimendus eſſet, illi vectigal donaremus, multum illi debet Parthenope noſtra, cujus operâ fit, ut nunquam illa careat vate ſacro. Hoc loco: Nugaris, inquam, Cota, anne comminiſceris, ut mihi caudâ blandiaris? verùm ego non trahor verbis coquinariis. Ita me Dii ament, tùm ille, ut non mentior; nam licet pauper ſim, ficum tamen non cupio. Imò addiderunt: Scimus hominem, qui in omnium ore, atque oculis eſt. Tùm ego: Nempè eruditi inter ſe noti, eſtne amplius? Rogarunt. Tùm ille: quid tu hic mediteris? nam, ajebant, ille in Surrentino ſuo non feriatus ſedet, nec genio indulget, ſed erudito ſe labore exercet, ut Patriam illuſtret: Imò, ut obfuſcem, tùm ego, non enim ipſe is ſum, qui nobiliſſimæ Urbi ornamento eſſe poſſim, imò & ſi Braſidas eſſem, multos tamen præſtantiores Lacedæmon habet, ut olim dicebatur. Hic Cota: Unus illorum, ajebat ſe, te magiſtro, Capuæ Rhetoricam didiciſſe; deinde neſcio quo Circæo poculo publicanum derepentè factum. Tùm ego: Dignus profectò præceptore diſcipulus. At quid tu interea? Quid? ille, exclamavi, Tanti eſt poëtam eſſe! utinam edidiciſſem grammaticam; alphabetum enim tenebam ſic ſic, uſque ad Q: quæ ſequitur, literam nunquam expeditè pronunciare potui: fortaſsè & ego poëta evaſiſſem. Age, tùm ego, quoniam Capuæ mentio facta eſt, accipe quod mihi adoleſcenti accidit: nam operæ auribus eſt audire, adeò ridiculum eſt, & tibi etiam documento eſſe poterit. Docebam Capuæ Rhetoricam. Hic me Cota interpellat: Non igitur publicanus ille mentiebatur: neque ego commentus ſum, ut à te paſtillos caſeatos extorquerem. Et ego: Credo facilè: ne te amplius vexes, atque audi modò, ſed inſiſte remigio paulò fortius, nam nimium attentum te video ad fabulam: & vereor, ne prius pulmo ad ſcopulum, quàm nos veniamus, viden'ut dies nonmultùm abſit ab umbilico? Tùm ille: Ne dubites bos lentè, ut perbibent, cane jam fabulam: ego aures arrigam: ſpero illam futurum lepidiſſimam. Docebam, tùm ego, inquam, Capuæ Rhetoricam, & domeſtica item procurabam; quocircà veniebam ſæpe Neapolim equo vectus, non

Lepidiſſima Fabella Publicanorum, exploratorumque moleſtâ nequitiam taxans.

non dum enim apud noſtros ciſiorum uſus erat, qui nunc adeò pervulgatus, ut etiam ciſium ſine umbellâ ad manus ſit, ferebamque vidulum ad ephippii pomum appenſum, cùm verò propè Atellas veniebam, illicò publicani occurrebant, jubebantque curſum inhibere, quòd ni ſtatim feciſſem, apprehenſis ipſi frenis equum ſiſtebant, ut ſi quid in bulgâ eſſet, ex quo exigendum foret vectigal, inſpicerent, cum verò illis affirmarem, me nihil ferre contra edictum prætoris; idcircò ſinerent, quæſo, me progredi; neque vellent illo me incommodo afficere, at ſurdo fabulam canebam, & hoc modo exploratores illi nequiſſimi me quotidie vexabant. Cum verò ſemel profectionem de more adornarem, me quidam & poëta ipſe, & bonus vir, rogat, ut ne gravarer Neapolim ad amicum, virum optimum, & nunc magni nominis, tùm Neapoli Humaniores literas profitebatur, duo bubuli cornua deferre, ut ex illis atramentarium cum arenario vaſculo fieri curaret: Cui tùm ego: Næ ego ſimplex, qui cornua deferam, quid homines in via? quid Neapoli dicent domeſtici, cùm me cornutum viderint? Et ille: Næ tu ſcrupuloſus, qui quid dicat, quidve ſentiat vulgus, labores. Ego ſic in animum induxi meum, ut dummodò ſinant me facere, quod honeſtum ducam, cæteris facultatem dicendi, quæ velint, relinquam, iniquum enim quorundam inſtitutum ſemper duxi, qui cùm ſibi omnem agendi, quidquid ipſis lubitum, poteſtatem arrogent, interdicere aliis libertatem loquendi velint: æquiſſimum enim eſt, ut cùm tu facias quod velis, dicam ipſe, quæ ſentiam. Hic ego: Æquum tu quidem loqueris, at mihi non videtur honeſtum cornua circumferre. Et ille: Ità verò, ſi in fronte gereres, imò id tibi eſſet ad gratiam, dicerent enim tibi eſſe cornu copiæ. Tùm ego: Iſtas ego phaleras libenter tibi remitto. Et ille: Omittamus jocos: dicito cum rogaverint, ad quid deſerviant. Tùm ego: Occinam igitur identidem, cornua pro atramentario. Ille verò inſtat, atque urget, (eſt enim aliquanto moleſtus) atqui feras, inquit, occluſa in vidulo. Hic mihi cum in mentem publicani veniſſent, Morem geram, inquam, nolo poëtam tàm inſignem ægrimoniâ afficere, ne fortè dicas, turpe eſſe hanc figulo figulum gratiam non præſtare. Acceptis igitur in vidulo cornibus, in equam inſilio, & me in viam do Neapolim versùs, & faciam, inquam, ut hâc vice cornutam beſtiam publicani petant. Cùm verò ad poſtremum ab Atellâ lapidem, ubi telonarii ſedent perveniſſem, illi pro more aſſurgunt, occurrunt, ſiſtunt equam, & quid eſſet in vidulo interrogant? Tùm ego ca-

peratâ fronte, geſtu perquàm gravi, & quaſsâ voce; ſinite me, quæſo, inquam, abire: quod in hâc bulgâ eſt non facit pro domo veſtrâ. Tùm illi audaces, atque importuni: Volumus, inquiunt; introſpicere. Et ego: Omittito, inquam, iſtum laborem: quod hîc eſt à vectigali immune omninò. Inſtant illi, atque urgent, ut quid eſſet in vidulo palam facerem. Tùm ego quaſi abrumpens patientiam: En clavis, inquam, ſerulæ: reſerate, & quid in vidulo ſit inſpicite: non vos operæ pęnitebit quidem certè. Hoc loco Cota. Expecto, inquit, fabulæ cataſtrophen, & ridiculam quidem illam. Rectè conjectas, tùm ego: ſed accipe. Publicani acceptâ clave, vidulum aperiunt, manus inferunt, cùmque durum quid, & tortuoſum attrectarent, quid hoc? inquiunt. Et ego: Numnam manus, numnam oculos non habetis? educite, atque inſpicite; cùm vero illicò eduxiſſent, ſe cornua habere deprehendunt. Hic Cota, non ſine ingenti riſu, Quid tùm illi? Quid? ego: Verecundiâ magis, quam irâ perciti: Impoſuiſti nobis, inquiunt, cum tuis iſtis cornibus. Tùm Cota: Habeant; meriti quippè, haud enim illis certandum erat cum poëtis, qui lepidè comminiſcuntur. Sed quid inde factum? Et ego: Quod volebam: nunquam me amplius vexarunt, cùmque me prætereuntem conſpicabantur, alter in alterum intuens. Hic ille, ajebant, à cornibus frater: ſinamus eum abire; ne quid magis ridiculum commentus ſit. Tùm Cota: Feſtivum ſanè factum, & haud ſcio an aliud; imitabor certè, cum ſe dederit occaſio, quamquàm poëta non ſim. Intereà dum hæc diceret, phaſelum ad ſcopulum properantem video; quare illuc iter acceleravimus.

CAPUT VI.

Statii quidam locus in III. *Sylvarum explicatus, cujus occaſione quæſitum, quid eſſent illæ faces in malorum verticibus videri ſolitæ, quas Tyndaridas vocant.*

Adoleſcentis amici ſui animi candorem, reliquaſq; dotes cōmendat Auctor.

DIverterat apud me Cn: Bellus, ut reſtitutam ex parte valetudinem, melius confirmaret. Juvenis indole mitis, moribus niveus, atque officiis perurbanus: mihi verò veteris amicitiæ jure (dilexeram enim à puero) devinctiſſimus, in quo præter enumeratas virtutes, ſingularem animi candorem adamavi: & eo magis, quòd hujuſmodi dotem in paucis reperies, adeò hâc ætate ea invaluit opinio, ſimulationem in numero virtutum eſſe, quam qui magis callent,

lent; prudentiores videntur; quare ſic ego animum induxi, ut non facilè crederem: nec cunctis, nullo adhibito delectu, fidem præſtarem; lubrica enim id temporis res eſt, continuò credere. Cum hoc igitur voluptuariâ in ſpeculâ inclinante ſe jam die ſedebamus, ibique cymbulam aliquam conductitiam, ſi fortè fortunâ pertranſiret, præſtolabamur, cum Bellus, Quid de horiâ tuâ, quam in noſtrâ ſpecu ſemper in promptu habere conſueveras? Ne, quæſo, Belle, inquam, mihi ulnus tangas, hoc enim lætitiæ, non mœrori tempus datur. Et ille: Quorſum iſtuc? Cui ego: Omittamus inquam: neque illius memoriam ſuffricemus. At Bellus: Nunnam periit? Et ego: Divinaſti profectò, ille verò: Cedo, quo infortunio? aveo enim iſtuc audire. At malo meo, tùm ego amara quippè illius memoria. Tùm ille: Ludis quidem, Parthenie, non enim tu is es, qui jacturis movearis; ſcio nempè te jam animum induxiſſe, ut res humanas ſuſque deque feras, neque certò quidquam eſt, quod animi tui tranquillitatem perturbet, quippè vates ex alto Olympi vertice

Deſpectant nubes, & rauca tonitrua calcant.

Horiæ ſuæ naufragium narrat Parthenius.

Atque audi, tùm ego: Cùm animi gratiâ Æquenſem uſque Vicum iſſemus, reverſi, quoniam ad umbilicum dies venerat, & ſumma maris mollities, secùs undam ſubductam reliquimus, ſub veſperam altiùs ſubducturi, at navicularius ſive tædio, ſive oblivione captus: ſive quod ſperaret duraturam illam ſerenitatem, eo loci cymbam deſeruit. Hic Bellus: Nimis ſupinus, & incautus iſtic homo. Et ego: Ità ſunt omnes hujuſcemodi homines: & quamquàm admoneas, increpes, ſtipendia tempeſtivè perſolvas, munuſculis etiam oneres, nihil proficis. At Bellus: Si tales ſunt nunquam efficies certè, ut rectè ingrediantur cancri, ut dicitur, ſed quid tùm poſtea? Quid? tùm ego, ortâ circiter mediam noctem ex improviſo tempeſtate: & creſcente ſenſim æſtu, obſorpta undarum vi, inque altum navicula abrepta: ad ſcopulos tandem alliſa, atque comminuta eſt: & tabulæ, ſcalmi, interſcalmia, armamenta hàc illàc diſperſa; ut vix tandem recuperari potuerint. Hoc loco Bellus: ſolabor, inquit, iſtam jacturam verſiculis tuis, quos habes VI. Nauticorum.

Chara magis ſit vita tibi; præſtantior omni
Illa auro, regumque opibus, ſceptriſque ſuperbis:
Quin fato variante, fluunt refluuntque viciſſim
Neſcia ſtare loco mortalibus addita dona.
Si ſupereſt nobis animus, nec dextera ceſſet,
Quæ modò Fata ferunt, referent cito divite cenſu.

Sed

Sed neſcio quo æſtro agitor? nempè tui me verſiculi calore accendunt. Accipe, quæſo, ſi placent, etſi, ut tritum adagium, aliud noctua, aliud cornix ſonat.

Epigramma de Horiæ naufragio.

Tantum ergo, Neptune, tuas audere procellas,
Et tantum Thetis eſt edere paſſa nefas?
Non vates hic ille, ſuo qui carmine tantum
Reddidit inſignes, & ſuper aſtra tulit?
Audio, ſic mediis fatur Neptunus ab undis,
Et Thetis è vitreis ſic ſonat ima vadis.
Luſimus, & medio diſperſimus æquore cymbam:
Haud equidem tantum digna tuliſſe virum,
Illum ego cæruleâ ducam per cærula conchâ:
Atque illum in curru Tethys aget vitreo.
Tritones rauco pulſantes marmora cornu
Præcurrent: plauſu pulſa ſonabit aqua.
Circùm Nereides, circùm Sirenes, & omnes
Cæruleæ venient ad ſua juſſa Deæ.
Atque unà alternis certantes carmina dicent,
Et ducent feſtos per vada ſalſa choros.

Tùm ego: Bona verba, intereà ego ne ſcalmum quidem video. Ille verò: Viden' ut ex illo ſcopulo navicula incipiat apparere? Cui ego: Video proram. Et Bellus: Neptunus eſt: video item ſpumam, anne circùm Nereides ludunt? Tùm ego: Næ tu vigilans ſomniaris, ni fortè jocaris, vah, ah, ah! ſciſne tu, qui ille eſt ſenex, qui ſolus cymbam agit penè diſſutam? Et ille: Num pro Neptuno quiſpiam Charon? Et ego: Numnam tu vates, qui divinas? capularis ille ſenex cognomento Charon appellatur, duodenonaginta annos numerat, homo adeò facetus, ingeniique extemporanei, ut ſine perſonâ, atque extempore quamvis, poſſet agere comœdiam. Accerſamus, quæſo, illum, tùm Bellus; ut ad extremum uſque Surrenti promontorium ducat, recreabit nos ille hodie ſuis facetiis. Cui tùm ego: Accerſamus, ſtatimque hominem nominatim inclamo, dumque ille applicaret nos in ſcopolum deſcendimus, inque naviculam mox ingreſſi ad occiduam oram ire jubeo. Tùm Bellus Navicularium intuens, Quæſo, inquit, mi Charon, ut ſuſpenſo eas remo: volumus enim hodie abundè frui vacatione, atque ad ſatietatem recreari. At tùm ego: Non eſt opus, ut moneas, expendit ille ſingulos remi ictus, ut non tàm remis, quàm grallis ferri navicula videatur; quare ſic tecum ſtatue, ut hic hodiè ſit de pernicitate cum teſtudine pugnaturus. At Charon: Mi juvenis, ne, quæſo, huic poëtæ aures adhibeas, nam plerumque ſuo more comminiſcitur, cumque meâ invehitur naviculâ, nihil niſi verba im-

Navicularius cognomento Charon, lepidi ingenii falsè cũ Parthenio jocatur.

por-

portat, quaſi alter Hermadorus, ſæpè promittit mihi ſe jentaculum allaturum, optimum caſeum, & ſecundarium panem: candidum depſiticum ſervat ſibi, quoties verò redit, & ego illum de promiſſis interrogo, ille ſtatim ſe oblitum fingit. Tùm Bellus: Bono ſis animo, meum erit, ut ſuggeram. Ego verò: Tu Helluo nunquam ſatur. Ille verò: Qui me parcior, aut continentior, qui duodenonaginta annos, pane, caſeo, & aquâ, ut plurimùm vixi? Hic Bellus: Itane Charon? Et ille: Maximè verò, imò hoc cibo nunquam mihi quidquam ſuavius, nec ſalubrius fuit, hoc ego optimâ ſemper uſus valetudine, neque unquam, vel leviter quidem dolui à capite. Mirum oppidò, tùm Bellus, uſque adeò verum eſt paucis contentam eſſe naturam, & ut à teneris aſſueſcimus, ita vitæ totius eſt curſus, mox ad navicularium: Heus tu, Charon, quid iſtuc eſt? navicula multam accipit aquam, ſumus ò ſatin' ſalvi? Tùm Charon: Sumus, habeo ſpongiam, quâ aquam egeram, habeo nauticam cochlidem, quâ citiùs, ſi opus ſit, eiiciam. Imò neque totâ anthliâ hauries, tùm Bellus. Egeram quamcitiſſimè, tùm Charon; audite intereà lepidam fabellam, ne odioſa vobis ſit mora, & dum ego aquam, vos voluptatem aliquam hauriatis. Vehebam hâc ipsâ naviculâ hominem quendam divitem, ac ſplendidè indutum, qui pileum obverſum tenebat in ſinu, ipſe verò vinum, erat temulentiſſimus, altè edormiebat, ego dum aquam egero, cùm illam in ligneum vas anſatum verſare vellem, in obverſum pileum inſciens immiſi, ille tandem cùm è temulento ſopore inciperet expergiſci, & quoniam tùm à Sole, tùm à vino ei caput incaluerat, pileo ſe cooperuit, ſed quid? inverſo pileo, totus benè madefactus eſt, quia verò vinum ructabat, totuſque olebat vinum. Quis me, inquit, aſpergit vino? Cui ſtatim ego: Bacchus, qui tibi cordi, & in corde eſt. Benè eſt, inquit ille, placet, atque illicò dimittit caput, cæpitque iterum dormitare. Nonne lepidum factum? Cui nos: Imò lepidiſſimum. Atque hauſtâ jam aquâ propter ſcopulos ire pergimus. Tandem cum ad ſinum, quem durus ſilice collis diſciſſus hinc, atque hinc aperit, perventum eſt, Deſcendamus, inquit Cui Bellus, tantiſper in amœnam hanc oram: oblector illius ſitu, atque opacitate; & ſic intereà Caron aquam hauriet iterum, plurimam enim rurſus ebibit; adeò pervetus, ac penè difluta cymbula eſt. Cumque ego annuiſſem, in terram exilivimus: ſedimuſque in ſcopulo propè arenam, quà è proximâ deſcendens rupe tenuis aqua præterfluebat. Hic ille: Quoniam, inquit, Statius eſt in manibus (qui tamen nec mihi, nec tibi

Narrat Charon Hiſtoriolem admodum ridiculam de quodam Ebrio.

cre-

crebrò teritur ; quamquam ingenium viri popularis tui plurimùm laudes) ſine quæſo, ut te unum interrogem , cùm ex docto olim cæteroqui homine illud exquiſiviſſem , nihil ad rem, ſit pace illius dictum, reſpondit; ut ego non immeritò , mecum tamen, ne authoritatem viri offenderem, quid, inquam, ad Mercurium? Eſt tamen quod illi condonem, quippè non aſtrologo, tu verò, qui hiſce in artibus inſtructus, & variâ lectione eruditus, nodum ſolvere, meque dubio eximere potes. In Sylv. III. poſt Herculem Surrentinum, quem modo legimus, eſt Propempticon Metio Celeri, in quo hæc habet acutus hic Poëta.

Locus quidam Statii explicatur

Grande tuo, rarumque damus, Neptune, profundo
Depoſitum, juvenis dubio committitur alto
Metius; atque animæ partem ſuper æquora noſtræ
Majorem transferre parat: proferre benigna
Sydera, & antennæ gemino conſidite cornu
Oebalii fratres: vobis pontuſque, poluſque
Luceat. Iliacæ longè nimboſa ſororis
Aſtra fugate, precor, totoque excludite ponto.

Oebalii fratres, teneo enim, ſunt Caſtor, & Pollux. Caſtor quidem Tyndari, & Ledæ filius? Pollux Ledæ, & Jovis. Ex duobus enim ovis, ut mythologi perhibent, quæ Leda emiſit, ex uno quod ex Jove conceperat, Pollux, & Helena excuſi; idcircò immortales, ex altero, quod conceperat ex Tyndaro conjuge, qui Oebaliæ rex fuit, Caſtor, & Clytemneſtra mortales. Caſtore è vivis ſublato, Pollux ab Jove impetravit, ut liceret ſibi cum fratre immortalitatem commutare, hac lege, ut alternis viverent; tantus erat fraternus inter hos amor: ob quam inſignem charitatem ambo à Jove in cœlum translati, inque ſignifero inter Iſidem, & Carcinum poſiti; Geminique ab aſtrologis appellati, ſunt autem ita collocati, ut uno occidente alter adhùc ſupra Finitorem extet, undè locum fabulæ factum eſſe veriſimile oppidò eſt, hæc autem didici, te præceptore, cum cœleſtem nobis orbem deſcribebas, radioque illo tuo, quo aſtris legem præſcribis, demonſtrabas, audiebam te tùm ego ſummâ attentione cùm mentis, tùm aurium, ſummâque animi voluptate. At Helenam nunquam audivi, legi nunquam, in cœlum tranſlatam, neque unam eſſe ex imaginibus, quas etiam conſtellationes vocatis, ſtellati orbis, στερέωμα Græcis memini appellari, cur igitur doctus hic Poëta, nec certè falſus, nimboſa aſtra ſororis vocat? Age ſis, prome, quod ſentis: dumque Sphyngem tibi præſtiti, ſis tu mihi Oedipus. Tùm ego: Acutè tu quidem, & eruditè, ut multa, miror certè memoriam

Quid ſit Helenæ Aſtrum apud Nautas, exponitur.

tuam

tuam; atque diſcendi cupiditatem, præcipuè has artes; quas reliqui negligunt, qui niſi altè clamitare, ſugeſtumque percutere probè norint, nihil ſe didiciſſe putant. Sed ne ſepta tranſiliam, quemadmodum hæc ſe res habeat, numeris dicam, ſcis enim me brevitate quàmmaximè delectari: quam tamen in paucis invenies, adeò hæc ætas luxurie frondium abundat. Compertum nautis eſt in ſummis antennarum verticibus (cornua nautæ vocant; unde illud poëtæ:

Cornua velatarum obvertimus antennarum:

Et funes, qui hæc cornua tenent, ceruchos nuncupant; græco vocabulo) atque in ſummis malis geminas interdum faces, interdum ſolitariam unam apparere: quas quidem faces ſtellas dicunt; ſunt autem ex earum genere, quæ ſereno cœlo noctu videntur tranſcurrere, ac veluti conflagrare, cadentes idcircò phyſici nominant. Atque hùc reſpiciens poëta aſtra vocavit nimboſa; verò quia cum duo ignes collucent Tyndaridas eſſe putant, fauſtum omen, & proſperum felicis navigationis auſpicium; at ſolitarius unus cùm ardet ignis, Helenam credunt, infauſtum omen, & calamitoſum, nempè cujus raptu Europa, & Aſia conflagrarunt. Idcircò Tyndaridas vult inſiſtere cornibus, quippè lætos, & felices auſpices; arceri verò Helenam, ut quæ mali, infauſtiq; curſus prænuncia ſit. Hic Cn: Bellus: Rem omnem habeo à te dilucidè expoſitam, quam quidem non abſque Theſeo, ut dicitur, obtinere facilè poteram. Verùm age, ſi ſtellæ non ſunt, ſed faces quedam noctu in aëre apparentes, ſunt veri ignes, necne? Cui tùm ego: Verum eſſe ignem non arbitror, quod ſi rogas quo id argumento? habeo in promptu: non enim comburunt, compertum quippè, ita antennis, maliſque inſidere, ut eos lædant nullo modo, atqui læderent, imò in favillas redigerent, ſi ignis re verâ eſſent; non igitur ignis ſunt. Quin imò, addit Plinius hujuſcemodi faces, Tyndaridas veteribus appellatas, interdùm circà hominum capita collucere, nec tamen lædere: innoxiæ ergo ſunt; atque idcircò ab igne diverſæ. Sed quid tandem erunt? tùm Cn. Bellus, Ego verò: Craſſa quædam materies collucens, idque ex eò exiſtit manifeſtè, quòd albo colore niteant, qui viſcoſæ index materiæ eſt. Plinius, ſi ad ima deſcendant, ait, comburere, at id minimè exploratum. Confundit, ni me fallo, has cum fulmine faces, hoc enim in ima perrumpit, adurit, devorat quidquid illi obviam venit. Hic Bellus: At quædam flamma eſt, quæ ob nimiam raritatem non comburit; cur igitur iſtiuſmodi has eſſe faces non dicemus? Cui tùm ego:

An Helena ſit verus ignis: inquiritur; & ex qua materie cōſtet.

ego: Quia illa etſi non comburit, ſurſum tamen enititur: nec eadem omnino perſeverat: at hæ faces nec ſurſum evolant, & totæ ſimul collucent. Tùm ille: Hæ igitur faces ejus erunt naturæ, cujus illi ſunt ignes, quos fatuos phyſici vocitant? Et ego: Itaenimverò, ſunt enim pinguis quædam exhalatio ſubalbida, minimèque accenſa: nempè plurima ſunt corpora, & albida, & viſcoſa, noctuque lucentia, quibus nihil prorſus ignis ſubeſt, qualia nitedulæ, putrida quædam ligna, qualia item oſtrea quædam oblonga, auliſque ſimillima, quæ ſi noctu comedas, & ſimul expuas, ſtellas te expuere in pavimentum credas; imò ſi ſalivâ manus, vel facies intingas, totus collucere videare: plurima iſtiuſmodi tùm in Anconitato, tùm Tarentino in portu reperiuntur, id ego utroque in loco expertus ſum. Tarenti primùm, cùm extremam Italiam peragravi: mox Anconæ, cùm multis poſt annis omnem penè Italiam circuivi. Imò Tarenti lepidum oppidò factum accidit, quod quidem audire operæ eſt auribus: juvat, dum otiamur, jocari tantiſper: quippè miſcenda nonnunquam ſeria jocoſis ſunt, levantur ità animi, ut ad labores tolerandos fortiores evadant. Erat Tarenti vir quidam, qui cum ego Nepetiæ admodùm adoleſcens vixeram, facie adeo illiberali, ut cum Therſite, atque Æſopo de pulchritudine certare potuiſſet; eâ tamen laborabat inſaniâ, ut præ ſe pulchrum putaret neminem, quòd in iſtiuſmodi hominibus fermè cadit; unum tamen non negabat, eſſe ſe colore ſubcroceo, quod ille vitium non naturæ, cui plurimum ſe debere fatebatur, ſed morbo aſcribebat, totuſque erat, ut hunc colorem, qui unus tantum ſuæ formæ obſtabat, quin abſoluta omnibus numeris eſſet, adhibitis medicamentis exueret; vexabat igitur medicos, pharmacopolas, unguentarios, & quod præſidi maximè diſplicebat, rem domeſticam decoquebat, & eò magis, quòd ære alieno premeretur, quocircà hunc hominem nullo modo quibat concoquere. Cum igitur plurimos iſtiuſmodi dactylos in foro piſcario emiſſem, domumque tuliſſem (conquirebam tùm iſta ſcripturus Halieutica) ille me de illius oſtrei vi mirabili admonet, reliquique, unà qui tùm erant, ità eſſe affirmabant. Tùm ego: Faciamus periculum. Extincto igitur lumine, jam enim adveſperaverat, dactylum comedo; mox ſalivâ pulcherrimam illius faciem ungo, ſic, inquiens, colorem tandem iſtum exues, illicò collucere viſus aſpectu tam fædo, ac tetro, ut quaſi dæmonem omnes conſalutaverint, tanto riſu, ut nunquam aliàs. At ego: Habes inquam, quod volebas, totus pro croceo, nitidus, ſed meis jacturis, habeto igitur gratias mihi

Ridicula Fabella de quodam, qui ſe pulchrũ inſanè exiſtimabat: cum eſſet facie admodum illiberali.

mihi, cui reſtitutam in integrum formam debes. Hic Bellus, magno & ipſe riſu; ò factum benè! ò feſtivè, argutèque dictum! mox ad aures Eſtne? inquit. Cui ego: Ipſiſſimus, nonne ridiculus? Et ille: Quàm qui maximè. At nos interea, inquam ego ex equis delapſi ad aſinos, redeamus igitur in viam.

E maris ſpumâ ſcintillæ evibrantur.

Obſervatum prætereà noctu eſt tranquillo mari, ſi navis curſu feratur perceleri, undaſque dividat, inque ſpumas abire faciat, ſcintillas quaſdam evibrari, & grandiuſculas quidem illas, ut repercuſſum ſtellarum lumen arbitreris, ni id nubilo etiam cœlo ſæpe eveniret. Eſt autem lux illa à ſpumâ emiſſa: vacare autem igne quis neget? Hic Bellus: Aſſentior prorſus: res eſt, ut dicis. Verùm redeamus ad Tyndaridas: ſi exhalationes quædam ſunt craſſæ, & viſcoſæ, & ignes fatui, cæteraque iſtiuſmodi, undenam procreantur? Tùm ego: E navibus ipſis: & potiſſimùm, cùm tempeſtates poſuerunt. Harum enim vi plurimi halitus in naves detruduntur, qui mox erumpentes conflagrant, atque ignes hoſce in malorum verticibus exhibent. Eſt etiam & alia cauſſa: in navium ſentinis tot, tantæque ſordes ex tantorum colluvione hominum, quibus naves habitantur, continuò adunantur, ut plurimæ deindè exhalationes evaporent, eo prorſus modo, quo è locis uliginoſis putridi erumpunt halitus, atque accenduntur. Hic Bellus: Probabile quidem iſtuc. At age, pergamus porrò, Cur ſi duo intermicant fauſti, fortunatique ſunt, ſi unus malè ominoſus? an id ex gentium vanitate abſque ullâ ratione jactatur? Cui ego: Ità verò, meâ quidem ſententiâ, ſunt tamen compluſculi, qui id ex eo evenire arbitrati ſunt, quòd ſi duo appareant, exalationem non adeò craſſam eſſe ſignificent, ſi unus, craſſiorem, ac denſam, ex quâ tempeſtas oriatur. In Mediterraneo mari duo tantum apparent, at in Oceano tres etiam, an quia majora navigia, pluresque ſordes ſunt? Sed ut ut ſit, res non adeò facilis indagatu eſt. Hoc loco Bellus occiput dextrâ pervellens, Næ inquit ego immemor, qui te diu vexavi, habes id tu in Naut: 111: & nunc tandem verſiculi redeunt in memoriam:

Quare Caſtor, & Pollux, fortunati ſint: Helena verò infauſtiſſima.

Si ſummo antennæ flammanti lumine cornu
Sola Elena inſidat, Divos, Palinure, vocato,
Supplicibus votis: ventorum prælia, & iras
Accendet Dea ſæva, omnemque à gurgite pontum
Quaſſabit ventis, & tempeſtatibus atris:
Ut quondam bellis Aſiam vaſtavit, & armis:
At ſi Tyndaridæ gemino ſplendore coruſci

Navibus ex imis ſurgant (quia navibus imis
Sulphurei erumpunt piceo nidore vapores)
Et gemino antennæ pacati in vertice ſidant ;
Pone metum : rapidos turbato ex aëre ventos
Pulſabunt , tetras & amicâ luce procellas .

Quas ut recitavit ; Mirabar ; inquam ego , quod illorum in te memoria occiderat , ſcio enim meos te libellos (quæ ſumma eſt tua in me benevolentia) frequenter evoluere . Atque hæc ut dicta , in naviculam ingredimur : inque ſcopulum Caron ire occupat .

CAPUT VII.

C. Manlii in Surrentinum adventus , cujus occaſione, multa de piſcibus condiendis ſtrictim notata ; mox occaſiunculâ à medicinâ deditâ , quæſitum quid eſſet manna , quid pix , quoque tempore , ac modo utraque conficiatur .

Quadripartita tempora more , majorum ſacro jejunio celebrãtur ad debitum Numini obſequium.

POſt Idus Septembris , cùm more majorum quadripartita tempora ſacro jejunio celebramus : ut illa nimirum tùm animi , tùm corporis caſtigatione debitum Numini obſequium præſtemus , proque tot , tantiſque in nos muneribus divinâ beneficentiâ collatis , vices quamvis impares , rependamus , dies amœnitate amœnus , facilis , ac luculentus illuxerat , quocircà benè manè in ſcopulum deſcendo , ut illa animum diei amœnitate , & matutinâ maris aurâ , mihi quâvis potione medicatiſſimâ , recrearer , cùm enim complurium dierum , quibus cum Muſis fueram ampliter occupatus , continenti exercitatione , jam penè defatigatus eſſem opus erat , ut aliquam à nimio ſtudio ceſſationem facerem , volebam etiam è piſcatoriis cymbulis mihi perpauxillum piſcium comparare . Etenim cùm in Surrentino ipſe mihi conſul ſim , ipſe ſenatus , neceſſe eſt , ut ad ſingula quæque unus deſcendam : & modò promus ſim , modò emptor obſonii , modò etiam , imò ſemper , mihi coquum fingo . Et quamquam pervulgatum illud Platonis εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνήρ nimirum unus vir , nullus vir : tamen unus ego , multorum vice fungor .

Unus vir, nullus vir, Prov.

Vix dum in cymbam pedem intuli , cùm è proximâ quadam horiâ , quam porrò incitatiſſimè impellebat , quidam piſcator me nominatim , ſum quippè illis benè notus , altiùs inclamat , jubetque naviculariorum curſum inhibere. Tùm ego : Age , puer , ſubſiſte , hic certè , jaculator ille eſt , Fuſci filius , qui ſuam vult mihi mercem obtrudere , verùm quia ut plurimùm , carò admodum indicat : & me præteritâ hebdomadâ

teti-

tetigit tribus aſſibus ; idcircò illum bellè uram hoc manè : & quam meditatur in me, adornare tragulam, iniiciam in illum. Mox ut propiùs acceſſit, quid ſibi vellet? interrogo. Et ille: Nonne tibi ſubolet? Tùm ego quaſi inſciens, Videlicet? Tùm ille: Selectiſſimos tibi piſces repoſui, qui uſui eſſe poſſunt, in hiſce quatuor temporum jejuniis. Ego verò: Cujuſmodi ſunt? Tùm ille ciſtulam protulit, & hi ſunt, inquit, verùm ſcito illos recentiſſimos eſſe: quales nunquam Neapoli habetis ubi diales nulli apponuntur, viden' ut palpitant? Ego tùm faſtidienti ſupercilio inſpiciens, Iſtæc, inquam, muræna perparvula eſt, atque adeò ſpinoſa: cephalus ille fluviatilis, quare non ſanus: mulli hi lutarii, non barbatuli, ſalpa illa mollicula, & inſipida, tandem, ut compendium faciam, ne te pluribus morer, omnes neutiquam, ut ajebas, recentes ſunt; quocirca meo ſtomacho non quadrant, utqui faſtidii delicatiſſimi, non tenes notiſſimum illud, Piſcis nequam, niſi recens? quapropter illos ne caſsâ quidem nuce præſtinarem. Hic ille non ſine indignatione: Videris tu certè, inquit, è poëta medicus derepentè factus, neque adhùc, conſpicilio, ut ſoles, naſum induiſſe: muræna hæc trilibris, pinguiſſima, cephalus marinus, qui ſi depſiticâ Cerere incruſtabitur, erit ſnaviſſimus: mulli ſaxatiles, & barbati, non vides barbam? ſalpa recentiſſima, quam ſi exenteratam citriis tunſis, uvâ paſsa, nucleiſque infarcies, atque inter aſſandum oleo, acetoque aſperges, ac benè imbues, erit delicatiſſima, ſunt etiam ſoleæ, quas ſi Apicio jure condias, ſervare in triduum potes nam hæc cœli ſerenitas, mollities hæc maris ephimera eſt, ut ne aphyam poſthàc, imò ne ſquamam quidem ſperare poſſis. Tùm ego: Ne labores; manum ferulæ ſubduximus: neque tu adeò ſcitus, qui Aquilam volare doceas; iſtæc enim ego magis calleo, quàm aprugnum callum callet, ut dicunt. Verum utut ſunt (ſciebam enim piſces & optimos eſſe, & recentiſſimos, ſed ut illum torquerem, & ut ſic viliùs, diſtraheret quaſi faſtidiens contemnebam: æquum quippè, ut quiſque ad ſuum quæſtum ſit percallidus) quanti, inquam, indicas? Et ille: Sex nummis argenteis. Cui ego non ſine ſtomacho. Vix tanti vales cum totâ horiâ, utinam Prætor eſſem! edicto caverem ne quis piſcator ſuo arbitratu piſces venderet, ſed tanti quanti Cerealis ædilis æxtimaſſet, & nullibi, niſi piſcario in foro proſtarent, ibique ſub lance ſignatis ponderibus venderentur. Verùm ſumnæ ego ſtultus, qui curo rem publicam, cùm magiſtratus ſint, quos oportet curare. Hic ille flagitioſo digito ſuperiorem explicans barbam, quæ plurima homini pubeſcebat; Ut video,

Colloquium Parthenii ſubdolum cum Piſcatore.

inquit, te, nonnihil agit intemperiei: fortaſsè tibi, & Muſis tuis ſiniſtèr hic dies eſt. Cui ego: At tibi non ſuccedit ſub manus negotium, adeone me ſimplicem arbitrabaris, ut in trenſennam induceres? Et ille: Ne prædices, ſcio qualis vir ſies; nimirum percallidus, tuiquæ negotii benè gerens, atque ad rem attentiſſimus: Imò tu callidus, inquam ego, qui non multis ab hinc diebus tribus me aſſibus tetigiſti. An tu me potius? tùm ille, non enim ego adeo dexter ſum, qui pulchrè vulpem fallam. Sed quid hîc mihi ceſſo, cumque faſtidioſo iſto operam fruſtrà contero? atque hæc dicens naviculam intorquet. Tùm ego: Mane parumper, nolo, ut tu hùc fruſtrà veniſſe conqueraris, en tibi pauſillum Braſiliani pulveris, quem ſcio tibi eſſe gratiſſimum. Hunc ego pulverem, etſi angue pejus, & cane odio habeam, ut ne odorem, odorem autem? imò fœtorem feram; nam præterquàmquòd totum hominem, nedum nares conſpurcet, non leviter cerebrum lædit, pecuniamque decoquit ſine lucro; tamen, ut illo piſcatores alliciam, ineſcemque perpauxillum in pyxidulâ geſtare ſoleo, quem vel ab amicis peto, vel ab eo, qui domeſticas rationes procurat, viro amiciſſimo, & in me haud illiberali; nam pecuniâ comparare ſemper piaculi loco duxi, ſed ego de curru delapſus nimium aberravi; quocircâ in viam me tempeſtivè deducam. Ut Nicotianum pulverem ſibi oblatum piſcator intellexit, illicò ſubſtitit, inflexâque cymbulâ, Des, inquit, mihi quæſo veniam, ſi te duriuſculo inceſſi verbo: nam tu me etiam pervellere volebas faſtidienti illo tuo ſupercilio. Uſque adeò vel exiguis munuſculis irati flectuntur animi, imò & ab averſiſſimis extorqueas quidquid velis. Ut pulverem affatim prorrexi; & ille admotum naribus probaſſet: erat enim acer, ac prævalidus; Diſtrahes, inquam, tribus nummulis argenteis? Et ille præter morem liberalis. Accipe, inquit, quanti voles res tranſigatur arbitratu tuo: ut intelligas me ità tecum agere, ut nullam mei commodi rationem habeam. At ego, cùm advertiſſem mihi pecuniam non eſſe ad manus; Dabis, inquam, fide interpoſita? thecam enim nummariam oblitus ſum domi; quocircà ſine præmio ſum. Tùm ſtatim ille: Credam lubentiſſimè, non enim tu is es, quicum tranſigam græcâ fide, id verò cum cæteris minimè facio, ſunt namque complures, quibus ſi ſemel credas, nunquam nomina ipſorum expunges: etenim cùm creditam illis pecuniam efflagitaveris, tot prætextus afferunt, tot formas induunt, tot comminiſcuntur cauſſas, ut verſutiores videantur, quàm rota figularis; uno verbo, non ſoluunt, niſi ad

Munuſculis flectuntur animi.

ad Kal. Græcas. Cui tùm ego : Gratias ago, quod ità de me ſentias : faciam ut illam accipias cum uſurâ, addam enim, ut meridies, merendam non inelegantem : nimirum operarium panem, & fruſtum caſei ovilli veteris, atque exquiſitiſſimi : cæterum laudo prudentiam tuam, qui adeò ſolerter præcaves. Et ille : Ità facto opus eſt, mea quippè res agitur, & par eſt, ut ſuæ quiſque utilitati ſine alterius injuriâ ſerviat, verùm etſi velim gratis meam tibi operam præſtare, næ ego inurbanus, qui elegans illud reſpuam antecænium. Sed quæſo, ut des etiam vinum, non enim ex unis lapidibus, verùm etiam cæmento fit fabrica. Cui ego ſubridens : Rectè quidem, & argutè, ne, labores faciam libenter. Intereâ loci me puer è ſcopulo altâ voce compellat, nunciatque veniſſe hoſpitem quendam ; jubeo igitur navicularium reflexâ prorâ ad litus applicare. Ut verò applicuit, puerum rogo, Undè hoſpes veniret, & quid ſibi vellet? Tùm ille : Undè veniat ignoro, quid verò ſibi velit, de te conjecturam facito. Cui tùm ego : Numnam ut curet cuticulam? Ille verò : Opinor ; juvenis enim eſt macilentus, ac pallidus, ut ex noſocomio venire videatur. Tùm ego : Curnam non dixiſti me profectum Stabias? Quia inquit ille, id non erat in mandatis, neque ego divinus ſum, ut quid ſentias conjectem. Et ego : At non vides, inepte, quanto ego operi incumbo? Et hic ſextus annus eſt, & mihi jam ætas adfecta, canique nitent non pauci. Tùm puer : Tu adhùc juvenis, non enim, ut ex te nudius tertius audivi L. annum attigiſti. Ego tùm : Ità enim verò, ſed non vides, quàm imbecillæ vires, quàm malè affecta valetudo? Et ille : Quid mirum ſi te continuò literis involvis, & parcè admodum te tractes. Verùm jam operi faſtigium impoſuiſti audivi enim te poſtremos verſus feſtiviſſimè cantitantem, quos etiam in memoriâ habeo. Cui ego : Recita illicò. Et ille : Dabis mihi prœmium? Dabo, inquam. Ille tùm: Cedo, quid mihi dabis? Tùm ego : καρυατρίβον nonne eſt quàm pulcherrimum, Hic ille : Ludis certè Parthenie, amabò, loquere vernacule : græca enim non audio. Cui tùm ego ſubridens : Dicam latinè, ſed novitiâ denominatione, nucifragium. Ille verò : Hem! jocaris certè, ſiquidem iſtiuſmodi in viâ ſexcenta ſunt. Tùm ego : Recita tandem : faciam ut non te pœniteat. Et ille : Dicam tuâ fide. Poſtquàm autem diù occipitium ſcalpſiſſet, At me, non ità? inquit. Et ego : Ità enim verò, ſed citò. Tùm ille : Sine quæſo, ut reſpirem, & reminiſcar, jam veniunt.

Fabiolus puer poſtremos Bellicorum verſus recitat.

At

At me defeſſum poſt tot certamina Martis,
Phæbeo

Tùm ſtatim ego: Quid dicis? non vides, ut non rectè pronuncies? Et ille: Hui! tam citò me vis perdoctum? ſine ut ferulæ manus ſubducam. Ego verò: Papæ! ut es argutulus. Tùm puer: Audi modo: incipiam à capite.

At me defeſſum poſt tot certamina Martis
Phæbeo & totum refluentem rore, paterni.

Non rectè fluunt? Cui ego: Rectiſſimè, euge, euge. Et ille: Pergam ad reliqua. Ohe! oblitus ſum: hem! jam redeunt: dicam citò, ne iterum fugiant:

Invitant colles ad gaudia nota: ſinumque
Ipſa ſuum Siren venienti expandit alumno:
Utque humili quondam Muſco, & mea tempora Myrto,
Sic nunc heroa geſtit præcingere Lauro.
Hinc Neſis, Megareque & Olympia Mergellina,
Hinc & Sebethus feſtivo murmure aquarum,
At virides plaudunt horti, campique beati.
Et procul hinc Prochyte circumſonat, Inarimeque
Hinc & bellaci ſubſultat Veſbius igne.
Et Vicus contrà, Stabiæque, & ſaxa Minervæ,
At Surrentini reſonant à vertice colles.
Sed tibi, ſors varium maneat quæcumque per Orbem
Sex mihi, ſed vacuis ſudatus menſibus, annos,
Parthenius Mavors, ſat erit ſi clarus ab oſtro
Romuleo, & patriâ præfulgens tempora mitrâ,
Cantelmus legat interdum, Crateris ad undam
Dum conceſſa capit, ſepoſtis otia curis,
Et plauſu, ut ſemper ſolitus, dignetur amico.

Jò triumphe, da mihi prœmium. Tùm ego: Belliſſimè! dabo tibi pultem ex furfure, & braſſicarum jure pinguiſſimo. Ille verò: De iſtâ tibi facio gratiam; non ego pullus gallinaceus. Age, tùm ipſe, bono ſis animo, Tiburtinis te bellariis donabo. Et ille: ah, ah, ah, vah, iſta ſervato tibi, quadrant certè quidem dentibus tuis. Et ego: Fabiole, es graphicè facetus, ſed relinquamus nuces. Accipe, ſi quis poſthàc hoſpes advenerit, dicito apertiſſimis verbis, dominus eſt Muſis occupatiſſimus, ut vacui temporis nihil habeat. Ne, quæſo, faciant, ut inter ſacra, & porrecta mihi aliquid, vel oneris addatur, vel ponderis, ſinant prætereà me vivere meis Muſis, præ quibus habeo neminem. Intellexiſti? Et ille: Etiam; curatum, factumque dabo, imò, ſi id tibi potius videtur (cauto quippè opus eſt) præ foribus domus, inque hoc poſtico

co antri oſtio ſcribamus hanc uncialibus literis epigraphen: Muſæum hoc adeat nemo præter Apollinem, poëta eſt intus cum Muſis negotiis operoſiſſimis implicatus, placet? Cui ego: Rectè excogitaſti, haud equidem tantum tibi ineſſe ſalis arbitrabar. Et ille: Quid mirum? tinctus eſt famulus elegantia domini. Lepidè ſapis, tùm ego. Sed age, nolo abuti tempore, i præ cum piſcibus hiſce, & grallatorios iſtos tuos gradus grandito: nam antiquum hoc obtines, ut tardus ſis, piſces cautè obſervato, ne è via irrumpens canis noſtro prandio funus faciat. Curram illicò, inquit ille, atque ſpiritu continenti unum curriculum faciam, quid plura? hic ſum, atque illic ſum, mox ego modico gradu ire pergo.

Hoſpitis adventus.

Ubi verò in domus periſtylium venio, hoſpitem obviam habeo, erat hic C. Manlius, mihi non ingratus, & futurus aliâs acceptiſſimus, qui ut me vidit, ſalve, inquit, vir humaniſſime, mihique, & Muſis oculiſſime, quæſoque, ut mihi des veniam, ſi te ſtudio occupatiſſimum venerim occupaturus: valetudo enim, cum qua conflictor, in cauſſa fuit, ut id tibi negotii faceſſerem, cæterum id æqui, bonique conſulas, velim: nam tibi diſtentiſſimo remittere interdum animum opus eſt, ut enim accepi à Lucilio tuo, hic, tu quotidie ad menſulam claudus veluti furor ſedens, vitam ducis perquàm laborioſam: Ego poſtquàm, ſalutem illi comiter propinaſſem, jubeo bono animo eſſe, mihique futurum gratiſſimum ipſius adventum: imò ejus gratiâ me res cæteras poſteriores facere, quæque cum Muſis ſeria mihi eſſent, tollere in alios dies, id etſi non omnınò ex animo, faciebam tamen comiter; ſcio enim, quæ ſunt hominis ingenui officia, & diſſimulare interdum prudentia eſt: ſunt enim nonnulli, qui animi ægritudinem premere, ac tempori inſervire nequeunt ullo modo: quippè affectuum ſuorum impotentiſſimi, ut ex ipſorum vultu, quid in ſinu geſtent, internoſcere facilè ſit.

His igitur officiis mutuò exhibitis, in ſuperiorem deambulationem aſcendimus, Hic poſteaquàm ad hypæthræ veſtibulum, quo nihil amœnius, nihil altius, conſedimus, rogo, Numquid ab amicis attuliſſet? Et ille: Omnes, ut plerumque fit, te ſalvere jubent, tuique deſiderio maximè torquentur. Tùm ego: At non certè illi, qui Hebraicis literis initiandi ſunt; quibus nihil ingratius eſſe poteſt adventu meo. Tùm ille latinè, ut ſolebat, Opinor: nam, ut planè fatear, odioſa illa eſt occupatio. Hic ſtatim ego in ſtomachum erumpens: ad vivum enim ille me pupugerat, & jam animus in proclivi erat, Odioſane vobis divi-

narum literarum occupatio? Eſtne quidquam vel honeſtius viro Catholico, vel magis Theologo neceſſarium? illis enim in divinarum ædium antithalamum admiſſus, cum Superis jungere commercia potes, imò Deum ipſum alloqui, ac ſine interprete coram affari. Ergone pluris vobis eſt de frivolis quibusdam, quæ nihil admodùm ſunt, niſi meræ nebulæ in quorundam mente depictæ, tanto animi conatu, tantâ nervorum contentione, tanto verborum conflictu diſputare, inque illis ſolidos annos inſumere, ne dum menſes, quàm ſacras literas addiſcere, quibus quaſi Alexandri gladio difficillimos, ac verè Gordianos ſacrarum ſcripturarum nodos ſolvere quàm facillimè poſſis, atque explicare? præſtatne piſcari in aëre, in arenâ ſerere, quàm fœcundo in mari rete, inque uberi ſolo ſementem jacere? Sed nolo loqui vitia; ut plus in ore alöes, quam mellis habere videar. Hoc loco ille: Ne, quæſo, mihi iraſcaris, ſi verbo prolapſus ſum: nec ſerio prævertas, quod joco dictum eſt; cæterum ego omnem operam in Hebraicis literis figam, ac locabo. Cui ego: Benè facis, præſtat enim ſeriis rebus vacare, quàm iis, quæ ne exiguum quidem lucelli habent. Sed omittamus iſtæc. Hic ille cum aſſurrexiſſet, ſine, inquit, quæſo tuum cubiculum, ſacratiſſimum illud Muſarum Elyſium, inviſem: par enim eſt, ne id in me officii deſideretur, aveo ibi illas inhabitantes ſalutare. Vix pedem intulit, cùm ſalvete, inquit, Muſæ omnes Partheniæ, vos hîc ego, feliciore, quàm in Parnaſſo, Pindove loco veneror, atque adoro; mox verò affixas parieti imagines quaſdam elegantiſſimas contemplatus, ſunt hæ certò, inquit, quæ ſingulis Bellicorum libris præfigentur. Cui ego: Rectè conjectas, atque hic eſt Mar Parthenius, qui operis faciem occupabit hâc cum epigraphe,

Linguæ Hebraicæ utilitas, atque excellentia.

Epigraphe in Bellicorum facie.

Hâc iter ad laudes, immortaleſque triumphos.

Has tu contemplare, dum ego intereà de prandio videam, revertar mox. Et ille: Ita, quæſo, verùm de prandio non multùm labores: ſatis eſt puls candida, cui momentum ſacchari ſuper ſpargas, & cinnamomi, & binas ficus mitiſſimas; nam mullos, ſoleas, boletos, tuberes, nihil moror. Cui ego: Benè facis: ſic enim valetudinem facilè recuperabis, mane jam; brevi pedem hùc referam. Poſteà verò quàm in culinam ingreſſus ſum, jubeo puerum afferre piſces, ille ſtatim ex arcâ eduxit, inque abaco expoſuit. Tùm ego: Mullos aſſabimus: ſalpam frixam condiemus dulci embammate: cephalum verò incruſtabimus. Hic Fabiolus: De muræna quid? Cui ego: Faciemus ex illâ jus concretum; & ſic in perendinum aſſervamus. Et ille: Si

fri-

frigeremus, eſſet delicatiſſima. Viden'ut præpinguis? Helluo, tùm ego, cunctane unâ vice vis devorare? neceſſe eſt, ut ſimus in futurum providi. Et ille: Sed dandum hoc hoſpiti: par enim, ut paulò hilariori convictu excipiatur. Ut bellè argutaris! inquam ego, ſatis ſunt, quæ apponuntur, quin imò ille valetudinarius, & valetudinarios non decet amplè nutrire, intelligis, ineptè? Ille tùm: Intelligo, inquit, verùm quo ſiat modo concretum jus, non teneo. Accipe, inquam ego: doceam te, aſine. Primò murænam ſic exoſſato: illam ad collum funiculo alligatam ſuſpendito: mox geminis fuſtibus, ſive duobus calami fruſtis premito versùs caudam, idque itera ſemel, iterum, ac ſæpiùs, ſi ſpinæ cogentur ad caudam, mox in hunc modum exoſſatam in fruſta concidito. Hic me ille interpellat, Proiiciam caudam? Minimè, tùm ego: tu illam, cui fortiſſimi dentes, obſonabis, adverte animum; Adverto animum, & aures: ſed nolo fieri caudatus, tùm ille: At ego: Tace, furcifer: albo mox aceto elixato, utque benè elixa, in ollam recentem una cum juſculo mittito, frigidoque in loco collocato, ut ibi jus concreſcat tenes? Et ille: Teneo enim verò, ſed reſtat adhuc videndum de ſoleis: quæ reponi minimè poſſunt. At tùm ego: Ita condiam, ut etiam per totum triduum ſervare poſſim. Quo, quæſo, condies ſcitamento? inquit ille. Ego verò: Jure Tarentino. Et ille: Cedo, inquit, quo modo fiat iſtiuſmodi juſculum? Tùm ego: Adeòne tu immemor ineptè? nonne ego feci aliàs? in te erudiendo ego operam perdo, & oleum. Ille, tùm, animum, inquit, non applicui: advertam nunc attentiſſimum, quem ad frugem applicare mihi certum eſt: efficiamque brevi, ut ſentias te non lavare Æthiopem. Accipe, inquam, & ille: Cedo, aures arrigo. At ipſe: Tace jam, atque audi. In ollulâ illâ ex cretâ Sinveſſanâ recenti melle, acetum miſce: adde pineæ nucleos quamplurimos, aſtaphidem item, & tritum allium: mox leviter coque, frixas deindè ſoleas in amplâ patellâ ponito, ſparges ſuper rorem maris plurimum, coctumque jus verſato, aptoque in loco lancem reponito, habes jam? Et ille: Propemodùm, verùm de pulte non vidiſti. Cui ego: Vidi, aſine, tace, neque mihi præpedimentum obiicias. Mundaſtin'braſſicas illas Apianas, ut præceperam? Et ille: Criſpas vis dicere? Illas ipſiſſimas, inquam. Tùm ille: Admodùm, nam non ego conchas, neque umbilicos legi. Tùm ego: Benè eſt, ſcitule, coquito nunc: ſed vide ne excoquas, caveto tamen, ne ſint nimis duriuſculæ; ut faciunt plerumque coqui, qui neſciunt

Modus condiendi Piſces.

ſciunt ſervare modum. Deindè extrahe cacabum: ſtatimque frigidam infundito. Hic ille: Cur ità? Et ego: Quia ſic viridem illum, & nativum colorem retinent unà cum ſapore. Si coqui hanc adhiberent diligentiam, non comederemus herbaceas pultes adeo inſipidas, & ſqualidas, quas ſi fames, optimus intinctus, non condiret, nunquam guſtaremus. Mox in teſtudinem oleum defæcatum trimum, ſalemque, & tunſum allium, vel minutatim comminutum frigito, tandem braſſicas, colato prius jure cribrario cocleari in teſtudinem jace, utque aliquantiſper frixæ, ſeponito, atque hæc erit nobis puls oleracea: hoſpiti faciemus candidam ex vermiculis cerealibus; curato jam cuncta diligenter, ego mox revertar. Et ille jam operi manus admovebo. Egreſſus igitur è culinâ in ſubdialem ambulationem venio, videoque ibi hoſpitem deambulantem; cui illicò. Quid hic C. Manli? Et ille: Obſono famem deambulando. Benè facis, tùm ego, ſic comedes majori appetentiâ. Sed age (hic me pungit ſtimulus, atque inter malleum tenet, & incudem) quomodo valet Cn: Bellus? Tùm Manlius: Non planè benè, atque hoc ipſo mane medicinam hauſit: faxint Superi, ut illi ſit profutura. Et ego: Cujuſmodi fuit potio? Et ille: E liquata in rore manna, quam meus mirum quantum faſtidiat ſtomachus. At ipſe: Verùm quidam ſunt, quos ego, cum Conſentiæ eſſem, cognovi, qui illam, cum ex arbore legitur, quaſi cibum comedunt. Hic Manlius: Ex arbore igitur manna legitur, verùm ex qua? quo pacto? quo tempore? De hoc aliàs, inquam ego, nunc de amicis. Et ille: De amicis poſteà: qui quidem pauciſſimi admodùm; age igitur, ſcire hoc enim aveo, ne ſi in præſentiâ omittamus, occidat memoria. Tùm ego: Si ità tibi placet, morem geram: & ut apud Calabros, ubi plurima, atque probatiſſima provenit, obſervavi, non multis exponam. Et ille: Gratiam mihi facies, daboque aurium operam intentiſſimam. Tùm ego: Manna ex ornis educitur, quæ quidem arbores, ut mannam exudent, calidis in locis, ac maritimis ſint, oportet, in his enim aptæ ad hujuſmodi humorem procreandum educantur, hæc verò loca ſolis ornis obumbrata ſint, neceſſe eſt, ſi enim aliæ arbores plantatæ, manna ex illis non elicitur, mirum equidem, & cujus cauſsâ, fateor, mihi in promptu non eſt. At Manlius: Fortaſsè quia reliquorum umbra huic liquori nocet: & noxiam quarundam arborum umbram eſſe pro comperto eſt. Atque hinc poëta,

Juniperi gravis umbra nocet.

Imò quaſdam arbores in Americâ eſſe perhibent, qua-

Manna apud Calabros probatiſſima ex arbore legitur.

Ex quibus nam Arboribus; quibus in locis, & quo pacto Manna colligatur, exponitur.

quarum umbra non ſolum noxia, ſed etiam lethalis? Vel quia tellus aliarum plantarum qualitatibus depravata, minus apta ad mannam producendam efficitur, vel illarum ſic eſt natura, ut externarum conſortium non admittat plantarum. Cui ego: Ingenioſè tu quidem, ut ſemper Manli, verùm iſtæc ex illis ſunt, quorum cauſſæ phyſicos latent. Præterea neceſſe eſt, ut orni omnibus ramis, frondiumque luxurie denudentur: nec niſi nudus truncus cum tribus circiter palmis ſupremæ coronæ relinquatur: viduatis hoc modo arboribus, Julio menſe, die ſereno, atque æſtuoſo (frigus enim, & pluviæ mannæ procreandæ obſunt) arbores inciduntur. Quæ inciſio quotidiè fit quoad uſquè manna non amplius exudet; cavendum tamen, ne primæ inciſioni ſecunda noceat. Modus incidendi eſt hujuſmodi; cultro falcato orbiculatim inciduntur in corticibus trunci. Verùm ſi loca montana, & paulò frigidiora, inciſio fit Auguſto menſe circiter Nonas. Cum ex inciſis arboribus liquor rectus profluit, in planos lapides, vel tegulam excipitur, collectus cùm fuerit ligneis in vaſis, vel cacabis reponitur conſervandus. Verùm ſi pluvius dies incidat, illicò colligitur, atque expanditur ſub tectis, ut purior illius pars ab impuriori ſeparetur, atque in fiſtulas concreſcat. Orni è quibus manna elicitur, ad XII. annos vivunt, quo tempore quatuor in lateribus truncorum à I. ad XII. annum ſenſim inciduntur. Atque hic primus modus eſt legendæ è corticibus ornorum mannæ. Eſt alter, alterius generis, quæ cœleſtis appellatur, ex eodem arbore, eodemque tempore elicitur, at diverſo modo, neque hominum arte, ſed uno ipſius naturæ cicadum uſæ magiſterio. Siquidem cicadæ ornorum frondes mordent, juxtà morſus vaſcula è frondibus facta collocantur, in hæc è morſibus humor exudat, diffluit, & concreſcit. Atque hæc eſt manna, quæ apud Brutios provenit: apud quos etiam pix creatur magnâ copiâ, ut per totam Italiam diſtrahatur. Hic Manlius: Sed age, quando in hâc re ſumus, dic, ut ſoles numero, quibuſnam ex arboribus, quoque modo pix conficiatur, ut deinde ad noſtra redeamus? Cui tùm ego: Accipe, dicam compendio, ut poſtulas: In Silâ, quæ ingens ſylva eſt apud Brutios. Hic Manlius: Teneo planè benè, tu enim illam deſcripſiſti I. Naut. perquàm graphicè, & verſiculos etiam recitarem, ni id grave tibi futurum ſcirem. Tùm ego: Omitte illos: non eſt tempus jocandi, pergam ad ea, quæ ſcire deſideras. In Silâ, inquam, ſylvâ, quæ magnam extremi Apennini partem occupat, ingens pinorum copia naſcitur:

Mannæ cœleſtis eliciendæ ratio.

In Silâ, ſylvâ ingenti apud Brutios Pix tùm alba, ſeu Græca, tùm nigra ex Pinis educitur, explicatur modus.

ſcitur : ex his autem pix generatur . Pinos igitur primis annis corticibus exuunt : quibus ſpoliatæ arbores albam picem, quam græcam nuncupant, emittunt, deindè ex illis nigra educitur hoc modo. E pinis modo jam dicto decorticatis , interiores fibræ , cor Calabri dicunt , educuntur, quæ eæ partes arboris iſtiuſmodi ſunt, quas tædas nuncupamus, quæ mox in fruſtra conciſæ in fornacem mittuntur , quæ fornax in ovum conformatur , duobus oſtiis, uno infrà , ſuperiùs verò altero, collocatis jam tædis, inferius occluditur, è ſuperiori ignis excitatur , intereà dum tædæ ardent pix liquatur : perque canalem minorem alteram in fornacem excipitur , quoad tota defluxerit intra horas XXIV: liquata hoc modo pix in minori fornace iterum accenditur, ardetque ad horas X quibus exactis, ignis extinguitur, frigidâ circùm effusâ, vel palis ignem ſupprimentibus . Atque hæc cùm dixiſſem, ſine , inquam , ut in culinam eam, utque edulia, eſui matura fiant, accurem , jam enim mihi viſcera murmurant inanitate. Et ille : Ità, quæſo, ſtatimque diſcedo.

FINIS.

HYEMUM PUTEOLANARUM
NICOLAI PARTHENII GIANNETTASII S.J.
Opus Poſthumum:
LIBER PRIMUS.
CAPUT PRIMUM.

Univerſa ora, atque amœniſſimus Puteolorum ſinus, circumque adjacentia loca ſummatim deſcribuntur: Operiſque inſtitutum exponitur.

Neapolitani ſinus, quem cratera Græci, à figurâ, quam præſefert, vocavere, tàm amœna amœnitas, tàm jucundus proſpectus, tàm felix ſitus, ut nihil ultrà ſit, quod accedat. Quapropter ridentis naturæ opus jure, meritoque veteres appellavere. At duæ illius partes ſunt, quæ ſingulari quâdam prærogativâ reliquas antecellunt: hæ vero Surrentinus, & Puteolanus ſinus ſunt. Ille ad Æſtatem, atque Autumnum ſummâ animi voluptate tranſigendum, hic

ad Hyemem mitius tolerandam, & ad amœnas, ſalubreſque apricationes unicè à Naturâ factus. Tepidiſſima enim ibi cœli temperies, & calidum ſuaptè naturâ ſolum eſt, quippè quòd calidis paſſim aquis ſcateat; atque ignibus ſubterraneis fœtum ſit. Altiſſimis item collibus præcingitur, quibus à frigidiſſimo Boreæ, Cæciæque flatu defenditur. Sunt & amœniſſima circùm loca, plurimaque veterum Romanorum monumenta, ad quæ tùm voluptatis, tùm eruditionis lucro divertere inter deambulandum poſſis. Nam quod de Græciâ non immeritò jactatum eſt, nullum ſcilicet in eâ ſaxum eſſe ſine nomine, uſque adeò nota omnia erant, ac celeberrima; illud etiam de Puteolanâ orâ dici poteſt: etenim vix locus ullus in eâ eſt, in quo non aliquid viſu, ſcituq; dignum reperiatur. Neque mirum videri id debet; cùm circà Puteolos omnes ferè Romanorum, hoc eſt, victoris terrarum populi, deliciæ fuerint. Ut verò meliùs, quæ Puteolanas Hyemes deſcribens, dicturus ſum, teneantur, omnem Puteolanam oram, quod in Æſtatibus Surrentinis feci, præ oculis ponam, & graphicè, quoad potero depingam. Eum verò ſequar rerum ordinem, qui Neapoli Puteolos euntibus occurrit.

Ad orientem, qui Puteolanum claudit ſinum (1) Pauſilypus eſt, quotquot ſunt toto terrarum orbe, feliciſſimus collis, cujus vel nomen ipſum curarum ceſſationem, atque ob id voluptatem ſonat. Adeò hoſpitalis, amœnus, atque omnis generis fructuum ferax, ut vix alterum invenias. Hic autem jucundiſſimus, ac fœcundiſſimus collis per ſeptentrionem in orientem excurrens, inque Meridiem, eo loco, ubi Echia olim dictus, inflexus, univerſam (2)Olympiam oram complectitur. In hujus verò oræ extremo angulo, longa perfoſſus crypta patet, qua brevi compendio Neapoli Puteolos itur. Ad ultimum verò jugum, qua mari finitur, Neſis inſula objecta eſt: viridens ipſa, & maris, ſolique ubertate felix. Media (3) Euplæa eſt, quam venientes Alexandriâ naves conſalutabant, exactumque proſperè navigationis curſum, ſibi gratulabantur; atque hinc Euplæa nuncupata eſt: quare nos Bellic. VIII.

Pauſilypum juxtà Neſis frondoſa virebat,
Cognita Pellæis & quondam Euplæa carinis.

Sed jam Puteolanâ è cryptâ egreſſi in lætam, uberemque planitiem ab ipſo pede Pauſilypi ad proximè aſſurgentes colles (4)leucogæos pertinentem, intramus. Quæ quidem planities latè populis maritatæ vites obumbrant; ſubterque Cerere conveſtita, ad extremam uſque maris oram excurrit. Qui primi leucogæorum aſſurgunt, pectiti excultique ſunt; tantâque rerum ubertate fœcundi, ut certare

cum

(1) Pauſilypus orientem verſus Puteolanum ſinum claudit.

(2) Ora olympia vulgò Borgo di Ghiaja.

(3) Inſula parva vulgò Gajoſa à Mergelene parù diſtans.

(4) In quibus, ut ſcribit Plin. lib. 38. ca. 11. ſulphur præſtantiſſimum effodiebatur, & Cretæ genus optimum, quo dulicæ admiſtum, candorem ſimul efferebat, & teneritate,

cum hominum induſtriâ ferax natura videatur. Qui verò ad mare ſe porrigunt, & quos propter via eſt, quà Puteolos itur, aſperi, ac ſteriles; atque idcircò totus ille tractus (1) Olibanus collis appellatus, quem ſupra ad ſeptentrionem Phlægra eſt, canâ ſilice candicans; unde & reliquis nomen factum; ni fortè leucogæi omnes dicti, quod eorum terra non nigra, neque rubra ſit, ſed ſubalbida. Ad dexteram ſepoſitâ in valle, quæ intermemoratos colles ſubſidit Anianus lacus eſt, cujus ferè omnis litoralis ora exculta eſt & ferax. E' lacu ad dexteram aſcendentibus ſupra leucogæos vertices læti, amœnique campi, quos alii colles altiores intercurrunt ſeſe viſendos præbent; quibus ab æquâ planitie, nomen minoribus factum eſt. Hiſce in campis, quâ ſubjectum lacum deſpectant, (2) Collegii noſtri ampliſſimum rus eſt; quo hyeme, cùm aprici fulgent ſoles, vel Alcedonia recurrunt, nihil amœnius, nihil opportunius reperiri poteſt: ſunt enim per univerſam planitiem aperti, planique colles, quibus deambulare, & exercere corpus, ne frigore torpeat perquàm commodè poſſis; & modò ad lacum, modò Puteolos atque Bajas, animi gratiâ divertere. Sed ad proprium redeo. Editiores alii colles univerſam hanc planitiem intercurrunt, qui & ipſi conveſtiti ſylvis, umbroſique ſunt. Per hoſce colles via Appia Domitiani Neapolim, Nolam, Rhegiumque Julium ducebat, cujus adhùc extant, & non parva quidem veſtigia. Sed ad mare redeuntes, ampliſſima Pauſilypæa è cryptâ via, atque rectiſſima nos excipit, quæ hinc, indè arboribus conſita, ſupra M paſſus excurrit, quoad mare perveniat. Ubi verò litus attigeris, dextrâ in occidentem flectes, perque litoralem oram, ſecundum Olibani tractum Puteolos perges. Situm nunc oppidum in edito colle non ſatis amplo, inque ſubjectam oram ſuburbium excurrit: nam olim antiquiſſima hæc Urbs, celeberrimaque, atque orientis commercio ditiſſimum emporium, ampliſſimo murorum ambitu plurimos circùm colles complectebatur. Ex adverſo reſpondent Bajæ, cùm deliciis, tùm famâ celebres, balneiſque per quàm nobiles. Quas ambas inter Urbes amæniſſimus ſinus incurvatur; qui mox amplior factus, Neſide inſulâ, & Miſeni promontorio concluditur. Miſenus, nobile quondam oppidum, & ſtatione Romanæ Claſſis, inſignitus. Bajas inter & Miſenum, (3) Bauli olim fuere: ſupra vera elyſii campi, præ cæteris fortunatiſſimi, in quibus ſpatiari beatorum Animos veteres commenti ſunt.

Juxtà Puteolos ad Apeliotem Gaurusmons ſurgit, & famâ, & vino notiſſimus, qui in Falernum uſque agrum, ſep-

(1) Mons contra Neſim vulgò libano.

(2) Collegii maximi Neapolitani amæniſſimum, rus vulgò Pianura.

(3) Ductum nomen, ut ait Servius; quod olim Hercules juxtà, fecit caulam bobus eamque ſepſit.

ſeptentrionem verſus extenditur. Ad occidentem (1) lucrinus olim lacus oſtreis laudatiſſimus: nunc novus mons ex cinere coagmentatus, qui ingenti terrarum jactatione emerſit anno MDXXXVIII. cujus ortu, magna lucrini pars abſorpta eſt, magno gulæ damno: nam cum illo oſtrea penitùs interiere. Ulteriùs Avernus eſt, Poetarum fabulis, & Cumææ Sybillæ oraculis celebratiſſimus. Ab hoc non longè (2) Acheruſia palus & Julius portus, & quas modò memoravimus, Bajæ. Ad occidentem Miſeni Cumanus eſt ager; in cujus medio editus eſt Collis ad Tyrreni. Oram, in quo olim Cumæ, antiquiſſima Calcidienſium Colonia, & priſcis temporibus, quando non res Romanæ florebant, quâ potentiâ, quâ divitiis, inter primas Italiæ Urbes numerata. Contrà duæ ſunt Inſulæ Pithecuſæ veteribus dictæ: quarum terræ propior Prochyte minor, & humilis; at feracitate ſoli, Cœlique temperie nobiliſſima: remotior (3) Ænaria eſt, major, altior Epopei vertice, quæ, quà balneis aquarum, quà Bacchi cultu, quà ſinuum opportunitate inſignis. Tandem ad occidentem Cumani agri, (4) Linterna palus, & oppidum viſitur, & piſcatu queſtuoſiſſimo, & Africani exilio nobile.

Cum igitur is Puteolorum, & circùm adjacentium locorum ſitus ſit, ut nihil hyberno tempore amænius, nihil hoſpitalius, & ad relaxandum animum opportunius haberi poſſit, ſolebam Ego, geminis hyberni temporis vacationibus, quæ Domini natalitio, & ultimis Bacchanalium diebus concedi mos obtinuit, cum erudito aliquo, lætæque indolis adoleſcente ad noſtrum rus devertere; ibique non tàm corpus, quàm animum, eruditâ vacatione reficere. At poſt quàm in Cardinalis Antiſtitis familiaritatem (quod quidem ut ſummæ illius humanitati tribuo, ita ſummo loco numero) admiſſus ſum; ſolebamus cum benevolentiſſimo Principe identidem hieme, cum mitior dies illuxiſſet, Puteolos contendere, ut brevi ſeceſſione, & à curis animum, & à labore, Corpus relevaremus. Dum autem per amænam oram apricabamur, vel ad viſenda antiquarum rerum veſtigia proficiſcebamur, multa, & non inerudita quidem illa ad fallendum otium, inter nos habebamus. Quæ mox ego domum reverſus, in commentaria referebam. Quæ, cum in juſtum volumen excreverint, in lucem dare viſum eſt; ut & eſſent argumentum ſolertiæ, & incitamentum noſtris adoleſcentibus ad ſtudia literarum, ut mox, ſi tantum Superi vitæ dabunt, quæ Veris tempore ad Herculanum, & leucopetram cum Mæcenate noſtro acta ſunt, in lucem proferam, ut totius anni eruditi

qua-

(1) A lucro dictus ob piſcium multitudinem qui ibi capiabantur. vulgò lago di Licola.

[2] Inter Miſenum, & Cumas ſita, vulgò Colluccia, IV.M.P. à Puteolis diſtans.

[3] A ſtatione Naviũ Eneæ nuncupata; vulgò Iſchia.

(4) Olim Urbs, & Colonia Campaniæ, inter Vulturnum, & Cumas, Puteolosque exciſa, vulgò Patria.

quatuor tempora, quatuor diſtincta voluminibus habeantur. Atque hoc quidem primum conſilium erat: verùm alia deindè iniecta mens eſt: nam unico volumine comprehenſas partes quatuor ſimul edere ſtatui. Sic, opinor, ad ipſam rerum Naturam imitatione quâdam propiùs acceſſiſſe videbor. Ea enim Annum profert ſuis quidem diſtinctum partibus; at jis minimè divulſis inter ſe, atque diſtractis. Quamquàm, ſi fatear quod res eſt, non tàm hæc mutandi conſilii cauſa fuit; quàm novi Mæcenatis Antonii Rambaldi præſtantiſſimi viri Judicium, atque authoritas: is mihi per literas ſignificavit, placere ſibi, ut Annus hic meus eruditus unâ totus, ac ſuo inſcriptus nomine foras exiret. Quid ego ad hæc autem? non parerem viri Principis, ejuſdemque graviſſimi authoritati? homini de me optimè ſemper merito, hoc non gratificarer? poſtremò eam ipſe mihi gloriam, inviderem, quam certè maximam operi obventuram eſſe intelligebam à Rambaldi Nomine? Quamobrem nihil ultrà cunctatus acquievi libentiſſimè: neque verò (quid enim diſſimulem?) ita ſum glorioſæ fugiens, ut recuſarem honoris tantum ultrò mihi datum, atque humaniſſimè oblatum, quantum ego ne optare quidem, aut libare votis auſus eſſem.

CAPUT I.

Dum Puteolos, Alcedoniis recurrentibus, itur, de Neapolitanæ Urbis origine, atque antiquitate, fusè diſputatum.

POſt Idus Novembris, ut plerumque cadit, (1) Alcedonia illuxerunt: & eâ ſerenitate Cœli, mariſque placiditate, ut nunquam aliàs; quocircà me Cardinalis acciri jubet, monerique, ut eruditos mecum Libellos de more ferrem: ſe Puteolos ire conſtituiſſe. Quod ſimul atque accepi, libros, quos legere ſolebamus aſſumo; inque, illius ædes me confero. Ut veni, eamus, inquit ille, in Puteolanum; & inſperatâ, hâc poſt pluvias, ventoſque, diei ſerenitate fruamur. Cui ego: Rectè facis. Statimque è veſtigio diſcedimus. Dum autem curru devecti pergimus. Quando, inquit, præteritâ Æſtate in negotioſo illo tuo otio Surrentino Hiſtoriæ ſcribendæ manus admoviſti, ut video ſatis lentè. Cui, tùm ſtatim ego: Fateor equidem; ſed moles ipſa rei, nec ſatis explorata priſcorum temporum acta, & diſcordes plerumque auctorum ſententiæ me ſegnem reddiderunt; inque ipſo hæſitantem limine tenent, ut

(1) Alcedonia dies ſunt hybetni ferè XIV. quibus Alcedo ova parit in mari, & excludit: quo tempore ſumma ventorum eſt tranquillitas.

ut ardui me cœpti jam ferè pœniteat. At ille: Ardua res, non inficior: Sed quæ magnum noſtræ Urbi, quod unum deeſt, allatura decus, magnâ nos invidiâ liberatura eſt. Quapropter te hortari, imò & urgere non deſinam, ut in illo operam omnem, ſtudiumque ponas, ac colloces. Cui tùm ego: Ut ſcias quanti apud me tua valet auctoritas, torporem omnem excutiam; meque duobus illis honeſtiſſimis, quos addidiſti, ſtimulis incitabo, & neſcio quod irrepens in hâc re faſtidium detergere curabo. Et ille: Gratam mihi rem facies, & popularibus noſtris; tibi verò tot poſt laudes ſummam allaturam. Sed age, inquam, quid de ortu, & antiquitate noſtræ urbis cenſes? Nam de hâc re fabuloſa multa, multa verò non ſatis comperta ab authoribus referri puto. Cui ego: Rectè autumas: ea quippè hominum natura eſt, ut vel patriæ, vel generis amore facilè comminiſcantur. Qui quidem amor adeò vehemens eſt, ut non rarò admodùm, vel ſummos tùm doctrinâ, tùm authoritate viros in tranſverſum egerit. Ego, etſi, ut bonum decet civem, patriam amem, non patiar in ea incidere, in quæ turpiter alios impegiſſe animadvertero. Et quamquam vetuſtiſſima res ſit; quia tamen non ad Chaos ſpectat, ut dicitur, & ſaturnia tempora; dabitur non pauca ex priſcis ſcriptoribus colligere, è quibus erui, inque lucem proferri veritas poſſit. Benè eſt, tùm ille. Ordire igitur, ut ajunt, telam: Ego quàm per libenter auſcultabo, Ego vero: Faciam illicò. Et primò quidem Licophron antiquiſſimus Poëta de Sirenibus loquens, hæc habet in Alexandrâ

Τὴν μὲν Φαλήρου τύρσις ἐκβεβρασμένην
Γλάνις τε ῥείθροις δέξεται τέγγων χθόνας

nim

Hanc quidem Phaleri turris expulſam
Glaniſque fluentis excipiet humectans terras

Eſt autem Phaleri turris noſtra Neapolis, non verò ſicula: neque Phalerus hic Phaleris Siciliæ tyrannus fuit, ut quidam non rectè opinatus eſt. Fuit igitur Neapolis à Phalero condita, & Phalerus de illius primùm nomine nuncupata. Sed quis, interrogas, hic Phalerus fuit? Dicam illicò. Unus ex Argonautis, qui cum Jaſone in Colchidem navigarunt, aureumque adepti vellus, per Iſtrum in Adriaticum, inque Tyrrhenum mare pervenerunt. Verùm de hoc, tùm Cardinalis, nullam Apollodorus mentionem fecit. Fateor, tùm ego: at meminit Iginus, cæterique tùm Græci, tùm Latini vates. Orpheus, ut ab hoc incipiam, etiam parentis nomen commemorat: ſic enim cecinit.

Αλ-

Αλκῶνος δὲ Φάληρος ἀπ' Αισήποιο ῥυάων ἤλυθεν

Alconis Æſipi venit de fonte Phalerus,

Apollonius verò *Ευμελίης τε Φάληρος*

Αλκὼν μεν πρόεηκε πατὴρ ἑὸς

Eumeliuſque Phalerus

Alcone Parente ſatus,

Flaccus autem ſic habet in argon.

Inſequeris, caſuſque tuos expreſſa, Phalere,

Arma geris.

Hoc loco Cardinalis. Abundè probatum, inquit, unum ex Argonautis Phalerum fuiſſe; & illum eundem in hæc loca devectum; at Neapolim fabricaſſe non liquet omninò; Cui tùm ego, efficiam, ut planè conſtet. Et primò decantatiſſimum eſt apud veteres ſcriptores, Argonautas non ſolum in hæc loca navigaſſe, ſed plurima etiam navigationis ſuæ monumenta poſuiſſe. Idque præter Poëtas, & eum, qui ab ipſis accepit, Apollodorum, affirmat Strabo, author tùm graviſſimus, tùm diligentiſſimus, qui libr.1.cap.37. ſic ait. Quædam enim apud Ceraunios montes circà Adriam, in Poſſidoniate ſinu, & Inſulis, quæ Tyrrheniæ ſunt oppoſitæ monſtrantur indicia peregrinationis Argonauticæ. Eſt autem Poſſidontanus ſinus idem ac Pæſtanus: nam Pæſtum Poſſidonia Græcis dictum; cui nunc à Salerno nomen à minoribus factum. Quo in ſinu celeberrimum fuit Templum Junonis Argivæ, ut ait Solinus cap.8. de Italia, quod & Junonis Phanum vocatum fuiſſe corruptum loci vocabulum ſatis oſtendit. Geofunum enim vulgo Picentinorum appellatur. Præterea de Phalero ita Orpheus cecinit.

Validis poſuit qui mœnibus urbem.

Quocircà cum urbium ædificator extiterit, & ab Phalero dictam Neapolim, certiſſimum ſequitur ab eodem conditam. Inſuper Papinius IV. Sylvarum ad Julium Menecratem ſic ſcribit:

Patrii, quos auguriis ſuper æquora magnis
Litus ad Aulonium devexit Abantia claſſis,
Tu ductor populi longè emigrantis, Apollo,
Cujus adhuc volucrem læva cervice ſedentem
Reſpiciens blandè felix Eumelis adorat.

Eſt autem Eumelis non niſi Neapolis, de quâ Vates loquitur, nec ab alio ità nuncupata, niſi à Phalero, qui Eumelius, ut ſupra ex Apollonio memoravimus, dictus eſt: Hic ille: Sed quid, ſi dicamus Neapolim Eumelidem appellatam à Parthenope, quam Eumeli Pheræ regis filiam fuiſſe tradunt? Cui ego: Verum iſtuc, & quod de Parthe-

nopes

ſtopes genealogiâ, quam ab Japeto deducunt, meræ fabulæ, & ſiculis, ut dicitur gerris vaniores, & poëtis quidem dignæ non vero Hiſtoricis. Scio quippè Eumelum Pheræ in Theſſaliâ regnaſſe; inque Trojam cum cæteris Græcis profectum, ut tradit Homerus 11. Iliados

Οἵ δε φερὰς ἐνέμοντο περὰς Βοιβηΐδα λίμνην
Βοίβαν, καὶ Γλαφυρὰς, καὶ ἐϋκτιμένην Ιαωλκὸν
Τῶν ἦρχ' Αδμήτοιο φίλος παῖς ἕνδεκα νηῶν
Εὔμηλος, τὸν ὑπ' Αδμήτῳ τέκε δία γυναικῶν
Α῎λκηστις, Πελίαο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστη

Qui autem Pheras habitabant apud Babeidem paludem
Buben, & Glaphyras, & benè ædificatam Jaolcum
His imperabat Admeti charus filius undecim navibus
Eumelus: quem ſub Admeto peperit nobiliſſima mulierum
Alceſtis, inter Pelei filias forma præſtantiſſima.

Scio item plures alios Eumelos fuiſſe, ex quibus etiam Parthenopem progenitam quidam ex noſtris Hiſtoricis tradunt: verùm nullus author antiquus eſt, qui vel ex Eumelo, qui Pheris imperavit, vel ex aliquo aliquorum prognatam fuiſſe Parthenopem meminerit. Quapropter, etſi verum ſit, quod de Eumeli genere accuratè quidem noſtri ſcribant; falſum tamen, quod de Parthenope addunt. Si ità, ut dicis, tùm Cardinalis, ruent cuncta illa, quæ de Parthenope Antiqui omnes ſcripſerunt: à qua & conditam urbem, & cognominatam tàm tritum eſt, quàm quod tritiſſimum. Imò adeò à Neapolitanis culta, tantoque in honore habita, ut illi tanquam Patrio Deo ſacra facere conſueverint. Quod & Neapolitanorum nummi, quos plurimos apud me habeo, manifeſtè teſtantur. In his enim Parthenope iſculpta eſt. Imò tu in tuis Bellicis lib. 11. ſi benè commemini, hæc habes

Aurea leucopetram dederat Colomelis; & olli
Parthenope formoſa parens; quæ vecta per altum
Jonium Grais, è finibus: inque beati
Litora Crateris cum deſcendiſſet, amicis
Excepta Hoſpitiis, à rurifluo Sebetho,
Sirenum genus Euboicis prima intulit oris:
Et molles genti ritus, & docta refixit
Otia Graiugenum, citharamque: & carmina, ludumque
Inſtituit circi: & doctas prima extulit artes.

Cui tùm ego: Haud equidem nego Parthenopem ad hæc litora appuliſſe, & poſitam jam à Phelero Urbem inhabitaſſe: imò etiam auxiſſe, ut nova veluti fundamenta jeciſſe viſa ſit: ita apertiſſimus verbis Stephanus Grammaticus tra-

didit, accuratus cæteroqui auctor : ſcripſit enim ΨΑΛΗΡΟΝ ἔστι καὶ πόλις ἐν ὀπικοῖς, εἰς ἣν ἐξεβράθη Παρθενόπη ἡ Σειρὴν, ἣ καλεῖται Νεάπωλις.

Hanc verò Parthenopem eam eſſe affirmo, quam Neapolitani coluere è Græcia devectam, ut ipſe in meis Bellicis habeo, quæ tu modò recitaſti. Fuiſſe verò Eumeli Pherarum regis, Admetique filii nullo modo affirmari poteſt. Ille verò. At ſi Eumelidem, dictam Neapolim à Statio ab Eumelo dicamus, non verò à Phalero, jam Eumeli Pherarum regis filiam fuiſſe Parthenopen manifeſtè conſequitur : quod, ni me fallo, Hiſtorici omnes noſtri opinantur. Eſt præterea, ut ego animadverto, non levis in ipſo nomine conjectura. Nam cum Eumelis per η producat Statius, & Eumelus per ε ſcribatur : Eumelius autem, quod Phaleri cognomen in Apollonio per ε proferetur, vero ſimilius eſt ad Eumelum, poëtam caſtigatiſſimum, non verò ad Phalerum reſpexiſſe. Cui ego : Egregiè tu quidem, & acutè. Et ſanè id tibi, noſtriſque Hiſtoricis, & Calderino vel in primis, cujus hoc commentum eſt, ex quo omnes, ut plauſibile, & honorificum Urbi ambabus, quod ajunt, manibus acceperunt, quàmperlibenter concederem, ſi vel unum ex antiquis afferrent, qui memoriæ tradiderit, Eumelum Parthenopem generaſſe : quod cum nemo ſcripſerit, natam in Calderini mente fuiſſe Parthenopem planum eſt. Cum verò ipſe Juppiter non ſit, hæc Minerva non placet. Contrà verò, cum dictum ſit, primnm authorem Phalerum extitiſſe, & Eumelium appellatum ab Apollonio : quod ſanè ignorare Papinius, cui poëtæ viſi erant, non potuit, ad hunc reſpexiſſe, non verò ad Eumelum, liquidum eſt. Quod verò ad literæ conjecturam attinet, haud equidem damnare auſim diligentiſſimum poëtam : ſed quid faciliùs, quàm pro variâ dialecti ratione literam à poëtis immutari ? Id adeò frequenter uſu venit, ut nihil tritius ſit, quàm idem verbum & correptum, & productum reperire. Hoc loco Cardinalis. Aſſentior, inquit, ſed cedo, quænam fuerit iſta tua Parthenope ? An una ex Sirenibus illis, quas hæc loca, & Surrentum tuum habitaſſe in Halieuticis, ac Bellicis poëta fingis ? Sed ſi ità, jam ad fabulas, à quibus abhorrebas, relaberis, inque eas incidis Syrtes, in quas alios impegiſſe animadvertebas. Cui tùm : Non ego adeò incautus, qui eos non videam Scopulos, in quos priùs alios alliſiſſe cognovi. Neque adeò ſtultos noſtros parentes puto, ut à fabulis ſuæ Urbi nomen, & decus accerſerent : neque adeò ſuperſtitioſos, ut marino monſtro ; ſi inter maris monſtra

Sirenes ſunt, ut plerique arbitrantur, monumenta extruerent, ſtatuas ponerent, ac divinos penè honores tribuerent. Quamobrem, ſi à fabulis eſt diſcedendum, illud affirmari commodè poſſe in re tàm incertâ videtur; Parthenopem, à quâ factum Urbi eſt nomen, veram fuiſſe puellam indè uſque à Græciæ terrâ hùc devectam. Nam, præter alios ſuprà laudatos, teſtem habeo ejus rei locupletem Euſtachium, Homeri notiſſimum interpretem. Quod verò pertinet ad Eumelium Patrem, nihil auſim affirmare, niſi quid prætereà certioris argumenti afferatur. Equidem, ut de me candidè fatear, lubentiùs, ac citiùs quid non ſentiam, quàm quid ſentiam dixerim: tàm varias enim, atque inter ſe diſſentientes Authorum ſententias video, ut tandem placeat de Urbis noſtræ primordiis dicere, quod de Nili fluminis origine Lucanus cecinit:

Arcanum Natura caput non prodidit ulli,
.... & gentes maluit ortus
Mirari, quàm noſſe tuos.

Tùm Cardinalis; candidè, ut aſſoles, inquit, imò etiam prudenter; neque enim temerè pronuncianda ſententia eſt, ubi probabile nullum ſuppetit argumentum. Sed tamen Eumelus ille adhùc ſuſpenſum detinet animum: quid enim dicemus in mentem tàm multis veniſſe ſcriptoribus, ut illum Parthenopes Parentem facerent? Nam non facilè mihi perſuadeo, Calderinum rem hanc protuliſſe primum, quæ plauſu ſtatim exciperetur, ac latè manaret in Vulgus. Ad hæc ego: mihi quidem neque novum eſt, neque adeò mirum, ſi uno ex Authore plerique omnes alii hauriant; præſertim Vulgi opinione favente. Cæterùm eſt quiddam, quod fortaſsè non abs re dici poſſit: videlicet, Eumeli filiam dictam fuiſſe Parthenopem, ut ſcilicet ſoli, Cœlique amœnitas, atque ubertas ſignificaretur: Nam Eumelus, ſi nominis ethymologiam ſpectes, eſt idem, ac pulchra habens poma: quidni ergo Parthenopem Eumeli filiam idcircò dictam putemùs, quia Neapolis eam occupat Regionem, quæ meritò nomen duxerit ex pulchris pomis, ſeu malis, quibus certè Neapolitanus ager abundat? Plura in hanc ſententiam adderem, niſi vererer, ne fabulas reiiciens, inciderem in allegorias. Tùm Cardinalis, amoverò, inquit, placet conjectura; atque eâ de re longiùs fortaſsè, ac pluribus, ubi ſe dabit occaſio, differemus; aveo enim ex te reliqua, quæcumque habes, audire: nunc hactenus iſthæc dicta ſunto.

CAPUT

CAPUT III.

Antiquum Sacellum viſitur, & deſcribitur: mox in Phlegræum Campum itum eſt, de quo fusè, ac diſtinctè diſputatum: eumque leborias eſſe oſtenſum.

QUodam manè, ut ex ſereniſſimo Cœlo voluptatem aliquam hauriremus, rhedâ velociſſimâ invecti, quam ſex curſules equi ſpadicei trahebant, viâ campanâ ire pergimus. Lævâ ad occidentem Gaurus erat, dextrâ verò ad ortivum Solem Phlegræi colles fumabant. Cum verò in imminentem Puteolis clivum evaſiſſemus, in Titum Annium occurrimus; cui, prœter popularem eruditionem, multa locorum circà Puteolos eſt peritia, & antiquorum temporum non mediocris cognitio. Quocircà utebatur perſæpè illo Cardinalis, & humaniſſimè excipiebat. Tùm verò, ut vidit, Indagaſtin', inquit, novum aliquod vetuſtatis monumentum, quo curioſum explere animum poſſimus? Reliqua enim, quæ iſthæc circa loca ſunt, oſtendiſti pluries, ut jam me ſatietas illorum habeat. At ille, cùm primùm ſalutem, proſperumque diem impertiiſſet, eſt, inquit, novum quid, ac recentiſſimum, quod numquam, quod ſciam, perluſtravimus. At Cardinalis: Quid iſtuc tandem? inquit. Tùm Titus: Sacellum, ni me fallo, tàm concinnè, fabrèque pictum, ut nihil ſuprà. Verùm oſtium adeò oppletum terrâ, ex proximo rure delapsâ, ut aditus ſit quàm difficilis. Præcedam tamen ego, ut vobis viam, quam potero, minus aſperam inſternam. Veniam, tùm Cardinalis, ſed vide, ut hoc labore dignum ſit iſtiuſmodi monumentum; nam ſi secùs, non te laude, ut aliàs feci, exornabo. Hic Titus: ſpero fore, ut me tuâ laude, quam ego unam magnifacio, exornes. Statimque è rhedâ deſcendimus, inque Sacelli oſtium pergimus: quod, ut vidit Cardinalis; num, inquit, nos in (1) Trophonii ſpecum, vel proximum Sybillæ (2) antrum introducis? At Titus: minimè vero. At contendas neceſſe eſt, ut ad erudita quæque, & viſu pulchra pervenias: nam, ut tritum illud, qui è nuce nucleum vult, frangat nucem. Cui tùm ego: eruditè quidem Titus, ut ſemper, & facetè. Mox, cum præceſſiſſet, ego ſecundus ſequor, tertius Cardinalis non ſinè labore, ac defatigatione ingreſſus Sacellum eſt. Totum igitur circà Sacellum contemplari cœpimus. Erat autem cubiculum fornicatum, inque teſtudinem factus fornix, cui duo alia ad utrum-

(1) Inſignis architectus fuit, qui ſubterraneum Fanum in Iebadia conſtruxit, quod ab ipſo, Trophonii antrum nominatum eſt.

(2) Quod vulgus ad Avernum nominat; de quo Virg. 6. Æn. exciſum Euboicæ latus ingens Rupis in antrum. Rupem hanc à Coccejo exciſam ob Cimmerios, teſtatur Strabo Libr. V. Actusque, inquiens, infra Avernum Cumas uſque cuniculus.

utrumque latus adnexa; quæ tamen partim præ vetuſtate collapſa, partim oppleta ſolo erant: medium, quod Sacellum putabatur, integrum erat, & præter oſtium, vacuum omninò: cernebatur autem incruſtatum cruſtâ cæmentitiâ leviſſimâ, ac duriſſimâ; cruſta verò in varias figuras anaglypho opere elaborata, pictaque erat coloribus elegantiſſimis. Erant autem alati Cupidines, qui elegantiſſima florum texturâ ſe mutuo excipiebant. Viſebantur etiam amænâ pictæ amænitate Veneres, Tritones item, & Glauci, & ipſe præcipuum, quaſi numen, Neptunus cum ſuo tridente, quem niveâ invectum conchâ, cærulei vehebant hippotami; atque ob id Neptuno ſacrum cenſebat Cardinalis, qui, cum ſingula, ſummâ animi voluptate, luſtraſſet, ac Titum laudaſſet, in rhedam, egreſſi conſilimus, unâ cum ipſo Tito, quem apud ſe eſſe, eo die, Cardinalis juſſit. Mox, eâdem viâ campanâ iter dirigere auriga juſſus. Tandem, infrâ horam, in campum, cui Ad Quartum novi nomen facerunt. Hîc è curru deſcendimus, inque modicum cumulum, ut ex illo omnem circà regionem oculis complecteremur, illicò vadimus. Eſt autem æqua, & amœna planities, ovi præ ſe figuram ferens; quam circùm modici colles intercurrunt; theatrum naturæ diceres, ex quo illius luſus aſpicerentur. Solum ſummâ induſtriâ excultum videbatur: & cultui, induſtriæque hominum uberis ſoli feracitatem reſpondere: amœni etiam circùm colles, ac feraces, partim ſylvis, partim vineis inveſtiti, pectitique cernebantur. Quem campum, circùmque intercurrentes colles, poſtquàm attentè, curioſèque Cardinalis inſpexerit, erit ne hic, inquit, Phlegræus Campus, omnium Italiæ feraciſſimus, atque ob id leborinus, & leboriæ appellatus? Cui tùm ego: Rem ipſam putaſti. At verò Titus: Non hic (quod tamen bonâ veſtrâ pace dictum volo) Phlegræus eſt campus: ſed ille, qui in medio eſt Phlegræ, ut vocabulum ipſum indicium eſt, & eruditè Cluverius in egregio illo opere antiquæ Italiæ oſtendit. Quo de campo ità Silius lib. 12.

Amœna Phlegræi campi deſcriptio.

Tùm ſulphure, & igne
Semper anhelantes, coctoque bitumine campos
Oſtentant.

Quibus in campis proſtratos olim ab Hercule Gigantes; idem cecinit, qui infrà ſequuntur verſibus

Tradunt Herculeâ proſtratos mole Gigantes
Tellurem injectam quatere, & ſpiramine anhelo
Torreri latè campos, quotieſque minantur,
Rumpere compagem impoſitam, expalleſcere Cœlum.

Clu-

Cluverii vero verba , quæ jam in mentem veniunt, hæc ſunt. Forum hoc Vulcani (ut illud vocat Strabo lib.v.) Phlegræus etiam erat campus: in hoc quippè veteres fabulati ſunt, Herculem viciſſe Gigantes. Cui ſtatim ego: Haud equidem Vulcani forum Phlegræum eſſe campum tibi concedam. Quâ verò ratione adducar, paucis in promptu ponam. Et primò, Plinius ſecundus, lib. 18. cap, 11. ſic habet. *Quantum autem univerſas terras Campus circùm Campanus antecedit , tantum ipſum pars ejus , quæ leboriæ vocantur, quem Phlegræum Græci appellant.* Quod ſi ità non erit certò Phlegræus campus Vulcani forum, uno tantùm ſulphure fertile. Prætereà, ut ait Polibius lib. 3. *Eſt Campanus ager (& de Phlegræo præcipuè loquitur) & copiâ rerum, & fertilitate regionis, & amœnitate , ac pulchritudine. Loci excellentiſſimus: nam, & litore maris poſitus eſt, & eò ex univerſo terrarum orbe venientes in Italiam innumeræ gentes confluunt.* Ex quibus liquidò conſequitur, minimè ad Vulcani forum reſtringendum Phlegræum campum, quem etiam circa Veſuvium eſſe, Diodorus Siculus ſcripſit; nempè veteres Hiſtorici, ac Poëtæ nobilem quemque campum Phlegræum vocavere. Tandem Strabo, cum dixiſſet, cumanum agrum , Phlegram à quibuſdam appellari, iſta adjunxit: *Quæ de Phlegræis campis fabulantur; ac re ibi cum Gigantibus geſta, non aliundè videntur orta, quam quod eam regionem ob ſoli virtutem multi certatim ſibi vindicarunt.* Quod ſi ità, hic erit Phlegræus campus, non verò, ut tu Tite arbitraris , Vulcani forum. Hoc loco Cardinalis: Eruditè, ac dilucidè Parthenius, ut ſæpè ſolet. Habes ne, quod opponas Tite? & ille: Habeo: opponamque Parthenio Parthenium ipſum. Habet enim in eo Bellicorum fragmento, quod lib. 3. cap.2. Æſtatum Surrentinorum præmiſit, & quod tu meritò laudaſti, hæc inter alia, quæ de Campaniâ commemorat à Vulcano in Bellico tormento inſculptâ

Inde Dicarcheos nitido cælaverat ære
Egregiâ Deus arte ſinus, urbemque Dicarchi:
Deſuper in cono fumantem vertice Phlegram,
Vulcanique forum præcinctum rupe: Miniſter
Multus ubi nitrum, Sal, Sulphura viva coquebat.

Jàm igitur, ſi in medio Phlegræ Vulcanum forum eſt, erit hoc idem Phlegræus Campus , à quo Strabo non diſcrepat, qui ità ſcripſit lib. v. Geographicorum : *Rectâ ſuper hanc urbem, nimirum Puteolos, ſitum eſt forum Vulcani; campus circumquâque incluſus ſuperciliis ignitis , quæ paſſim, tamque è caminis, incendium magno cum fremitu expirat.*

ſpirat. Campus autem ſulphure fictili eſt plenus. Hîc Cardinalis: At tu non vides, Phlegram, quæ mons eſt, à Phlegræe campo diſtingui? At Titus: ſed ſi ità, quo pacto Phlegræus hic appellatur, quando non ex eo, ſed á Phlegrâ, Vulcanique foro ignis expirat, ut modò dicebat Strabo? Quia, tùm Cardinalis, nobilem quemque Campum, Phlegræum Græci appellarunt: ſic Polyb. lib. 3. Campum Capuanum, Nolanum, & circà Veſuvium eſt, Phlegræos vocat. Quod idem ſcripſit Euſtatius Dionyſii Periegetis non ignobilis ſcholiaſtes, cujus, ni me fallit memoria, hæc illius ſunt verba: *Æmulatur hæc tellus, nimirum Campania, ob ſui præſtantiam, ac propterea de eâ contenditur.* Hinc fertur, in eâ Phlegræum eſſe Campum, quæmadmodum eſt in Thraciâ: eadem, quæ de Gigantum pugnâ in Thraciâ, ibidem, quod opportunus oppugnationi locus ſit, contigiſſe fabulantur. Eſt & Phlegra in Siciliâ, non ob ſimilem cauſam ità dicta, ſed quod igne, & calidis aquis abundat. Ex quo conficitur manifeſtè, non ab incendio hunc Phlegræum olim campum nuncupatum. Hinc ad me intuens, Putaſne, inquit, ex hoc olim campo ignem erupiſſe; unde & Phlegræus, ob id vocari ab antiquiſſimis Græcorum potuiſſet? Cui ego: Ajo enim vero; atque ad ità opinandum eo præcipuè adducor argumento, quod quidem aptiſſimum eſt. Plurima in (1) hâc circùm regione loca, quæ id temporis nullum præ ſe ignis veſtigium ferunt, diverſis temporibus exarſerunt, ut Ænaria, Proclyſe, quæ & Pithacuſæ dictæ veteribus fuere, quæ cum à Siculis occupatæ eſſent, relictæ mox ſunt, quod incendio conflagraſſent: Imò incendio primò exortas fuiſſe, Author eſt Plinius junior, qui lib. 2. cap. 88. hæc habet: *Pithecuſas in Campano ſinu ferunt ortas: mox in his montem cùm repentè flamma ex eo emicuiſſet, campeſtri æquatum planitie: in eodem oppidum hauſtum profundo, alioque motu terræ ſtagnum emerſiſſe, & aliò, provolutis montibus, Inſulam extitiſſe Prochytam.* Pindari item Scholiaſtes in primâ Pitiorum ode, hæc de iiſdem ſcripſit: conſtat, tùm ipſam Cumam ignem emittere; ſed quæ Proſtyla (hic mendus, inquit, ſcribendumque Prochyta eſt) vocatur, quam etiam Pithecuſas appellant. Præterea exarſit (2) Gaurus, ut ex veteri famâ, præruptoque ipſius ſinu, atque enato circùm colle liquidum eſt. Flagravit etiam lucrinus, ipſoque exhauſto, novus mons enatus. Quocircà exarſiſſe etiam Phlegræum Campum eſt oppidò veriſimile. Imò haud longè a veritate diſcederem, ſi hîc loci montem olim extitiſſe affirmarem,

(1) Alia ſtrictim loca recenſentur ignem emittentia.

(2) Tres; hoc nomine, montes appellatur. Primus, qui ad Maſſicum propè Minturnas, Sueſſamque ſurgit; de quo Liv. lib. 7. Dec. 1. Secundus, qui Stabiis imminet, de quo Silius: illic Nuceria, & Gaurus navalibus apta. Tertius, qui Puteolis eſt ad Avernum, quem Barbarum nominant.

rem, eum adnexum Gauro fuiſſe, quo mox igne excuſſo, planitiem iſtam, collibus hiſce, qui radices ſunt illius montis, præcinctam, apparuiſſe. Hic Cardinalis: Non inveriſimile quidem certè. Et fortaſsè de hiſce locis locutus eſt Cornelius Severus, cum cecinit in ſua Ætna

Neapolim inter,
Et Cumas locus eſt multis jam frigidus undis,
Quamvis æternum pingueſcat ab ubere ſulphur
In merum legitur ...

Cui tùm ego: Prævertiſti cogitatum meum; iſtuc enim jam ibam. At Titus: Tenetis, inquit, cur id ætatis, ad Quartum dicatur? Cui tùm Cardinalis: Ad id non opus eſt Vate: Quarto enim Lapide abeſt Puteolis. Ad me verò, Cedo, cur Leboriæ, ſive Laboriæ, & Leborinus Campus Latinis appellatus? Cui ego: Ignota hujuſce vocabuli origo apud Authores. Ego, ut dicam quod ſentio, à lepore, amœnitateque loci leborinum dictum autumo; niſi velimus à labore, quo perpetuò exercentur in ejus cultu agricolæ, laborias nuncupatas. Undè & tota Campania Minoribus laboris tellus vocitatur. Et quoniam in hoc nomine ſumus, afferam alterum argumentum, quo hunc ipſum eſſe Phlegræum Campum, ac leborinum confirmem. Ait Plinius: *finiuntur leboriæ viâ ab utroque latere conſulari, quæ à Puteolis, & quæ à Cumis Capuam ducit; harum prima eſt hæc campana, quâ venimus, quæ per orientale Gauri latus excurrit; altera vero per orientale ejusdem latus in Capuam incidit; deindè una, eademque Capuam in antiquam ducit.* Quod ſi ità, cum inter has vias, hic campus ſitus ſit, jam ipſiſſimus Phlegræus, ac laborinus erit. Quinimò, ſi ipſius ſitus ſpectetur, & quo de ipſo idem Author memoriæ tradidit, haud equidem dubium ullum erit, quin illum ipſum eſſe credamus: ait enim: *Campus eſt ſubjacens montibus nimboſis totis; quidem XL. millia paſſuum planitie: gratiâ terræ ejus. (Ut protinùs ſoli natura dicatur) pulverea ſumma, inferior bibula, & pumicis vice fiſtulans. Montium quoque culpa in bonum cedit: crebros enim imbres percolat, atque tranſmittit, nec dilui, ac madere voluit propter facilitatem culturæ. Eadem acceptum humorem nullis fontibus reddit, ſed temperat, & concoquens, inter ſe vice ſucci continet. Seritur toto anno: panico ſemel, bis farre, & tamen ſegetes, quæ irrequievere, fundum roſâ odoratiorem ſativâ: adeò terra non ceſſat parere; unde vulgò dictum: plus apud campanos unguenti, quàm apud cæteros olei fieri.* Cum verò, & hujus ſitus, & mi-

& mira fœcunditas, his à Plinio ſcriptis conſentiant, quis ultrà ambigat, hunc campum leborium eſſe? Nullus, inquit tùm Cardinalis: imò, ni me fallo, de hoc eodem campo locutus eſt Dioniſius Halicarnaſſenſis libro 1. cum dixit: *cui enim Frumentariæ terræ cedunt campi, qui vocantur campani? qui non fluviis, ſed aquis cœleſtibus irrigantur, in quibus ego vidi, arva vel trifera ſementem æſtivam poſt hybernam, & autumnalem poſt æſtivam, ſemen nutrientia*. Cui tùm ego: ita verò; imò Strabo libro V. *traditum*, inquit, *memoriæ eſt*, *quædam campaniæ arva toto anno conſeri: bis Teâ; tertiùm panico; quædam etiam quarto ſatu olera producere*. Quod etſi commune ſit aliis campaniæ arvis; ſpeciali tamen prærogativâ Phlegræo convenit. Aque hæc ut dicta, in currum redivimus, ac Puteolos verſus Auriga iter corripuit.

CAPUT IV.

Propempticon Philippo Anaſtaſio Surrentino Antiſtiti meritiſſimo ſcriptum, Hoſpitibus Fannio, & Marco petentibus recitatum.

VI. Kal. Januarias dies illuxerat ſanè quàm lætus; nam & innubis Cœli facies, & nullâ ventorum agitatione commotus aër, & omnia placidiſſima. Cum Balbus ad me, ſatis, inquit Parthenie Muſis datum; cenſeo tandem manum de tabulâ; niſi aliter tibi videtur. Cui ego: benè mones Balbe; atque ipſe paria tecum ſentio: ſed quo in opere, quod ſuperat temporis ad prandium inſumemus? Placet ne domo pedem efferre in apricum aliquem locum? Opinor: ſic enim deambulantes more majorum, ſimul etiam prandio condimentum ſuaviſſimum de viâ retulerimus, famem. Et ille; tuus eſt arbitratus, non abnuo, quamquàm ad hoc obſonium comparandum, ambulatiunculâ mihi quidem opus eſſe judico, tibi non item, cui nempè Cœna tenuis heſterna ſatis ad eam rem eſſe poteſt. Equidem haud ſcio, an alius vivat hodie mortalium omnium, qui ſit tàm minimi cibi. Tùm ego: vera prædicas, Balbe, ſic ſum, & indè uſque ab adoleſcentiâ morem hunc ſervo; neque pœnitet. An aliter cenſes, potuiſſe me tàm multam in ſtudiis operam collocare? Ad hæc, ut morum ſimplicitas, itâ menſæ frugalitas in vitâ mihi ſemper cordi fuit: Noſtin' illud, quod ex Heraclyto Galenus recitat Ψυχὴ ξηρὴ σοφωτάτη, imò voluptatem illinc exiſtere majorem affirmo, quàm è ſumptuoſis illis Apiciorum cœnis. Ain' verò? Ad hæc Balbus:

bus : tu quidem cum atticè ſcribas, tamen cœnas laconicè, ſat ſcio : ſed quam hic narras majorem voluptatem, ea undè ſit, non ſatis pervideo : illud novi, homines vulgò ſentire alia omnia ; niſi fortè tu nunc è mediâ Platonis Philoſophiâ hauris. Imò vero, inquam, nihil, niſi quod res eſt, loquor. An tu, obſecro, pluris horariam voluptatem duxeris, quàm quæ duret etiam in poſterum diem? non opinor : At qui ſuccenturiatis cibis implentur ad ambas uſque aures, & invitant ſe ſe in cœnâ pluſculùm : ij quidem fortaſſis eo tempore ſuaviter afficiuntur, ſed poſtridiè capitis gravedine, ac ſtomachi cruditate pœnas luunt: contra ea, qui apparatu facili contenti, naturæ quod ſatis eſt, apponunt, ij non modò unam voluptatem capiunt ex præſenti virium refectione ; ſed alteram quoque poſtridiè, cum neque dolet caput, neque crudus eſt ſtomachus; & prætereà prandent etiam ſuaviùs ex condimento cœnæ pridianæ. Sed ceſſamus egredi ? Dum hîc verba facimus, it dies. Non ſum in morâ, tùm Balbus : atque illicò viam carpimus ad orientalem plagam, ſermone vario, ut ſit, inter eundum nos oblectantes. Jamque alterum fermè ſtadium proceſſeramus, cum ecce tibi occurrentes obviam è noſtris ſodalibus duos mihi familiariſſimos, Fannium, & Marcum, qui per eos fortè dies in proximâ Villa, cui nomen à planitie factum, degebant animi causâ. Ubi nos mutuò ſalutavimus, atque illa communia diximus, quæ dici in primo hoſpitum congreſſu ſolent ; Ad te, inquit Fannius, commodum ibamus, Parthenie ; quare ſic te nobis obviam factum in itinere ipſo, volupè eſt quàm quòd maximè ; pluſculùm enim aliquanto frui tuâ conſuetudine datur, ſic quaſi in anteceſſum. Tu verò, inquam, Fanni, pro tuâ in me humanitate bellè, ac benignè, ut aſſoles : At, quoniam hoc jam eſt diei, capiamus Balbe vorſoriam, atque unà hoſpites deducamus domum : eſt prætereà quod ibi curetur ; ne quid officii deſiderent ſodales peregrè advenientes. Tùm Fannius : mitte, inquit, curam hanc Parthenie ; Si nos amas, nihil hodie paraveris, præter quotidiana : noſtrâ causâ diem feſtum nolumus : tui nos deſiderium huc agit ; id nobis eſt ſatis ; atque ob eam rem ſic de improviſo adeſſe placuit. Cui ego: bona verba ; tu, quæ modeſtum, cordatumque virum decent, Fanni, loqueris ; me verò, quæ amicum decent, & benevolentem, facere oportet. Sed quid ais? Balbe, quin properans præcurris domum tu, dum nos intereà otiosè, ac lento pergimus gradu? Tùm ille : Siquidem tu ità vis, præcurram : Sed quid eò? Rogas? inquam, ut pares hoſpi-

pitium, & lautia, quantum poteſt; tùm ſi quid obſonato eſt opus, ut procures: atque audi, cave ſis hodie nobis parcus, aut te raudusculum moveat: ſumptus in loco minimè perit; quanti quanti, benè emitur, quod neceſſe eſt. Balbus verò, dictum ſatis, curabitur, jam illic ero. Sub hæc, grandiore ſtatim gradu pergere occæpit: vix autem aberat paſſus aliquot; cum ecce rurſum ad nos quaſi poſtliminio, revertitur; atque unâ ſecum Puer quidam obviam factus eunti, tùm ad me; Superi nobis, Parthenie, benè volunt, inquit, nam & benignè faciunt: hem! vide ſis, num res evenire potuerit magis in tempore ipſo? dum eo, ſit obvius hic Puer: de te rogat, habere ſe, quæ tibi tradat ab hero ſuo munuſcula. hò! benè eſt, inquio; næ tu viæ feciſti compendium: non longè is abeſt, ſed i mecum; Dux ero, & hominem adeò conventum mox dabo: atque Eccum adduxi: Ciſtellam affert, quæ quidem literata eſt, atque abs ſe cantat cuja ſit: reſigna quæſo epiſtolium, ut noris quid velit. Tùm ego reſeratum perlego in hæc verba conſcriptum.

Philocarus Parthenio. S.

Maxima tibi Parthenie habetur à me gratia, qui tuis me verſibus beaſti: noli quærere, ut placuerint: illos ego non ſemel, ſed iterum, ac ſæpiùs reguſtavi; atque id fuit in causâ, cur non antè hoc tempus remiſerim. Nunc verò unâ cum carmine piſces aliquot à me recipies, mullos videlicet, ac ſoleas, à quibus non abhorrere te novi: Ecquid ſatis lepidum videtur hoſtimentum, pro canoris cygnis mutos piſces referre? Sed me tecum agere ſic familiariter, tu pro tuâ humanitate boni conſules: nempè hoc, quidquid eſt, moram fortaſsè purgabit apud te meam; certè grati animi ſignum aliquod exhibebit. Vale.

Finieram: cum Fannius, laudo, inquit hominis judicium, laudo etiam munus, utrumque opportunè: ut video vir eſt, & ſapit pleno pectore; ſiquidem & Muſas amat, & Poëtis benefacit, nec linguâ ſolum, ut vulgò fit, verùm & manu plaudit: ſcin' quod dico? Tùm ego, intelligo: Balbus verò, nunc ego, inquit, Parthenie, quoniam obſonatum eſt ſatis, rectà domum præcurro, ut videam de prandio; atque ut hunc diem hoſpitum causâ luculentè habeamus: numquid vis aliud? Cui ego: nihil, niſi ut omnia rectè, & ordine ſiant: benè ambula. Sed audin? mox ubi domi eritis, Puero iſti, ne ſuam ſibi queratur operam periiſſe, comiſtrum dato: I modò. Intereà loci, dum ille abit; amabò te, inquit Marcus me intuens, quid iſthuc eſt carminis, quo de mentio facta eſt

in

in epiſtolâ? Numquid recens aliquid à te cuſum? ſcire aveo, ſi moleſtum non eſt. At ego: Propemptikon eſt, quo Surrentinum Archiepiſcopum Romam proficiſcentem, ut potui, ſum proſecutus: debebam hoc homini de me ſemper optimè merito: debebant hoc Muſæ Viro, bonarum artium amantiſſimo, atque in primis erudito (1): nec planè aliud erat officii genus, quod à poëtâ, atque adeò à me id jam ætatis poſſet expectari. Audio, ſubjecit Marcus; verùm ſines nè te modò exorari, ut, aut nobis carmen recites, ſi memoriâ tenes; aut exemplum ſaltem exhibere velis? Mihi quidem hodie rem nullam feceris gratiorem: ſcis quantoperè tuis ego ſoleam verſibus delectari; neque minus idem cupere arbitror hunc Fannium: & ille, rem ipſam putas; imò niſi tu Marce præloqui occupaſſes, iſthuc jam oratione ibam. Age igitur, Parthenie, & quam exteris indulges liberaliter voluptatem, eam nobis invidere noli. Tùm ipſe: honeſta oratio eſt; nam cur vobis hoc non gratificer? Noſtis planè qualis ego ſim; rogari diù non ſuſtineo; nec verò æquum facerem. An illud mihi etiam cavendum cenſeam, ne gloriolam captare videar? Vah! non iſthæc mihi cautio eſt, ubi cum amicis apertè, ſimpliciterque agitur. Quoniam ergo ita vultis, morem hunc vobis geram non gravatè; ſed puto commodiùs domi: brevis eſt via, mox ibi erimus. Aſſenſit uterque: ſtatim verò ac domum nos recepimus; memineris, inquit Marcus, quod modò pollicitus, Parthenie: locus monet, ut dictis maneas. Tùm ego: æquiſſimum poſtulas: conſidamus igitur, atque hoc agite: tùm de ſcripto ſic recitavi.

Vos ego, cunctarum pelagi, terræque viarum
Conceſſum quibus imperium, perque invia mundi
Ducitis ignaros homines, vos Numina quæſo
Sternite molle fretum, ventumque à puppe Philippo
Mittite, ſi placeat celeri freta findere puppi,
Tendite, & optatum Tyberina ad flumina curſum
Blandiſonis circùm perludant flatibus auræ:
Rideat & ſubter criſpatum leniùs æquor:
Innubi micet igne ſuper, fræniſque ſerenis
Urgeat auratos currus Sol aureus. At ſi
Plurima Neptuni tentare pericula nolit,
Et terras amet, & terreſtrem carpere curſum
Sternite molle ſolum, Divi, dextroque præite
Auſpicio: ſentes removete, ruboſque malignos,
Non æquos lapides, & ſaxa nocentia plantis
Tollite de medio; firmate & lubrica; eunti
Ne mora ſit, trepidoque labent veſtigia greſſu.

(1) Paroè hic de laudibus meritiſſimi Antiſtitis, qui & ingenuis moribus, & eximiâ doctrina inter hujuſce ætatis viros ſapientiſſimos jure meritò recenſetur.

Non rigidi perflent venti, non humidus Auſter
Imbriferas glomeret nubes, reſonetque procellis;
Temperies ſed amœna Polo præluceat alto.
Et tepidi, placidique dies, & Luna ſerena:
Et Charites currum comitentur, & agmine pleno
Effuſæ circùm ſtipentur Apolline Muſæ.
Nam Surrentinæ decor eſt, & gloria terræ,
Et vitæ pars magna, ſalutis & una Philippus;
Præſide quo nitidi mores, pietaſque, fideſque,
Ingenuæque virent artes, ſemperque virebunt:
Ut non antiquis noſtra hæc majoribus ætas,
Non ſæclis unquam poſt inviſura futuris.
Sed jam Parthenopes regalia mænia linquens,
Veloci invectus curru capit æquore lato
Campanum levâ callem, clivumque recurrit,
Aſcenſu facili, qui proximus imminet urbi:
Te ſocium, comitemque trahens, qui Pæonis arte
Multùm, (1) Pica, vales, ſolituſque potentibus herbis
Jam conceſſuros Orco deducere in auras;
Eloquioque potes, facundo & plurimus ore;
Scilicet ut curas, & tædia longa viarum
Sublevet, & doctos ſermones inter eundum
Poſſit habere, ſuper Cœlo ſeu dicere, terris
Seu placeat ſuper, aut igne, aut fluido elemento:
Seu potius commenta virùm memorare priorum,
Geſta vel Heroum, quæcumque Annalibus inſint.
Sed jam te (2) Clanius, lentâ qui labitur undâ,
Et virides multo ſubtexit gramine ripas;
Atque novæ excipiunt (3) Atellæ: Hic verſibus illæ
Antiquâ in Scœnâ cuperent tibi plaudere: eunti
Ni foret ingratum cepto ſubſiſtere curſu;
Attamen à longè ſubſultant plauſibus. Et jam
Campani (4) regina Soli te mœnibus amplis
Excipit, & grato Seplaſia perflat odore:
Sed non te fortem mollire ſuavibus herbis,
Ut quondam invictum poſt tot certamina Pœnum
Annibalem fregit: veteris vaſtiſſima Circi
Tu monumenta vides, miraris & acta priorum;
Urbis & officium laudas; ſed protinus acri
Antevolas curru, revocaſque ad penſa jugales:
Hi celeres, lætique viam per lata volantes
Æquora corripiunt: credas tàm præpete curſu
Aut ſe Solis equos, aut velle laceſſere ventos,
An forſan Solem ſe ſe vectare putabant.
Intereà (5) Auruncos, viridique in colle Sueſſam
Præ-

(1) Michael Pica, nobilis medicus, & Parthenii amiciſſimus.

(2) Vulgò Lagno, amnis paludoſus juxtà Atellam, & linthernum decurrens.

(3) Oppidum fuit Oſcorum in Campanià, ubi grande Amphitheatum erat. Unde Atellanæ comædiæ Joculares, & ſcurriles vocantur.

[4] Capua nimirum, totius olim Campaniæ urbs præſtantiſſima, quam Vulturnus amnis interfluit.

[5] Vetuſtiſſimi latii populi, Aurunci dicti, ab Auruncà Urbe, de quà Plin, lib. 3 cap. 5.

Prætereunt, avidique petunt tua flumina, (1) Liri;
Et quanquam lato deſcendas plurimus alveo,
Expectare ratem non paſſi, ad munia ſaltu
Se ſe præcipiti miſere; atque ilicet alti
Adverſam fluvii ripam tenuere: patentes
Indè terunt Campos, & pinguia rura (2) Falerni.
Verùm defeſſos (3) Tarteſſi in gurgite currus
Cum Sol immergit, lucemque reducit ad indos,
(4) Formiæ, & antiqui te Tulli (5) villa recepit:
Hîc longâ defeſſa viâ dum membra quietem
Accipiunt, tu clara loci monumenta vetuſti
Commemoras, doctuſque adjungit plurima Pica.
At ferrugineus primos dum Lucifer ortus
Devehit, atque roſis Aurora innectitur, auroque,
Aſcendis currum, tendiſque ad divitis arces
(6) Anxuris, & multo Pontinas amne paludes
Implicitas ſuperas, quas fruſtrâ haurire Latini
Tentarunt: Immota manent, quæ condita Fatis,
Neve homini mutare licet. Petis inde Pivernum,
Non æquum aſcendens ſaxoſo tramite Callem;
Hîc tibi Nympha loci, turbâ comitata Sororum,
Obvia progreditur, plauſuque admittit ovanti,
Tu meritas Nymphæ tanto pro munere grates
Perſolvis, murumque ſimul, tectumque ſubintras.
Hîc poſtquam officiis ſatis eſt pro munere factum,
Adjunctos curru, & mandentes fræna jugales
Solicitas: actutum illi declivia Clivi
Corripiunt, ipſiſque volant velociùs Euris.
Pica ſed intereà Circœo in vertice Sylvas
Monſtrat inacceſſas, ubi (7) Circe, filia Solis
Degit, & herbarum ſuccis in mille ferarum
Incautos vertit formas, vincliſque coercet, (8)
Tu Rutulos contrà campos, fontemque Maricæ,
Antium & antiquum oſtendis, quæque arva latini,
Quæ Volſci tenuere olim, quoque Ardea colle
Impoſita, & priſcos memoras ex ordine Reges.
Sed jam prona dies fulvos vergebat ad Indos,
Cum te Vellitræ muro excepere vetuſto,
Lætitiâ effuſæ perſultant hoſpite tanto:
Eſſe ſuum vellent, certantque tenere; ſed ipſe
Surrenti memor, & charæ telluris avitæ,
Inſtas, & magnam curſu contendis ad Urbem,
Principis ut tandem contingas limina Divi,
Votaque majorum ſacro te more reſolvas.
Sed te magnifici teneat ne pompa theatri,

Neve

(1) Fluvius propè Minturnas oppidum.

[2] Mons Campaniæ, ubi vinum valdè bonum naſcitur, quod Falernum à loco dicitur.

(3) Oppidum in fine Hiſpaniæ, juxtà Columnas Herculis alio nomine Gaddir.

(4) Campaniæ Urbs, olim leſtrigonum ſedes, juxtà Cajetam.

[5] Celebris Ciceronis villa in Arpino ſita.

(6) Oppidum Volſcorum alio nomine Terracina ſic dicta à Jove Anxurio, qui ibi colebatur barbatus, & intonſus.

[7] Filia Solis, & Perſæ nymphæ, quæ habitans in monte Circœo, tunc Inſula circa campaniam, homines ad ſe venientes carminibus, & veneficiis in varias beſtias mutabat.

[8] Dea littoris Minturnenſium, juxtà lyrim amnem.

Neve ſacri alliciat majeſtas ampla Senatus;
Illa tuæ dudùm virtuti debita quanquàm,
Sed noſtri potiùs teneat te cura, precamur.

Finieram; cùm Balbus, Euge, inquit, Parthenie; miſſas paulisper Muſas facite, ſi placet: accedite ad gratias Sympoſiacas: nolim prandium corrumpi, dum moras nectitis. Si quid præthereà Fannio, & Marco ſuper eloquenti Carmine videtur, commodiùs proferent ſuper menſam. Tùm ego: æqua poſtulas, inquam Balbe; atque omnes illicò ſurreximus accubituri.

CAPUT V.

Familiari confabulatione datur anſa recitandi Carminis de D. Ignatio Loyola,

A' Meridiano ſomnulo, precibus, ut meus eſt mos, ad Deum fuſis; tùm quòd ejus diei reliquum erat ſacræ pſalmodiæ penſo jam abſoluto, Balbum convenio, adhùc ſomno indulgentem; quo excitato, ohe, inquam, etiamne altùm dormis? age modò, eripe te lectulo. Ecquid meminiſti de potu mexicano, quem prædixeram in hanc horam præparandum, ut ſtatim à quiete poſſet hoſpitibus apponi? Tùm ille: præſto ſum, inquit, ſine modò, ſomnum ex oculis excutiam planiſſimè; faciam ut in me mora non ſit: quamquàm nemo nos inſequitur, qui feſtinare compellat: nam quod ad hoſpites attinet, noli vereri ne improviſi ſuperveniant; nempè laſſi de viâ, tùm benè pranſi, quiete indigent paulò prolixiore: nec verò arbitror, eos, perindè minimi ſomni, ac te eſſe ſcio: niſi tu fortaſsè conjecturam aliorum ex te vis facere, quòd non eſt æquum; ſuo enim quemque metiri modo, ac pede, lex eſt veteri jam verbo tradita. Cui ego: ſapis Balbe, qui tuam ipſius deſidiam ut defendas, tàm belle philoſopharis: at vide, ne potiùs in te quadret, quod de me nunc ſuſpicabaris. Videlicèt, inquit Balbus. Et ego: tu manè quidem ſolitus in multam lucem ſtertere; à prandio vero, poſtquàm ſeſquihoram indormiſti, vix divelleris à nido tepefacto: ob eam rem facilè tibi perſuades, eandem aliis eſſe vitæ rationem, quam ipſe ſequeris. Verùm age ſis, move te ocyùs, & quæ feciſſe jam oportuit, appropera: ne poſtmodùm ſis nobis in morâ: tuam enim ipſe Philoſophantis ſapientiam hectæ fecerim; niſi ſtrenuè gnavus in loco ſis, atque ubi res poſcit. . . . . Verùm intereà dum ſermones cædimus, ecce tibi Fannius, qui ut erat in pro-

proximo ; facilè potuit confabulantes inaudiſſe ; ſiquidem evigilaverat. Is autem, jubeo Parthenium, inquit ; Cui ego oh ſalvus ſis Fanni: ſatis ne placida tibi quies contigit : & commoda? Et ille: ſic ſatis. Tùm ego: hem Balbe reſpice; ſalutem tibi Fannius impertit antè expectatum: quid tu taces, quaſi Mercurius ſupervenerit? Animadvertis, credo, quàm non conſtet ratio tibi malè nuper ſupputata. Ille verò: ludis tu nunc me, inquit, Parthenie; ſed hâc in re nego me dignum eſſe, quem ludos facias: ego enim neque imprudens conjector fuiſſe mihi videor, qui ex eo, quòd plerique aſſolent hominum, conjecturam feci ; neque iniurius Fannio dici poſſum propterea quòd, ipſum ſeriùs aliquanto evigilaturum prædixi ; cum eundem non nihil ex itinere delaſſatum exiſtimarem : certè ſopor feſſis dulciſſimus eſſe conſuevit, ut Poëta notat in Bucolicis. At, at, ſubdidit hic Fannius, de meo erant capite comitia ſcilicet; cùm ipſe in medio ſermone interveni, ceu Lupus in fabulâ. Cui ego: rem tenes, inquam: & præterea quid in ipſis actum ſit comitiis tenes: Balbus noſter hoc agebat, ut, ne comperendinator deſidioſus audiret, de repentè conjectoris, ac Philoſophi perſonam ſuſtineret. Fannius ad hæc: Lepidum ſanè conſilium; Balbum tamen aio rectè opinatum: ſic enim uſu venit plerisque; imò iis præſertim, qui ſtudioſos inter nomen ſuum profiteri amant; fortaſsè ut valetudini, quâ utuntur ferè imbecillâ, conſultum eant. Vera narras, inquam ego ; mentis enim organa ciborum vaporationibus gravata damnum facient, niſi functionibus animi pauliſper intermiſſis, vacare quodammodò ſinahtur: ad hæc, minimè tutum eſſe docent Medicorum filii, ſi ſpiritus ab officinâ ſtomachi, concoctionem peragentes, ad ſuperiora evocentur. Verùm ut ut eſt, mihi brevis à prandio ſomnulus eſt ſatis: & miſeret eorum, qui dum, binas, aut etiam ternas quotidiè horas perdunt ſomno, certè non exiguam vitæ portionem ſibi reſecant: ſcio plerosque cauſari conſuetudinem; ſed me, cùm aliter aſſueverim à puero, nulla ſui juris fecit diutina conſuetudo. Optimè tu quidem ſubjecit Fannius, quod enim dici ſolet, magnum vectigal parſimonia, mihi longè maximum videtur eſſe in temporis, ac vitæ diſpenſatione: tùm rei bonæ conſuetudo ſemper eſt optima. Sed addam, quod ego factitare ſoleo, dum cubo dormituriens: ne qua enim vigiliæ pars fruſtrà pereat, libellum aliquem in manus, ut quemque ſors obtulit, aſſumo; atque ità ſomnum opperior, imò potiùs invitare videor, qui ſic illectus, furtim illabitur, ſuaviterque; tùm quaſi pro imperio dicat, Claude

Brevis poſt prãdium ſomnus concoctioni per quàm utilis; nimius nocet.

Laudabilis non nullorum mos, qui amæniorum librorum lectione ſomnum operiuntur.

librum,

librum ; continuò ſenſus opprimit, victorque jacentem detinet ad horam fermè dimidiatam; mox mihi me, libroque reddit officioſè, atque in tempore abſcedens. Balbus ad hæc ſubridens, Poëticæ cujuſdam indolis, ut apparet, narras tu ſomnum Fanni: ſanè quidem gratulor! Nam quid ita? inquit ille: & Balbus, quia poëticis quibuſdam coloribus expreſſum ipſum à te video; & præterea poëticum neſcio quid inclamare viſus eſt illis vocibus, *Claude librum*: iiſdem enim verbis initium canendi, factum nuper à Parthenio memini, dum Carmen de D. Ignatio Loyola ſcriberet: quare non à cimmeriis antris, verum à bicipiti Parnaſo tuum iſtum advenire ſomnum autumo. At ego, cum animadverterem ſermonem in longum trahi; Balbum contuens rogavi, utrum ſibi placeret, ut nos colloquendo, ſic diem duceremus totum, an potiùs quod facto erat opus ipſe expediret? jam enim & Marcus evigilaverat, à quo cubiculi fores crepuiſſe, intentis eò auribus, acceperam: & jam ipſe foras ad nos prodibat. Hæc audiens Balbus, nè reſponſionis quidem morâ interpoſitâ, de cœtu ſe, bonâ cum veniâ, ſubduxit, mandata, ex condicto executurus: tamen dum iret venienti Marco quiddam ad aurem inſuſurravit: Vix dum ille diſceſſerat, cum ad me Fannius: equidem Partheniæ, non temerè verba illa ex tuis verſibus eſſe à Balbo memorata puto, neque ſi putem, patiar ſic abire: Carminis illius audiendi nunc ex te vehemens mihi inceſſit cupido; nec verò deſinam moleſtus eſſe, niſi recitaveris: atque ecce tibi commodum alter auditor Marcus, pro quo non dubito ſponſionem facere. Imò verò, Marcus inquit, ſponſore nullus egeò, cum ipſe adſim, ac fatear, me carminis deſiderio non minore teneri: quin hoc eram, vel Fannio tacente, Parthenium rogaturus. Tùm ego: nempè hoc illud eſt, Marce, quod Balbus admoto capite in aurem dixit, nec dubitem pignus deponere, ſi non divino: At intelligo quid ille ſpectet: videlicet, nè fortè ipſi moranti ſuccenſeamus, id conſilii ratus eſt optimum, ſi qua interim occupatione vobis, ut putat, non injucundâ, faſtidium expectandi levaretur. Verùm ſi me auditis, commodius in hypætrâ ſpatiabimur colloquentes, omiſſis verſibus: quid enim cenſetis? Exciderunt illi mihi ſubito quodam calore paucis ab hinc diebus, ut familiari cuidam requirenti gratificarer; veſtras tamen aures, mihi credite, reformidant. Spatiemur, ſi placet. Reſpondit Marcus; at Carmen intereà omitti nolo. Quid enim? Cum unius amici gratiâ tu, Parthenie, ſcribendi operam ſumpſeris,
nunc

nunc duobus ut gratum facias, operam recitandi, certè leviorem, non ſumes? atque hoc idem cum urgeret Fannius, ego, nè vel inurbanus, vel faſtidioſus viderer; adeſte, inquam, igitur, quando ita vultis, nam verſus memoria teneo, cum neque multi ſint, & recens admodum facti: deinde ſic occepi.

DIVVS IGNATIUS

In primo Literarum Studio, amandi Verbum inflectens.

CARMEN.

Claude librum Ignati, quid amandi nobile Verbum
Ulterius relegis? ſpecioſa vocabula, Amorem
Quæ reſonant, non aptè oculis, ſed mente leguntur.
Verba ſatis didicit, qui Verbum Patris amavit,
Unum eſt, mente piâ non declinabile nomen,
Nomen adoratum ſuperis, Ereboque verendum.
Huic ſtudeas, Orbe hoc toto proferre memento:
Ergo age, claude librum, & cor omni pande Magiſtro.
Ille ſed intentus ſtudio, nil carmine noſtro
Flectitur, igneſcunt oculi, inſolituſque pererrat
Ora rubor, fixuſque in libro vultus inhæret.
Forſan grande aliquo divino percitus æſtro
Arcanum cœleſte legit, ceu ſæpè legendi
Antè dedit Deus, & cordi blanditus amanti eſt.
Siſte: importunos hortatus Muſa coerce,
Dumque ille Ætherei ſecreta ediſcit amoris,
Nos, patefacta aliis arcana, referre juvabit.
Mollibus admixtus pueris, teneræque catervæ
Ævo diſſimilis, ſimili ſed mente, ſedebat
Divinos animo paſcens Ignatius ignes:
Et penſum puerile trahens tractabile certis
Ordinibus vocum, verbum evoluebat amandi.
Dumque redit toties menti nota dulcis amoris
Et flammas alit, & ſacro depaſtus ab æſtu
O' amor, ajebat, cordis doctrina beaſti;
Dulce miniſterium, & mihi non variabile Verbum!
Jam tædet, parvo inſcriptum te cernere libro;
Et tantum in mediis tua verba agnoſcere chartis.

O' ego ſi fierem liber, in quo littera nulla
Extaret, niſi quæ Divum deſignat amorem;
Nam quid cuncta juvat diſtinguere tempora amandi;
Tempora ſi mihi cuncta fluunt ſine amore beati
Numinis; & dum ſæpè amo, lingua immurmurat extra,
Cor intus non reddit amo? Quid inutilis artis
Verba ſequor? libri ſteriles, chartæque valete:
Pectus amans libris illùc volitare relictis
Optat, ubi largus donorum amor ipſe magiſter
Non dat verba animis, ſed ſe ſe cordibus infert.
Talia voluenti, ſtellato allapſus ab axe
Adfuit almus amor, notâque in luce refulſit
Sed non auratam geſtat poſt terga pharetram:
Nec ſtringit veterem, radiatis cordibus, arcum
Antiquos habitus, ſolitamque Sagittifer artem
Exuerat. Vultuſque graves, atque ora Magiſtri
Indutus, librum lævo ſuſpenderat armo
Pro pharetrâ, calamum pro telo dextra rotabat.
Quin etiam collectam olim, gemmàque micanti
Suſpenſam veſtem; ut nunc decet eſſe Magiſtri
Indumenta dedit plantas deſcendere ad imas;
Gaudebatque ſuâ gravitate Amor ipſe togatus:
Tùm ſic Loyolam blando ſermone laceſſit.
O' qui pertæſus voces, & inania amoris
Nomina: quid ſit amo, ſtudiis melioribus optas
Noſcere, nec verbis, ipſo ſed amore doceri
Velles, hùc oculos, aureſque adverte ſequaces,
Et quæcumque audis læto memor infere cordi.
Dixit: & extemplò veteres fugere figuræ,
Viſa loci facies nova claram pandere lucem:
Gymnaſiumque novum patet, & Cęleſte lycæum:
Parietibus circùm pictis monumenta renident
Divinorum operum, magnum quæ Numen amoris
Edidit. Hinc vaſtum, nullo de ſemine, mundum
Surgere: depingi Cœlum radiantibus aſtris,
Flore coronari Terram jubet: arte potenti
Cretus humo, jam ſpirat homo, rerumque Superbo
Imperio, & pulchrà felix regione potitur.
Parte aliâ, Vir Divinus de matre creatus
Virgineâ (ſic ſuaſit amor) fatalia culpæ
Primævæ, ipſe ſuo contagia ſanguine merſit;
Cætera quid referam? Pictus vel vivus ubique
Spirat amor, dulciſque artis documenta refulgent:
Innumeri circùm reſident juveneſque, virique,
Longævique ſenes, Pueri, innuptæque Puellæ,

Ma-

Matronæque graves, nullo diſcrimine, docto
Incumbunt operi; cunctos idem excitat ardor,
Atque unum ſtudium diſcendi fervet amoris.
Dumque hæc miratur taciturno Ignatius ore,
Infit Divus Amor: Quam contemplare Paleſtram.
Cernis & Heroum cætu fervere frequenti
Gymnas amata tibi Divi eſt Schola dulcis amoris:
Hic doceo, tacitâ linguâ, ſed corde loquente:
Nulla dies vacat à ſtudio, niſi vita vacarit:
Optimus aſſiduè teritur liber, heu liber intus
Atque foris ſcriptus! Patris Sapientia fulget
Intus, ſed foris Iſacidum manus atra notavit.
Dira characteres ſunt vulnera: candida membra
Sunt membrana, nitens rubet omnis picta cruore
Littera: nullum eſt huic libro ſine ſanguine punctum.
Cedro dignum opus involvi, crux cedrina ſervat.
Doctior eſt, librum hunc melius qui corde fideli
Tranſcribit: longus labor eſt, ſed charus amanti.
Non mea diſcipulos ars, multâ lege fatigat:
Præceptum breve trado, ſed omni diſcitur ævo.
Vis, & quæ ſtudio ſemper recolenda beato
Præſcribam monita, & dulces cognoſcere ſenſus?
Unum audire ſat eſt; ex uno cætera diſces.
Franciſcus, cœlo charus, quem, vulnere quino
Pectora confixum, Palmaſque, Pedeſque, Cruentam
Effigiem, ipſe ſui vivam Divinus amator
Sculpſit, proque animâ, æternum inſpiravit amorem
Dum noſtrâ excoleret ſtudium cœleſte Paleſtrâ.
Hoc didicit depromtum ex arte docentis amoris
Effatum verſare. Deus meus omnia: plures
Gutture nec voces dabat, aſt repetita placebat
Noctes, atque dies avido Sententia cordi;
Et centum Æternos Vox una fovebat Amores.
Nunc age: te quando diſcendi juſta cupido
Incitat, & ſacros ſapere optas inter Amantes.
Hæc defige tuo Verba immortalia cordi:
Hæc radiante die, nocte hæc radiante revolues.
Summe Parens, ò ſi te homines noſſent! breve dictum
O' quam grandis erit felix Interpres Amoris!
Quiſquis amat notum toto, quem diligit, orbe
Eſſe velit. Tenebras ſervat ſibi cæcus Amator
At quem amat: ipſo etiam plus ſole niteſcere gaudet
Verus Amor, laudem ipſe ſuam, famamque recuſat;
Quos amat, hos cupit, ut pennis invectus honoris
Fama canat, longiſque Æternet gloria Sæclis.

Tu quoque fidus amans eris, & te numinis alti
Gloria perpetuò major, majorque ciebit.
Hæc ait: & parvum dextrâ, quem forte libellum
Geſtabat Loyola, manu languente removit
Inſervitque novum digitis Amor ipſe volumen.
Pulcra libri ſpecies; ſummo nam vertice, binos
Scinditur in gyros; tùm partes colligit ambas,
Et molli ad lævam flexu ſinuatur, & uſque
Decreſcens; puncto tandem gracileſcit in uno:
Cordis erat ſpecies, Cor, libri in imagine fulget
Auratis deſcripta notis: una emicat intus
Digna quidem ſcribi nitido ſententia Cordi.
Summe Parens, ó ſi te hominum gens noſceret omnis!
Pagina, quæ prima eſt hoc carmine, clara ſuperbit.
At partes alias libri nec carmina ſignant.
Littera nec notat ulla, aureis ſed picta figuris
Omnis imaginibus ſplendeſcit pagina miris.
Ergo hunc Divina depictum Ignatius arte
Cernit, & ipſe ſuos prælibat lætus Amores.
Hic ſtagno immerſum generoſa Lutetia monſtrat,
Cœleſtes ut alat, Stygioſque extinguat Amores.
Hic legit unanimes ſocios, hic corpora morbis
Feſſa levat: Vinclis illinc oneratur iniquis;
Carceris ex Umbris latè rutilantior ardet;
Hîc flammas Aquiloni, & Eoo hic Phosforon axi
Divinum immittit. Quid ſingula perſequar? unam
Pagina multa notat Romam; Hîc Ignatius urit,
Hîc verbis, rebuſque jacentem hîc erigit urbem
Languentes Divino animos, hîc nectare paſcit:
Hîc moritur, cœleſtis Amoris languidus eſtu.
Hæc Divo luſtrante; Amor ecce locuſque refugit:
Et cor pro libro, liber & pro corde remanſit.

Poſteà quàm recitavi, habetis, inquam, Fanni, & Marce, Carminum hodie ſatis, faſtidii fortaſsè plus ſatis: verùm culpandus ego minimè videor: Vos enim ipſi Authores mihi fuiſtis, ut ineptirem: Tunc Fannius, ſerion' iſtud ais Parthenie? Imò verò beaſti nos. Dum hæc diceret, ecce tibi Balbus adeſt cum potu Mexicano; quem cum recuſare videretur Marcus, quodam urbanitatis genere ſatis tunc quidem importunè: An ignoras, inquam, Tu Marce proverbium ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι; quin age ſi quid agis: quaſi verò nunc non norimus inter nos, quibus dictis acquieſcens, accepit tandem, & ſorbillavit. Poſtpaulò, quoniam dies ad occaſum vergebat; hoſpites officiosè, ut moris eſt, numquid vellem, interogarunt, ac bene valere juſſi diſceſſerunt.

CA-

CAPUT VI.

Amico ad Anianum apricanti Extemporaneum Carmen recitatur.

VEnerat Mediolano Neapolim T. Ceva., Vir non minus nitore Carminis, quàm morum candore præſtantiſſimus; qui cum ſumma mihi familiaritas fuit: & propter ſimiles artes, in quibus ambo exercebamur, gratiſſimus: hunc igitur, cum apricandi gratiâ ad Anianum noſtrum in rus deduxiſſem; &, ut antiqua, quæ circa ſunt monumenta perluſtraret, quodam die, quoniam præter ſolitum, à capite laborabam, ruri ſubſtiti; ipſe verò cum C. Hermete ad Forum Vulcani profectus eſt. Sedebam ego ad laci proſpectum in eo Collis ſupercilio, quod ad Meridiem ſpectat, quo loci opportuniſſima ad apricationem ſedes eſt. Erat dies nitidiſſima, & Boreas mitiſſimè perſlabat: cùm repente ceſſavit dolor, inſolituſque membris vigor inditus eſt; & quaſi me Phœbus corripuiſſet, tanto agitatus ſum æſtro, ut numquam aliàs. Quoniamque loci conſpectus longè pulcherrimus, & ingenium ſoli mitiſſimum, ità oculos, animumque paſcebant, ut hiberni temporis oblitus, Ver agitare amœniſſimum mihi viderer; jam nihil aliud mente verſabam, niſi quàm largè ſibi natura indulſiſſet eo loci: mirabarque flores paſſim ſurgere alieno, ut putabam, tempore; tùm, vel invitâ brumâ, hiantes ridere. Hîc ad Cœleſtium rerum pulchritudinem animo paulatim avocato, ſubitarium quoddam Carmen eructavi, quo Florum natale à magnæ Matris auſpicio, repetitum cecini: ſtatimque in quædam papyracea fragmenta, quæ ex diverſis epiſtolis ad manus erant, tranſtuli; ſed tantâ feſtinatione, ut vix characteres impreſſerim, & niſi numeri adhuc eſſent in memoriâ, vix relegiſſem. Vix dum Carmen traſcripſeram, cum T. Ceva è Phlegrâ rediens, quomodò, inquit, vales à capite? Cui ego: Planè benè; imò, cum novo artuum vigore, inſueta quædam vena emicuit: quod ſanè ex tuâ præſentiâ factum: atque hoc, quod vides carmen, è veſtigio meditatus ſum. Tùm ille: Gaudeo mihi, inquit, tibique quàmmaximè gratulor, quòd ita factum. Sed quæſo, ut recites; aveo enim illud audire. Ego verò: Faciam quamlibenter, ut quæ minus limata ſunt, incudi reddam; ſtatimque hunc in modum carmen recitavi.

FLO-

FLORUM NATALE.
Carmen.

SUrge colorati Regina tenerrima Veris,
Surge Roſa, & placido ridens adapertilis ore,
Agmina frondoſis erumpere florea caſtris
Imperioſa jube. Viden, ut nova, crine rubenti
Impulit auricomi poſtes Aurora Diei?
Non hæc illa quidem ſolitæ prænuncia lucis,
Memnonis ambitioſa Parens, cui purpura mollis
Matutina brevi deſignat tempora Regno;
Donec flammifero Phæbus trabeatus in auro
Naſcitur, & clarâ regnans ſe jactat in aulâ.
Non illa eſt, vitreis Nerei quæ divitis antris,
Lota genas, ornata comas, jactantior exit
Gemmifero maris hoſpitio; mox verbere primæ
Tacta facis, vultum flammis reſoluta nivalem
Ardet; & optatis fugitiva reconditur undis.
Non illa eſt Solis genitrix, inimicaque Soli,
Averſata ſuos quæ diffugit impia Partus,
Quam perimit naſcens hoſtili lampade Proles
Atque iterum reparat curſum, ut rediviva trucidet
Purior albentes per cærula ſalſa quadrigas.
En Aurora monet, ſtellato in margine Mundi
Major Diva venit: nitidas, agnoſce, per auras
Majeſtate, & amore graves venientis ocellos.
Diva venit, flammis peperit quæ prima comantem,
Ore ſerenanti radians Sapientia Solem:
Sydera, quæ centum Partu fœcunda coruſco,
Igne coronali, vitreos errare per orbes
Juſſit, ut umbroſæ ſingant ora aurea nocti.
Quæ lunare jubar, Fratris congreſſibus, impar
Armavit, gemino radioſa in prælia cornu;
Et dedit adverſas adamante retundere flammas.
Quæ ſuperimpoſitos ſeptenis Orbibus Orbes
Chriſtallo cinxit: librataque pondera Terræ
Mole ſuâ ſtantis, quâ dura in culmina montes
Extulit; in valles quâ reclinavit opacas.
Quæ vada fluctiſono clauſit ſpumantia Ponto;
Altaque arenoſo compeſcuit Æquora vallo.
Vos etiam Veris, Pubes formoſa nitentis,
Vulgus odoratum, & camporum gratia, Flores,
Hæc melior primas Aurora vocabat in auras,
Multicolore comâ, & peplo variante, ſuperbos.

An-

Antè alios, Te, nativo, Roſa, veſtiit Oſtro;
Non rigido in ſolio, ſpinâque ſatellite cinctam;
Et cupidis manibus tela inſidioſa moventem;
Sed tenero herbarum in gremio, famulantis amicos
Ad Zephyri flatus, & ſibila grata, cubantem.
Ergo age, Sydeream ſurgens venerare Parentem;
Purpureis blandita oculis: & vos quoque gratam
Pompam inclinantes, materna ad lumina, flores,
Mollia, dum veſtri veniunt ad carmina, Partus,
Surgite, nataleſque inter pubeſcite cantus.
Jam domitas Ponti frænarat carcere lymphas,
Et malè creſcentes denſâ vallarat arenâ
Diva Parens undas: Tellus, cùm libera frontem
Protulit arentem, & rigidis ſquallentia ſaxis
Arva, ſuperfuſo nigrantia pulvere, venas.
Quamquam ſic hæret; vixque eſt via lubrica voci;
Sic tamen ore gemens, & guttura hiantia ſolvit.
O' Genitrix, Genitrix (namque hoc iterabile nomen)
Eſt Proli, miſeræ Proli! Semper ne rigentes
Cautibus horrendis hærebunt oſſibus artus:
Et ſine honore genas, ſine lumine lumina condam?
Da fronti decus ò nitidum; da fuſile flammis
Noſtra per ora jubar; minio depinge rubenti;
Pinge genas radiis, pulchrâ ſine cyclade crines;
Et miſerata, ſinus viridanti contege peplo.
Aſpice me; Tellus tua ſupplicat, illa, beatam,
Cui quondam invidit Stellarum Patria Sortem;
Cum calcata tuis lambet veſtigia plantis;
Et rubefacta ſacro florebit ſanguinis amne.
Dixit; & ad voces murmur junxiſſet amarum
Lacryma: quas fundat, ſed non habet arida guttas.
Audiit orantis, Genitrix, tamen aurea queſtus;
Et vultu radians, quo nubila nigra flagellat,
Tranquillatque diem; dedit omnia læta gementi.
Ilicet auratos concuſſit Diva capillos:
Riſit; & effusâ radiantum luce comarum,
Telluriſque ſinum validis ſplendoribus afflat:
Concipit illa faces, Zephyroque adjuta marito,
Florida ſurgentis ſtupet ad miracula Prolis:
Nec ſobolem putat eſſe ſuam; ſed divite nimbo,
Roratas credit Divæ de crine favillas.
Prima coruſcarunt albenti Lilia vultu,
Virginei Flores, & munera prima Parentis
Virginis. Hos mirata ſequens Roſa, mæſta, rubore
Ora verecundo pinxit; puduitque ſuperbam
Non

Non æquare ſuo candentia Lilia vultu,
Lilia Virgineo ſemper placitura pudori.
Cætera conſurgit, nullo diſcrimine, Florum
Turba minor; longoque intexit syrmate Terram:
Pallor amat Violâ in molli gemmare; rubeſcit
Flos Hiacinthe tuus; tuus & Narciſſe rubeſcit
Sanguineis foliis; animat quæ nempè cruore
Altrix Terra ſuo: naſcenti lutea calthæ
Forma placet; ſua cuique placet ſpectabilis oris
Gratia: quiſque ſuo radians ſe lumine jactat.
Sed quamvis halat flagrantem protinus auram;
Non omnes ditavit odor: nam gratia vobis
Quanta deeſt, vario Tulipæ ſplendore micantes,
Peoniæ? Heu quantâ caruerunt germina merce!
Vos ò Veris opes, Zephyro ductore, volantes
Afflatis; flammaſque procul ſpiratis odoras.
Medica candiculo rutilantia germina collo,
Æmulaque intacto vos ò Gelſimina ſente,
Quæ nunc felici Catalaunia ceſpite nutrit,
Vos gemino triſtes mulcetis fulgure ſenſus.
Intereà lætis herbeſcere gramina campis:
Plurimaque incœpit ſylveſcere montibus Arbos:
Spectat Terra hilaris, votoque potita, ſuperbit.

Cum recitaſſem, At carmen hoc tuum, Parthenie inquit, Ceva, minimè ſchediaſticum apparet; ſed planè cultum, & expolitum; contra quàm tu ipſe modò ajebas. Quamquam revoco me: quid enim ex iſto tuo ingenio ad muſas nato prodire unquam poſſit, quod non ſit apprimè nitidum? Nempè, inquam ego, prædixi, tuâ mihi præſentiâ Muſas eſſe conciliatas: ut ut eſt tamen, tu boni conſulis amici, & Poëtæ loquacitatem. Et ille; imò verò iniſti à me ſolidam, & grandem gratiam, quod me à Vulcani foro redeuntem, continuò induxeris in hortos Muſarum.

Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favoni
Semper alit, ſemper cæleſti nectare paſcit.

Libenter enim apud te, Parthenie, Fracaſtorii verſus uſurpo, quem ſcio Poëtam à te plurimi fieri. Et meritò quidem inquam, nam in eo & Carminis majeſtas quædam fuit mirâ cum ſuavitate conjuncta, & prætereà ingenium variis excultum diſciplinis ad omne literarium argumentum alacre, ac promptum: quo etiam nomine te ſæpè mirari ſoleo doctiſſime Ceva, & frequenter in ore habeo. Intereà dum ſic ſermonem traheremus, intervenit qui rogaret, quàm mox juberemus apponi menſam? Cui

ego

ego : ſiquidem à Coquo nihil eſt moræ, præſto ſumus: quin optimum factu cenſeo, ſi corpora tempeſtivè curemus : ità enim otiosè licebit à meridie ad ſubjectum lacum deſcendere. Nempè, inquit Cæva, dicis Anianum (nam id opinor illi nomen eſſe). Propemodùm, inquam, atque ut arbitror, viæ nos minimè pœnitebit. Tum ille: mihi quidem, qui nunc primùm hùc venerim, nihil eſt, quod diſpliceat: diſpliceat autem? Imò, quod non miram afferat oblectationem: quocumque oculos converto, ſatiari non queo; neque jam miror Parthenie, te tàm valdè hoc loco delectari, eodemque libentiſſimè ſolere uti; abundat enim, ut video, iis rebus omnibus, quæ ad quietem animi, delectationemque quæruntur. Et ego: eſt ut dicis, Cæva; nec deripere mihi videor, qui, cum licet plures dies Neapoli abeſſe duro anni tempore, amœnitatem hanc ſequor: licet autem ferè bis in anno, recurrentibus ſcilicet feriis, tùm ſtativis, quæ θεοφάνια ſubſequuntur, tùm conceptivis, quæ præcedunt cineralia. Hîc Cæva intelligo, inquit, quam tu rem agas: nam verno tempore placet Herculanum, æſtate verò, & autumno repetis Surrentinum tuum : atque iſto modò ſat commodè diviſæ temporibus, locisque tibi ſunt apricationes. Tùm ego, non negaverim; dicis enim quod res eſt. Verùm alia quoque ſubeſt cauſa, quamobrem ſolâ hyeme placeant hæc loca : nam reliquis anni partibus noxia ſunt valetudini, atque mortifera. Ubi primùm aër incaluerit, hûc ſi divertas vel ad unum, aut alterum diem, actum eſt ilicet, periiſti. Ain' verò? inquit Cæva: ajo, inquam, ſeriò; atque utinam hoc frequens non comprobaſſet experientia infelici multorum fato. Mira narras, inquit ille, atque, hoc ſis vide; ut nihil eſt ab omni parte beatum! Nam quis crederet, locis amœniſſimis abeſſe tamen ſalubritatem? Atque adeò in Arâ (1) Volupiæ collocatum eſſe (2)Angeroniæ ſimulacrum? Proh rerum noſtrarum conditionem! ut verè dictum, quod vulgo eſt tritum, ubi mel, ibi fel! ſed quæſo te, Partheniæ, potes nè dicere, quo id vitio fiat, Cœli nè, an terræ ipſius? aut undè? Tùm ego; poſſum, inquam, neque tibi ejus rei cauſas ignotas eſſe puto; cum tu non in phyſicis minus, quàm aut in mathematicis valeas, aut in poëſi. Verùm his de rebus à prandio quæremus commodiùs, ſi videtur: Annuit ille; atque ità ſermonem abrupimus : nam Coquus ipſe tum ad nos gradiens : omne paratum eſt jam inquit; neque vobis ulla mora eſt intus; ubi lubet, ire licet accubitum.

(1) Voluptatis Dea, quæ ſacellum habebat Romæ, circà navalia, non procul à portà Romanulà, Varrone teſte, lib. 4. de ling. lat.

(2) Hujus Numinis ſimulacro ſacra à Romanis inſtituta ſunt cum anginæ morbo Civitas vexaretur: ab Angore tollendo ſic dicta.

CAPUT VII.

Mira quædam de Cryptâ canis ad Anianum explicantur.

INclinato in pomeridianum tempus jam die; ubi & ipſe, & ſuaviſſimus Cæva è ſomnulo excitati in Hypæthram convenimus; adfuit puer cum ſedeculis, & Fannius cum Teleſcopio, quò per id tempus Cœlo liberiore objectos Colles diſcriminatim, & commodiùs perluſtraremus. Cùm apage ſis, inquit Cæva mi Fanni; nolim hîc fruſtrà genialem diem tranſigamus ſine brevi aliquâ exercitatione, & motu. Quin Annianum verſus egrædimur? Ego (tùm Fannius) hunc tibi morem gererem lubentiſſimè, niſi binæ ad veſperam literæ, & multijuges, & plenæ feſtinationis mihi eſſent Neapolim ad Amicos mittendæ: ſed ambulatiuncula Parthenio noſtro (ut conjicio) jucunda quidem; tecum verò accidet jucundiſſima. Ità, inquam ipſe; mirum enim quantum & erudita cum amiciſſimo viro confabulatio animum reficit, & ad bonam valitudinem confert lenis, ac temperatus corporis motus, non concitatus ille, ac præceps, quo tolutim Fannius ſolet incedere; nempè (hîc ille) non teſtudineo, ut Parthenius, gradu incedo. At remoto joco, aſſumptisque, qui ad manus erant, bacillo, ac petaſo, vale, diximus, Fanni; apricatumque lento gradu perreximus. Dum verò nos collis Anniano imminens excepiſſet, in Annianum deſcendere conſtitueram: ubi Cæva, ſiſte, inquit; juvat hîc paulisper conſidere; nunquam enim poſthàc me ſimili amænitate fruiturum ſpero. Hinc colles, hinc lacus, hinc mare, hinc Neſis mirâ quâdam voluptate animum perfundunt, oculosque delectant. Quid ni? ajo, conſidamus, ut lubet; conjectiſque oculis in adverſam Cryptam, quam vocant Canis, quindecim circiter paſſus à ſubjecto lacu diſtantem, contigit in antemeridianum ſermonem rurſus incidere. Et Cæva, jam indè, inquit, à puero mira quidem certè de hâc cryptâ audivi; nam ſi ea canis aut ſpontè, aut vi compulſus ingrediatur, continuò obſtupeſcit, obtunditur, tremit totus, ſenſu, ac viribus deſtituitur, animamque agit miſerrimè: quòd ſi diutiùs ibidem detineatur, diſperit penitùs, atque interimitur: At verò, ſi dum occœpit intercludi ſpiritus, in lacum proximum ſit conjectus, revocatis ſenſim viribus, reviviſcit. Hoccine quæſo, compertum tibi ſatis Parthenie, atque undè, qua-

E' collibus, Anniano imminentibus amæniſſimus proſpectus.

quâve id ratione fieri autumas? Plura enim & jactitantur in vulgus, quæ vix ſedent animo; & in ore Philoſophantium verſantur plura inaniis oppleta, atque araneis, quæ rem futili verborum farragine involvunt magis, quàm explicant. Dic ſodes enucleatè, & candidè, ut ſoles, hâc ſuper re quid ſentias, Tu mihi Ædipus, tu mihi Apollo. Vide ſis, tùm ego, ut palparis blandulè, at iſtuc mihi perplacet. Ad rem igitur, rudis licet Hermes, accedo. Ut autem ſuo, id quod res eſt, ordine proſequamur, primò cryptæ originem, & quæ in eâ facta ſint mirabilia potiſſimùm experimenta; tùm quæ afferantur ab aliis effectrices mirabilium cauſæ; eam poſtremò, in quâ ſum ſententiam, præ-cæteris, ut puto, veriorem, tribus bolis expediam. Ad radicem objecti collis, ut vides, oſtiolum illud cæmentitium exiguæ caveæ adytum facit, in cujus extremâ parte lethalis ſpiritus ex humo ſurgit; modò uliginoſus, ac denſus, modò ſubtilis, ac tenuis, communique aëri perſimilis; quandoque violentus adeò, ut virgam, baculum, manumque ipſam reluctantem repellat; quandoque etiam placidus adeò, ac lenis, ut nè folium quidem per pauxillùm dimoveat. Teter hic porrò noxiæ Mephitis vapor parum ſe admodum tollit de terrâ, ac recidit illicò, quaſi vel nativo pondere deorſum feratur, vel obice præpeditus aliò ſibi quærat excurſum; indèque per cryptæ oſtium in apertam plantiem recta profluit, ac denique . . . . *tenues vaneſcit in auras*.

Cryptę vaporgra. phicè deſcribitur

Mirum profectò, hîc Cæva, neque id in Leucogeis montibus, neque in ipſo Vulcani Foro obſervatum aliàs memini: jis enim in locis, ut ut ad ſingulos fermè paſſus halitus erumpat ſpiſſior; ſurſum tamen, ut protuditur, molitur viam; nec deorſum, inſtar aquæ refluentis ex alto, reprimi ſpontè ſuâ mihi unquam eſt viſus. Sed perge ſis amabo, facilè hæc negotio veſtigatum iri per otium deinceps reor. Ita ſanè, tùm ego; alia nunc, & majora perſequamur, dum lubet. Udo maximè Cœlo, ubi præſertim flat Auſter, circa Cryptæ parietem, ac ſupra ſolum vapor ille concreſcit; itàque exudare undique guttatim conſpicitur, ut caveam circùm totam inficiat mador quidam, auſtero, ut ſcribunt nonnulli, ſapore, ac ſubviroſo; colore autem, ut ego ſæpiùs adverti, albido; ad ſulphureum non nihil accedente. Ad hæc ille: quæ malum! fuit amentia iſta, Parthenie, ut ſuccum hujuſcemodi quis delibaret; Ego pol attingere ne minimo quidem auſim digitulo. At, inquam, periculum in Brutis factum eſt primùm, eâdemque ratione ad cœtera, quæ mox innuero, cogno-

Udo Cęlo, & flante Auſtro cryptæ halitus concreſcunt.

ſcenda ventum eſt. Id verò adhuc non liquet, quo tempore, quo Authore, fatale Antrum exciſum; Neque à Romanis loci, rerumque peritiſſimis, quorum hîc & plena majeſtatis, vel in ipſis ruderibus extant paſſim veſtigia; & præclariſſima nobis de hoc cœlo, de ſitu, de Balneis, aquis, ignibus, ædificiis, cœteriſque rebus relicta ſunt monumenta, mentionem de eo factam uſquam inveni. At at, inquit, Cœva; meminiſti Parthenie, Cajum Plinium, ubi de miraculis Terrarum ſcribit, neſcio quas in agro Puteolano Charontæas ſcrobes commemorare; putaſne hoc illi Antrum, eo id temporis nomine inſignitum? Id enim verò tùm ipſe, nec affirmem, nec pernegem; aliæ quippè, & quàmplurimæ in Puteolano tractu Scrobes teterrimum exhalant ſpiritum, ut vulgò uſurpare illud non dubitem *Acherontis oſtium in noſtro eſt agro*. Plinii ſanè verba in mente veniunt; ſi quid fortè excidit, revocato me, ac ſuggerito. *Ignium*, ait, *tot locis emicantium perpetua tot ſæculis incendia: ſpiritus lethales alibi, aut ſcrobibus emiſſi, aut ipſo loci ſitu mortiferi, alibi volucribus tantùm, ut Soracte, vicino Urbi tractu: alibi, præter hominem, cæteris animantibus: nonnunquam & homini, ut in Sinueſſano agro, & Puteolano: Spiracula vocant, alii Charoneas Scrobes mortiferum ſpiritum exhalantes*. Papæ! inquit Cæva, ut rerum tenaciſſimâ polles memoriâ! Quin, inquam, ut ſenis defloccati jam exoleſcit. Sed ad propoſitum redeamus; quid certi ſatis, amabo te, ex recitatis verbis eruas pro re noſtrâ, niſi veluti per nebulam, ac divinando! cùm vel de ipſo Aniano lacu Veteres illi nihil ad nos, quod ſciam, monumenti tranmiſerunt. Quo autem adducti argumento putarunt nonnulli hîc olim Luculli Piſcinam fuiſſe, ſatis planè non video, At pace, inquit, tuâ, hoc loco Cæva, ſi te identidem interturbo, amiciſſimum Caput; Paucis ab hinc annis, cùm in Muſæo verſarer, venit ad manus libellus, neſcio quis, Auctoris nomen non ſuppetit, ubi de *Thermis angularibus* jejuna admodùm mentio: id tunc in animum induxi meum, ut crederem, eas eſſe Angulares Thermas; quæ ad Anianum erant: Collimavine? Ita enim verò, tùm ego: nam Magni Gregorii ævo ſalubres oppidò Aniani aquas curandis corporibus perutiles contigiſſe compertum eſt: Eâque itidem tempeſtate Thermarum Angularium nomine nuncupatas ex ipſius Gregorii Epiſtolâ apertiſſimè conſtat; ut & poſtea, Nortmannis *Anglanim Lacum*, barbaro idiomate vocitatum etiam tenemus; Antiquiores tamen neque de hoc Lacu, neque de Cryptâ, quæ proximè lacum eſt, verbum planè

ullum

ullum fecere; quod mihi certo, ni fallor, eſt argumento; aut hæc priſcis illis non cognitę, id quod veriſimile minùs apparet; aut quod verius cenſeo, ſub ea tempora & frequenti Terrarum motu, & præſentiſſimâ abditorum ignium vi convulſis maximè, atque corroſis montium viſceribus alias, aliaſque erupiſſe peſtes ex improviſo; quare hinc viſum ſubindè antiquos colles ſubſidere; hinc novos conſurgere: hinc egurgitari Lacus, hinc abſorberi. Neque id mirum; deſtrorſum quæſo, intende oculos; ambuſum hoc montis latus, horridum adeò, incultumque, conſitum olim Vinetis, arboribuſque conveſtitum adoleſcens, egomet vidi, rerum mortalium conditionem miſerimam! Ut dilabuntur in dies! Sed quorſum hec? Nempè ut tandem conficias, ita mortiferum hujus Cryptæ halitum, ut & alia Naturæ mira permulta, quorum fruſtrà hîc pervetuſta quærimus initia, non multis antè ſæculis per novos meatus ex intimo Terræ ſinu, ſubterraneis maximè ignibus ſenſim provehentibus exiſtere potuiſſe. Satin' id tibi quadrat mi Cæva? Et ille: pluſquàm ſatis; perge porrò: quàm multa enim te dicturum promiſiſti, quæ valdè vereor, ut hodiè ad umbilicum perducas. *Paulatim*, tùm ego, *non ſtatim decernitur*; ut eſt apud Plutarchum.

Si quæ ſuperant diſcutienda in aliud tempus commodiùs rejiciuntor. At age jam, & quæ vis eſt, & quanta atri vaporis è noxiâ Cryptâ erumpentis preſſiùs veſtigemus. Canis, ex quo Cryptæ factum eſt vulgò nomen, hiatus peſtiferi vim infenſiſſimam ſuo perſæpè quidem periculo, at non unus expertus eſt. Anſeres etiam, Fulicæ, Anates, Ranæ, Oviculæ, aliaque pecudum, & Animantium genera, quædam tardiuſculè, citiùs quædam eodem halitu extincta ſunt. (1) Deridiculum ſanè illud, quod de fatuo quodam homine, ibidem exanimato narratur. Hic enſe, & haſtâ munitus, quaſi cum hoſte congreſſurus acceſſit; cumque cominùs latebras, ubi hoſtis occuleretur, tentaret, ſeſeque ad pugnam jactabundus inſtrueret, inimicitias expertus occultas, & capitales, miſerabiliter jacuit. Nempè cum hujuſmodi hoſte, inquit Cæva, (2) Parthorum more pugnandum. Verùm quandoque, tùm ipſe, alii incolumes evaſere; at ille, nolim mehercule id meo comprobatum periculo, cum me cæteroqui non lateat, Aſinum, Caroli VIII. juſſu in ſtygiam hanc Scrobem immiſſum, ſtatim periiſſe. An quæſo hîc ego, mi Cæva, audiſti de Fannio, familiarem noſtrum, meticuloſum cumprimis hominem, apud Aſellos Siciliæ Scopulos, ſub Aſellorum ſigno natum, Aſinino fato vexari? Sed plura ille per jocum,

Halituum e' Cryptà erumpentium vis exponitur.

[1] Feſtiva de quodam Fatuo Hiſtoriola.

[2] Populus ferox in Aſià majori circa Perſas, qui fugiens arcu, & ſagittà ſtrenuè dimicabat.

cum, redeamus ad rem. Extractis inde Animantibus, aut ſemianimis, aut prorſus exanimatis animadvertunt nonnulli, aliis ſpumare os, aliis turgere: fides verò ſit penes ipſos; id enim mihi diligentiſſimè pervidenti deprehendiſſe contigit nunquam. Unum illud ex Nazario, viro medicæ artis peritiſſimo, cum eſſem Neapoli ſciſcitatus reſcivi: Demortuæ in hac Cryptâ Catellæ, ſtatimque diſſectæ ſeſe viſcera penitùs omnia rimatum, præter contractas paululùm pulmonis fibras, aliud nihil in cæteris comperiſſe; prætereà vidiſſe quondam ſe aiebat, immiſſas in Mephitim funales faces; candenteſque carbones, illicò extinctos eſſe; pyrium verò pulverem illicò accenſum. Hæc, aliaque permulta enarratis ſimillima perquirendæ potiſſimùm cauſæ anſam jam præbent. Ades dum igitur Cæva; Et ille: Antè, inquit, quàm ulteriùs philoſophando progrediamur, eum mihi, quæſo te, ſcrupulum evellito, qui jamdiù me pungit: Nullane revocandi virium ratio, niſi quæ de caveâ ſemiviva evaſerint Animantia, in Aniani aquas mergantur? Cui ego: Adeò ne fungus ſies, ut iſthæc facilè glutias? Satis ad rem fuerit, ſi in apertum aërem emiſeris; ſatiùs tamen, ſi vel effoſſæ recens telluri os Animantis admoveris; vel quâ lubet ablueris aquâ; quoniam verò proximæ Antrum ſtagnant aquæ; hinc perfacilè eſt iis uti; quapropter cecinit Quiniſius noſter.

Vir in Galenicâ ſcholâ doctiſſimus, & anatomicus inſignis.

Alia nonnulla experimenta, & quidem mira.

Non una, ut vulgus cenſet, viriū revocandi ratio, proxima cryptæ aqua.

Immerſas quoque fert vicinæ fama paludi,
Et motum, & vitam tacitâ reparare ſub undâ.

Intereà loci, adveſperaſcit jam Cæva: inſtitutum ſermonem domi abſolvemus; faceſſamus hinc properè; gravedinoſo enim Seni nocet aër ſerotinus. Ille, ultrò cedamus, inquit, & gradus etiam grandiamus, dum libet. Permagni quippè intereſt mea, te benè valere jucundiſſimum & mihi, & Muſis Caput.

CAPUT VIII.

Inſtitutus de Cryptâ Canis ſermo abſolvitur.

A' Brevi cœnulâ, quam ſcitè adornaverat Puer; ſtatim ad inſtitutum de Cryptâ Canis ſermonem revocavit me Cæva, & ipſe preſto ſum inquam, ut lubet, remque totam paucis expediam. Equidem, quòad necem attinet animantium, in eâ lethali ſorobe, illud puto conſtantiſſimè aſſeverandum, vi ſcilicet, atque impetu denſati halitus continenter extruſi, aëris reciprocatione ſublatâ, vitalem ſpiritum intercludi, miſeraque animantia, ſic denique præ-

præfocari. Quâ id ratione contingat, & quibus comprobem argumentis, planè, dilucidèque proponam. Si quid eſt, quòd ſatis non probes, aut non adamuſſim libratum noveris; tuum erit, mi Cæva, redarguere aſſerentem, rationumque momenta omnia rectâ lance perpendere. Nempè, hîc Cæva: Delphinum natare doceam? Perge ſis quæſo, & quam nactus es ſpartam tene. Cui ego, obſequar libentiſſimè. Et primò illud liquet, ut reor, cunctis animantibus, plus, minuſve opus eſſe aëris, ut Spiritum ducant, atque hâc, quâ fruimur aurâ veſcantur (prætereo hîc plantas, arbores, poma; ac flores, quibus, ut progignantur, ut creſcant, ut foveantur, ſpirabilis aër perneceſſarius oppidò eſt) neque enim aut vitalis ſuccus, aut ſanguis per membra dirigi, ac permoveri; neque aut viventium corporum fibræ, aut ex fibris nervi compacti, agitari, ſentire, ſuaque obire munia queant; quin tenuiſſimæ aëris particulæ aſſiduo per exiles corporum canaliculos fluxu, ac refluxu inſinuent ſeſe, diſcurrant, permeent, ac mutuo ſurſum prorſum trudantur. Atque id cauſæ fuit, cur è priſcis ſapientibus illud permulti affirmare, teſte Tullio, non dubitarunt, quod aër nobiſcum videat, nobiſque audeat, ſonet, loquatur; & quidquid vita, quidquid ſenſus exercent muneris, aër conficiat. Hinc facili, ni fallor, negocio fiet, ut quâ cumque tandem de causâ circumfuſus aër ſive rareſcat admodùm, ſive denſetur, animantibus maximè officiat; at ſi diù, vel tenuior laxetur, vel offundatur craſſior, ſpiritum penitùs prohibeat, atque intercludat. Jam verò ad rem noſtram. Spiſſi adeò, ac violenti (ut nuper experientiâ compertum diximus) è Cryptâ illâ halitus propelluntur plerumque, ut iniecti Canis, per os præſertim, ac nares, ſtatim immiſſi, craſſiora ſecum protrudendo Corpuſcula, è nitro, ſulphure, alumine, illicò aditus occupent, obſtruant meatus, ac ſpiramenta illa, per quæ, ut modò innuebam, liquidi aëris tenuiores particulæ affluere, atque ad perciendum ſanguinem, fovendamque vitam provehi deberent. Ex quo primùm animæ defectio; tùm præceps virium lapſus; tùm denique exiſtit mors. Neque id mirum, quòd pecudum aliæ citiùs, tardius ibidem aliæ exanimentur; nam nec omnes pari aëris aſpiratione indigent, ac ſuſtinentur, nec ore, ac roſtro ſunt æquè omnes in terram prono: nec denique eâdem ſemper violentiâ, & copiâ teter halitus ſursùm erumpit. Illud jam ſupereſt paucis enucleandum, quâ ſcilicet ratione, quâ vi vapor ille exigatur, & quo tandem manet ex fonte: num venenatâ, ac peſtiferâ, ſeu materiâ infectus,

Multiformis, ac mira aëris natura.

Cur pecudum aliæ citius, tardius aliæ examinantur ratio perquàm optima redditur.

fectus, ſeu qualitate ultrò citròque in Cryptæ anguſtiis verſetur; an ſerpat latiùs, ut complures graviſſimæ, eodem tractu, Mephites? Ades dum, quæſo mi Cæva, res eſt in vado. Cenſuit Pontanus noſter, mephites hujuſcemodi ex imis terræ viſceribus per apertas rimas, violento telluris motu, olim excluſas; ait enim.

Pontani hàc in re ſententia refellitur.

Spiramenta Soli quondam tremor ille recluſit,
Exhalat vis unde nocens per viſcera terræ
Conflictata diù, tetroque infecta veneno.

Nonnullæ Mephites citrà telluris violentiam exortæ.

Quòd ſanè etſi multoties acciderit, ut peſtes plurimæ hoc pacto eruperint, qualis illa præſertim Romæ, Marco Cornelio, & Lucio Papirio Craſſo CC, atque aliàs aliæ, ut narrant Villanus, Nauclerus, & Baronius præ cæteris; non id tamen aſſeverandum putem, ut eâdem planè de causâ, eâdemque prorſus ratione, terræ hiatus omnis, ac Mephitis extiterit. Noſtrâ hâc ætate, & in proximo Vulcani Foro, ad Veſuvii radices quàm multæ ſulphureæ exhalationes, halituſque peſtiferi, nullo terram concutiente motu expirarunt. Quid ergo hîc aliam quæramus cauſam, ubi ipſa ſatis ſe prodit? Circùm, latèque, à fronte, à tergo, à lateribus tot patent ſubterraneorum ignium ſpiracula, ut Phlegræos hîc agros jure poſitos Priſci autumarint. Nihil itaquè apparet facilius factu, quàm ut igneâ vi provehente incluſa peſtis emergat; quemadmodum fontes, & fluvii è terræ latebris, montiumque culminibus exiliunt perenni venâ; quod à me alibi, non infeliciter demonſtratum memini. Ut igitur per ſpiſſos terræ meatus, veluti per multiplices ſiphuncolos emicant aquæ; ſic & aluminoſæ ſulphureæ, bituminatæ, & metallicæ etiam particulæ, immodicâ ſubterranei caloris vi, excitatæ, excoctæ, atque commixtæ, quaſi ferventis ollæ fumus, vibrantur ſurſum: eòque exturbantur violentiùs, quò propior, ac præſentior eſt ignis. Hinc porrò illud eſt conſectarium, lethalem non ideò eſſe mephitim hanc, quòd venenatos halitus mittat; ſiquidem nihil tale unquam in jis brutis perſpectum, quæ indidem vel ſemimortua, vel extincta penitùs Cryptæ cuſtos retraxit; altera quippè, animâ mox receptâ, firmis, ut anteà viribus ſaltitare; ludere, oblatrare cæperunt: altera, ut ſtatim, ut poſt pauxillum temporis diſſecta ſint; nulla tamen veneni nota, nullum ſimile in extis vitium compertum eſt; quin potiùs eam, quæ Ranarum hepati ſubeſt, veſiculam, compreſſo aëre turgidam non ſemel inventam eſſe, retulit ad me Nazarius, qui hæc omnia diligentiſſimè ſcrutatus eſt. Id quod multùm profectò, ni falſus animi ſim, firmat, quod ſentio. Quid tu interim. Cæva?

Mephitum fons, & origo aperitur.

va? Satin' quadrat; quæ hactenns curſim, ac temerè in rem congeſſi? Planè tùm ille, apud me non probabilia modò, ſed probata omnia; atque, ut mecum ipſe cogitaram, explicita. Unus tamen, qui per te evellatur, adhùc pungit me ſcrupulus: quid nimirum cauſæ ſit, cur hujus Cryptæ halitus, ut bellè hactenus indicaſti, vicinarum mephitum vaporibus ſimillimi tanto ſint detrimento; nulli verò qui proximè, ac præſertim è Vulcani foro emittuntur? Hanc mihi è mente dubitationem nunc velim amoveas; mox enim nulla me ancipiti hâc in re dubitatione diſtractum lubentiſſimè profitebor. Iſtùc ibam tum ego; atque ecce tibi clarior luce ipsâ meridianâ hujuſce diſcriminis ratio. Quippè conſideranti manifeſtum eſt; in mephitibus cæteris, & præcipuè in Phlegræo foro ab aperto aëre ventiſque jactari vapores; hinc verò fieri quis non videat, ut vis omnis, omniſque impetus, quem ad obſtruendos meatus corporis ſimul acquirerent, peſſum omninò eat? Quandoquidem exhalationibus diſſipatis reſpirationi conſentaneus aër nullo negotio captetur. Quamvis etiam. ut verum aperiam, ubi ab ingenti voragine illa vaporum peſtis denſior erumpit, proximum animal, & paulatim concidere, & deindè mori, experientia magiſtrâ, certum nobis eſt; id præſertim temporis, cùm vel nulla, vel debilis ſpirat aura. Quid? nonne ad ipſum apertè in Aniani aquis accidere in diem videmus? Hîc eædem exhalationes, ex quibus paſſim æſtuat lacus, elevant ſeſe; quia tamen in æthere diſſipantur, nihil incommodi Scaphâ undas ſcindentibus afferunt. Hic Fannius, admotâ propiùs menſulam ſellâ: hæc, inquit, omnia pro comperto habeo; at meam & ipſe, dum lubet, ſymbolam affero. Cui ſtatim ego, & Cæva: afferto, & ut ſoles, baſilicè; ne unus ſedeas ad cœnam a ſymbolis. (1) A' Plinio (tum ille, neſcio quem in Hirpinis Anſancti ad Mephitis Ædem, lacum, quem qui intravere, ſubitò emoriuntur, memoratum legi; de qno etiam Maro: quem lubens recolo

Eſt locus Italiæ in medio ſub montibus altis
Nobilis, & famâ multis memoratus in oris:
Anſancti valles; denſis, hinc frondibus atrum
Vrget utrinque latus nemoris, medioque fragoſus
Dat ſonitum ſaxis, & torto vortice torrens.
Hîc ſpecus horrendum, & ſævi ſpiracula Ditis
Monſtrantur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Peſtiferas aperit fauces, queis condita Erinnys
Inviſum Numen, terras, Cœlumque levabat.

Eâdem nè, qua hactenus ratione de hoc Anſancti lacu diſſerendum putemus? Ita enim verò tùm ego: illam

(1) Mephitis, Dea habita eſt apud antiquos, cujus Templum, & ad Cremonam, & hic, & alibi fuiſſe liquidò conſtat. Sunt, qui Deum cunjunctum Leucothoæ fuiſſe fabulantur: ſunt qui Iunonem ipſam eſſe exiſtimant. Certè Deũ eſſe graviſſimi odoris veteres autumarunt.

quippè in Hirpinis celebratam ſatis Mephitim noſtræ huic ad canis cryptam novi perſimilem. Quamvis ea latiùs fortaſsè olim, ac vehementiùs cùm ab aquis, tùm ab ipsâ ripæ crepidine ſurſum erumperet. Livet cæterùm à triſti halitu ad paſſus XI. ut legiſſe me memini, exiguæ lacunæ aqua, tamque graviter olent emiſſi vapores, ut virosum ſulphuris fœtorem reddant, ubi id cum Gagate, Aſphalto, alioque id genus bitumine miſtum excoquitur, At at, hîc Fannius: in mentem venit lectitaſſe me olim, hauſtas non ſemel ex eo lacu aquas, perfrigidas oppidò inventas eſſe. Quî ergo fiat, ut igneâ vi, quemadmodum in cryptâ canis, eructentur noxii halitus; aqua verò ad minimùm non tepeſcat? Ad rem ſanè rogas mi Fanni, ſtatim repoſui; verùm in promptu eſt cauſa. Hinc minus, illinc plus diſtet oportet incluſus ignis, quo agente, ſalſæ foſſilium particulæ per telluris rimulas vehuntur ad imum lacum; undè hàc illàc violenter extruſæ aquas proturbant, atque ebullire mirum in modum compellunt. Hoc loco Cæva: rem acu tetigiſti Parthenie: nam ſimile quid refert Chircherius noſter de putridis quibuſdam aquis in Hetruriæ villâ, propè montem Politianum, ubi, cum plus æſtuare videntur plus frigent. Idem, & mihi in Peruſino campo: idem in Viterbienſis agri fontibus, retroactos per menſes contigit periclitari. Neque id mirum profectò: Iidem enim, ut benè innuiſti; ex nitro, ſulphure, aliiſque foſſilibus acuti ſales, qui æſtum creant, creant & frigus: Nonne id tibi certum? Et ipſe, certum ſatis, exploratumque. Intereà loci ſic Fannius: Hinc fortaſſis illud erit Parthenie, quòd vehementiſſimo ſpiritu concitato, halitus illi lacuſtres aquas ad ſex, & amplius palmorum altitudinem tollant, aëremque peſtiferum latiſſimè circùm diffundant; quo certè, ni caveant, ac longiùs abſtineant; homines præfocantur. Ità ſanè, hîc ego: quinimò bruta animantia, Aves potiſſimùm, ubi ſuper lacunam fortè evolant, eodem halitu exanimantur; undè Averna nobis, & Græcis Ἄορνα dicta ſunt loca hujuſmodi; quòd nempè avibus adverſantur: Id quod perbellè, ut de proximo Averni Lacu, ità & de Anſancto cecinit Jovianus:

Spirat ad Anſancti vallem ſpecus, hinc procùl, & grex
Et paſtor divertit iter, procul evolat ales,
Incidat in ſævam pennis'nè lapſa Mephitim;
Et cadat infelix ſubitâ exanimata ruinâ.

Hæc habui, quæ temerè in rem hanc diſſererem. Cæterùm, ſi quæ altiùs repetenda occurrerint, aliàs fortaſsè diſcutiemus. Jam nunc, quoniam caput identidem inclinare occœpit Fannius, cubitum concedamus,

HYEMUM PUTEOLANARUM

LIBER II.

CAPUT PRIMUM.

Amici hoſpites excepti : ſermo varius de novâ operum editione : tùm Mœcenatis perhonorifica mentio facta.

RЕcurrebant anniverſariæ Natalis Chriſti feriæ, quo tempore ſilent Scholæ, atque intermiſſo ſtudiorum labore, licèt eſſe otioſis. Per eos igitur dies cum eſſem in Puteolano, venerant ad me Lævinus, & Cotta, qui tamen profecti Neapoli cum primâ luce, Puteoloſque multo antè meridiem advecti, monumenta quædam, atque antiquæ majeſtatis veſtigia priùs circumluſtraverant, quàm ad me diverterent : nam eo conſilio matutini diſceſſerant, ut eſſet otium viſendi ea loca, quæ, ruderibus adhùc ſpirantibus dominæ quondam Urbis ingenium, teſtantur veteres Romanorum delicias, & ſumptus. Nec verò metus erat illis, ne fortè me imparatum opprimerent, adventuque nec opinato amicum torquerent: ipſi enim non aſymboli accedebant; imò quid boni ſecum portabant! Quare bis gratum fuit, quòd ſic veniſſent. Eos ego perhumaniter complexus introduxi domum:

atque ut erant laſſi de viâ, juſſi pauxillùm acquieſcere, dum ſe curarent. Intereà ſermo varius, & multus viciſſatim, ut fit; qui dum alius ex alio ſeritur, tandem eò eſt perductus, ut ex me Lævinus quæreret de novâ meorum operum editione, quam parabam; quo loci res eſſet? an jam in manibus? an traherem? audiſſe enim ſe non ſemel, eruditos totâ Europâ viros hoc expectare, moramque adeò non patienter ferre: cui cum ego reſpondiſſem, primo quoque tempore manum operi me admoturum, poſtea quàm puteolanas hyemes, quibus identidem ſubſecivas dabam horas, abſoluiſſem; Excepit Cotta: Næ tu, Parthenie, ni me fallo, minimum eo in opere laboraveris. Qui ſic iſtuc ais? inquam ego. Et ille: cum habeo rationem temporum, puto celeriter opus perductum iri ad umbilicum: quoniam enim perbreves hyeme ſunt dies, prolixa eſſe non poſſunt quæcumque iis diebus dicta, vel facta narrantur. Ad hæc Lævinus, jocari nunc, ut ſæpè aliàs, Cottæ huic placet; quin homini ſuccenſere nolo; quandoquidem, ut anni tempus eſt, minimè aliena videtur iſthæc ψυχρολογία: Sed ſi me rogas, Parthenie, velim poſtremam hanc anni eruditi partem eſſe cæteris ampliorem: nam ut Ariſtophani Archilochi Jambus, ſic mihi tua ſcripta longiſſima quæque optima videntur. Tu modò cæptum opus ne abiicias, ſed quàm potes ocyſſimè conſice: ſatis te magnam initurum ab amicis gratiam; imò à Doctis quotquot ſunt viris: atque hoc non opinione ſolum dico, ſed interfui ſæpè ſermonibus; noli enim putare quicquam à me nunc tuis auribus dari: loquor ἀφελῶς quæ ſentio. Sub hæc ego: Non me fugit Lævine, tui candor animi: quare ut fidem facias, non pugnaveris. Quod autem me hortaris, currentem tu quidem; ſed ætatem reſpice, quam habeo ſanè in metu: Equidem adnitar pro viribus; at vereor, ut poſſim. Sin autem: lampadem hanc aliis tradam. Quid enim? Quemadmodum olim in paleſtrâ defatigatus curſu tradebat integro facem: ita gravis ego jam annis, ac delaſſatus partes meas quaſi ſucceſſione in alios abs me transferam: neque tu, puto Lævine, deeris amico, neque iſte etiam Cotta, qui mihi ſuccenturiati, ubi ſit opus, alter ambove, reliqua ſuppleatis. Cum hæc dixiſſem, ſtatim Cotta, bona verba, inquit: nam quid tu iſthuc ais? atque ut cum Homero tuo loquar, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; abſit omen: Superi te nobis, Parthenie, quàm diutiſſimè conſervabunt: hoc illos ego, hoc amici orant omnes: imò proprios ipſe tecum annos contribuere, vellem libentiſſimè, ſi liceret.

Parthenii nova operum editio, omnium votis expectata.

Tùm

Tùm ego : de iſtâ in me tuâ humanitate, vel pietate potiùs, valdè amo te, mi Cotta, gratiamque porrò habeo, quam debeo, maximam : Verùm homo cum ſim, atque id jam ætatis, humanos, qui tàm multi ſunt, caſus animo ſubinde volvere honeſtum puto : ſi nihil aliud, certè longam inchoare ſpem à naturâ ipſa vetor : tùm vires penè exhauſtæ miſſionem petere honeſtam jure quodam ſuo videntur. At vos Lævine, & Cotta, quibus integer ævi eſt ſanguis, & ingenii ſatis, & bonarum artium cognitio plurima, vos, inquam, decet nunc jam illud cum laude ſpatium decurrere, cujus ego calcem à me non longè video abeſſe : quò quidem me proficiſcentem, retrahi, aut revocari, vel ſi ſit integrum, mihi credite, recuſem. Equidem cum cogito, præteritique temporis memoriam repeto, vixiſſe videor naturæ ſatis; & ſi ita vultis, non nihil etiam gloriæ : certè vitam traducere ità ſum conatus, ut nec me vixiſſe in deſceſſu pœniteret; nec fruſtrà me natum Poſteritas, præſertim literata, exiſtimaret. Nam dabitis hanc, puto, veniam, ut de me ipſo aliquid more ſenum glorier. Tùm Cotta : hoc tibi quidem, Parthenie, licet, nobis ultrò aſſentientibus : quamquam vel te tacente, loquuntur libri, quibus tantam es gloriam conſecutus, quantam haud ſcio, an alius optare auſus eſſet.

Parthenii opera ſummis totius Europæ *plauſibus* excepta.

Quare quod poſtremo loco dixiſti, habes in eo nos (ut etiam pro Lævino pollicear) minimè repugnantes. Superiora verò illa probare non poſſumus. Quid enim? nos ut tibi ſuccedamus in opere aliquo perficiundo? at vide, obſecro, quos, & cui ſubroges : neque eſt, quod ætatem devexam excuſes : noſti enim ſcitum illud; leonis ſenectam præſtantiorem eſſe hinnulorum juventa. Perge igitur, & promiſſas jamdiù hyemes expedi : nam audio illas non modo expectari, verum etiam efflagitari, præſertim à Germaniâ. Sub hæc Lævinus; me reſpectans, inquit, æquiſſima eſt Cottæ oratio; cui mea quoque *ἐγκελεύσματα* volens addiderim : ad nos autem quod attinet; erit perhonorificum, ſi tuis nos aliquando ſermonibus intexere voles, ac loquentes introducere tanquam Eclogarios. Sed quoniam incidimus in Germaniam, ſine, quæſo Parthenie, me hic ſermone aliorsùm digredi : erit autem, ut ait Thucydides, *ἐκβολὴ λόγου* non inutilis : Nam venit in mentem percontari de tuo Mœcenate; quamdudum factum ſit, cum ab eo literas accepiſti, aut quid perſcribat; audivi enim cum ſæpè aliàs, tùm ex Fannio paucis abhinc an diebus? an hebdomadis? Virum hunc præclariſſimum ita mirum in modum tuis libris oblectari; ut eos elabi de manibus

Maximè in deliciis ſunt Antonio Rambaldo Mæcenati meritiſſimo.

ferè

ferè nunquam ſinat : tùm favere tibi plurimum ; atque epiſtolas ad te ſcriptitare, pleniſſimas amoris, ac benevolentiæ ſignificationibus. Tùm ego : veriſſima tu quidem, inquam, audiſti Lævine ; Verùm quota pars hæc eſt ejus in me meritorum ? noli putare quemquam eſſe hominem, cui plùs debeam : atque utinam par pari poſſem aliquando, reſpondere. Sed hoc benè, quod ſummi viri laudis in partem ducunt, beneficium apud eos collocare, à quibus vicem rependi nunquam poſſe cognoſcant. Nempè hic ille eſt, ſubjecit Cotta, cui tu Naumachica tua προσφωνεῖς. Et ego : is ipſe : acciditque percommodè, ut poſtremus hic Muſæ noſtræ partus, quem Proculum dixeris, quòd Patre jam ſene, & ætate procul prægreſſo natus eſt, in hujus Principis tutelam traderetur : ab eo enim, quam à me fruſtrà ſperaret, vitæ diuturnitatem habebit : quin aut ego fallor, aut certè licet cum Marone noſtro affirmare, nec Muſis, nec Phæbo gratior ulla eſt, quam

Quamplurimę ab ultimâ Germaniâ literæ, amoris plenæ Parthenio datæ.

Naumachia, poſtremus Partheniæ Muſæ partus in grati animi ſignificationem Rambaldo dicata.

Quæ ſibi Rambaldi præſcripſit Pagina Nomen.

Hic Lævinus, factum benè, inquit : gaudeo, tibique etiam gratulor, Parthenie, quod Mæcenatem ejuſmodi nactus ſis, ut ne Maroni quidem ipſi debeas invidere ſuum. Quamquam, ut arbitror, nec Rambaldus Maronem invideat Mæcenati. At ego : parciùs iſta lævine, inquam : Tu enim, quod mihi tantum tribuis, quantum ego nec agnoſco, nec poſtulo, facis fortaſsè amicè ; ſed non rectè judicas de Marone, ſi quemquam illi comparandum putas: verùm iſta valeant, mecum certè præclarè agitur, quòd qualis qualis, tamen Mæcenati meo non diſpliceo : qui præterea non dedignatur ſibi mea omnia inſcribi, quæcumque hactenus ſeu proſâ, ſeu verſâ oratione dictavi ; atque animadvertis credo, quanta fiat opellis noſtris acceſſio dignitatis, ac famæ, quod in ejus nomine appareant. Non diſſentio, inquit Lævinus : nam quis non ſibi maximè glorioſum putet, fautorem habere ſummum Virum ? At quem Virum ! inquam ego : mitto nunc nobilitatis, doctrinæ virtutiſque commendationem, quibus omnibus ità præcellit, ut Germaniæ ſuæ magnum ſit ornamentum, atque hujus ætatis noſtræ decus eximium : non enim deerit occaſio, cum iſta vobis explicatiùs eloquar. Facies verò, inquit Cotta, rem utique gratiſſimam. Sed quæſo te, dum hoc illi tuum de inſcriptione conſilium ſignificaſti, quo is animo accepit ? Rogas ? inquam : quo magnificentiſſimus quiſque, idemque amantiſſimus ; imò literis me perhonorificis urgere nunquam deſtitit. Equidem, excepit Cotta, cum intelligam te tanti ab eo fieri, non miror tanto ipſum

ope-

opere à te coli : quod enim ſic fers in oculis, mutuum facis. At etiam illud mihi facilè perſuaſerim, Mecænatem tuum ſatis intelligere, ſuum in tuis libris nomen non interiturum nunquam: & certè Lucanus.

Vivet, & à nullo tenebris damnabitur ævo.
Nam ſacer, & magnus Vatum labor, omnia Fato
Eripit, & populis donat mortalibus ævum.

Tum ego : rectè tu quidem ex Lucano refers. Verùm ut à Lucano tuo ne diſcedam :

Non hoc Partheniis fas eſt promittere Muſis.

Si quid tamen apud poſteros famæ conſequentur libelli noſtri, quamquàm quid eſt, quod meritò, ac jure ſperent? Verùm ſi quid : certè mihi gratum eâ de cauſâ maximè fuerit, quòd mecum unà Rambaldi nomen legatur. Eſt quidem illi gloriæ tantum, quantum, & avita Majorum nobilitas, & ſua ipſius virtus propè ſingularis valent efferre; ſed quoniam acceſſionem ex me fieri non nullam famæ ſibi poſſe arbitratur, equidem non committam, ut meum hac in re deſideretur officium: Nam præter quàm quod illi gratificor, præterea efficio, ut ingratus ne videar; Quin lucro appono, quòd pro ejus in me benevolentiâ non vulgari, liceat mihi gratiam referre aliquam iſto munere levidenſi; nolite enim exiſtimare, me ſic eſſe illi devinctum, ut poſſim aliquando diſſolvere : profectò vir humaniſſimus obligatiorem me ſibi reddidit, quàm ut meum nomen ex ejus Diario poſſim unquam expungere. Ad hæc ſubjecit Lævinus : Virum tu narras, Parthenie, omnium benevolentiâ digniſſimum. Imò & admiratione inquam, & obſequiis; Vos verò, quamvis magna jam veſtra de eo eſt opinio : pluris hominem feceritis, mihi credite, ſi quas ad me ſcribit humaniſsimè literas legeritis. Quin igitur, inquit Cotta, exhibes modò, ſi ſunt ad manus? Ego verò inquam, non gravatè : Sed hæc in poſtmeridanum tempus, ſi videtur, reiiciamus : nunc, ut videtis, alia curare oportet. Aſſenſit uterque : cumque ità condicere placuiſſet, omnes unà ſurreximus è loco, quo ſedebamus.

Breve ſed ſplendidum Rambaldi Mecænatis encomium.

CAPUT II.

Intermiſſus de Mecænate ſermo reſumptus à meridie; atque ejus Epiſtola recitata.

ALtera vix hora proceſſerat à prandio, cum hoſpites ad me adeunt, promiſſi fidem repoſcentes. At vos, inquam,

quam, ut video, exactores eſtis minimè negligentes: mihi quidem non moleſti; neque aliis credo; verùm quin aſſidui ſitis, atque acres, non dubitaverim: Profectò ſi quis quid pollicitus fuerit, aut debeat, flagitatores adſtatis uſque antè oſtium. Nos verò, inquit Lævinus, rogatum te venimus, non flagitatum: Quòd ſi hoc ipſum ſubitum eſt nimis, mihi planè ſuccenſere non debes, verùm Cottæ huic, in quo culpa reſidet omnis. Nam ego quidem me ſuſtinebam, ne ad te priùs ipſe venirem, quàm à te accerſerer: iſte verò teneri non potuit, quin continuò advolaret. Tùm Cotta, bonam, inquit, orationem, Lævine, incæptas: illud præterea ſapienter, quòd culpam, ſi qua eſt, omnem à te amoves, in me rejicis; quaſi verò non tu etiam fueris particeps Conſiliarius. Meminiſtin' imperatum à te mihi, dum in cubicula diſceſſimus meridiatum, ut ne ſinerem te diutiùs conquieſcere; ſed uti poſt horam dimidiatam adveniens abrumperem ſomnum? Et ille, memini: at non ego author fui, ut continuò ad Parthenium, nullâ morâ interpoſitâ, veniremus. Quid ais? an & hoc imperatum? Cotta verò: bona verba, inquit, quaſi tu modò dicas, te coactu, atque efflagitatu meo veniſſe; credo, veritus ne pallium ſcinderem, ſi recuſares: at tu, ſiquidem videbatur importunum, non ires. Dum ego ſubridens, παύσασθε inquam ἐρίζοντες πρὸς ἀλλήλους, tantum enim abeſt ut vos ego nunc adveniſſe moleſtè feram; etiam ultrò expectabam: ite enim hâc mecum intrò in coquinam, ubi juſſus Puer ſorbitiones apparare, tùm arabicam, tùm mexicanam; ut ſit optio, utram uter malit aſſumere. Nam ea, quorum gratiâ me conveniſtis, poſteriùs vîdebimus, nunc, ſi placet, hoc agamus. Benè vocas, inquit Cotta; tùm gratia eſt, eamus ergo, quando ita jubes, atque hauriamus quàm ocyſſimè; animus eſt jam in Epiſtolis. Imò verò, inquam, placidè, atque otiosè; noſti enim, ut potiones ejuſmodi ne bibere quidem liceat, verùm abſorbere; nam quæ nimis calent, amburunt guttur, ni ſorbillando ſumantur. Poſt hæc, cum omnia preſtò eſſe Puer indicaret; agite jam, inquam ego, movete manus, en Puer miniſtravit: & quoniam non omnia ſapiunt omnibus, utram tu Lævine mavis potionem, ex Arabiâ, an è Mexico? Et ille: altera quidem jucundior, ſed altera gratior mihi eſt, quia ſalubriorem experior: quare cum Arabicâ potiùs facta mihi res erit. Benè habet, inquit Cotta: potio eſt optima, ſed non mei ſtomachi; præopto Mexicanam. Tùm ego, res convenit belliſſimè: unuſquiſque vivit ſtomacho ſuo. Proindè vaſculum tu

tibi

tibi, Lævine; ſumito anſatum illud: alterum tu Cotta ſpumans, & coronatum. Interea dum ſorbillarent, pupæ, inquit Cotta, ne ipſi quidem Mexicani, aut Hiſpalenſes, puto, commodiùs propinaverint, Quin & Oſcyphia ipſa, quàm Lævia! quàm prætioſa! Certè nec vili de pulvere nata ſunt, nec noſtri gloria Cœli. Cui ego: ſatis urbanè tu quidem Cotta; ſed rectè autumas de vaſculis; nam è Japoniâ terrâ eſt uſque illud filicatum, binisq; munitum anſis: hoc verò, quod in manibus tute habes, eſt è Sinicâ regione. Tùm Lævinus; ne tu, Parthenie, præcioſus emptor es; ejuſmodi enim fictilia in pretio eſſe apud noſtrates audio. Sunt, inquam Lævine; at mihi ne minimo quidem fuerunt ſumptui; dono enim accepi ab amico; ne tu nunc putes me quidquam contra leges ſumptuarias admiſiſſe: nec verò ſum ex eorum numero, quibus nihil adlubeſcit, niſi quod elegans, quod exquiſitum eſt, atque abhorrens ab uſu quotidiano, genus planè hominum faſtidioſum. Nam ſcin' cur iſta tanti vulgo fiant? nempè quia rara ſunt apud nos: Etiam, Cotta ſubjecit: veriſſimè enim χυδαίῳ *verſu omnibus in ore eſt, quod rarum carum: vileſcit quotidianum*. Veriſſimè, inquam, facit namque faſtidium copia, & neſcio quomodo frigidius amamus ſemper ea, quibus ubi libeat, potiri fas eſt. Imò quod mirere magis, vaſa de noſtrate luto ficta tantidem ſunt apud Indos, imò fortaſsè pluris etiam, quàm quanti ſua ipſorum à nobis fiunt. Legi ego epiſtolam Goâ miſſam à quodam è noſtris, qui profectus Neapoli habebat iter ad Sinas: in eâ ſignificabat is, optare ſe, ut cùm primùm commodè fieri poſſet, ſibi aliquid è noſtris fictilibus mitteretur Goam: addebatque permagno ibi æſtimari, præſertim ea, quæ tàm affrabè] picturata è celeberrima (1) Gruis (2) figlinâ procedunt: noſtis puto, aut de hoc Vaſculario inaudiſtis aliquando. Cui non notus? reſpondit Lævinus, Sed nos pe regrè Goam uſque profecti, verior ut in tempore domum redeamus. Nihil facilius, tum ego; neque enim pedibus iter hujuſcemodi facimus, ſed mente; atqui, ut optimè Pelignus Poëta

(1) Fracifcus Gruis, Vaſcularius inſignis totàque Italià celebris.

(2) Figlinas primus invenit Choræbus Athenienſis,

Illas per immenſas ſpatiatur libera terras;
In Cœlum celeri pervenit illa viâ.

Dùm ad me Cotta: eò igitur, unde ſumus digreſſi, revertamur; ac Mecænatis tui literas, ut convenerat, videamus. Ego verò: memorem mones Cotta; non enim ejus rei me cæpit oblivio: atque unas non multo ab hinc tempore ad me datas mecum habeo; illas perleges; nam reliquas Neapoli ſervo: quid enim hùc perferrem? poſt hæc

epiſtolam de ſinu profero, & Cottæ in manus trado: Ille verò cupidè arreptam ſic voce clarâ cœpit recitare.

Rambaldus Parthenio Sal.

Mirabar ſanè. Parthenie ſuaviſſime, quid eſſet, quamobrem tamdiù nullæ mihi à te redderentur epiſtolæ. Nam ego, cum anteà reſpondens tuis unam, atque alteram ſcripſiſſem; poſtremò tertiam dederam ab hinc menſes ferè tres, Et quamquam certi nihil habebam quod putarem; tamen fateor, me illa cura ſolicitabat; nec deſinabam (ut fit in amore) ea, quæ minimè vellem, cogitare. Sed tandem hanc ex animo curam amovit Epiſtola tua jucundiſſima prid. Nonas quintil. ad me data: Ex eâ enim intellexi, ſuperiores meas intercidiſſe, minimeque in tuas veniſſe manus. Quod quidem, quamquàm moleſtè fero, tamen patiar: quidvis enim potiùs, quàm ut aut minus bellè valeat Parthenius, aut mei curam abieciſſe videatur. Tu verò de tuis literis noli fatum ſimile vereri; quas enim ſcriptas à te mihi ſignificas ad hanc diem, eas ad me omnes, quamquam ſerius aliquanto, tamen perveniſſe ſcito. Sed jam literarum inter nos commercium poſthàc ſpero fore certius, ac facilius, cum ego me Viennam Auſtriæ receperim, ubi aſſiduus ferè commorabor. Quare jam literas à te frequentiùs expecto. Interea Opus, quod, ut puto, jam eſt in manibus; perſequere, obſecro: vix enim dicam, quanto ejus teneat deſiderio; de eo igitur tantum, quantum me amas, velim cogites.

Hic Lævinus anagnoſten interpellans; amabo te inquit, Parthenie, quid iſtuc eſt operis, quo de agitur in Epiſtolâ? Quodque tantoperè commendari tibi audio? num editie tuorum operum? Cui ego: non longè abis; imò id ipſum eſt: at vide, quæſo, quàm humaniter, quàm officioſe? Tùm ille: tibi ego quidem invidere, pro meâ in te vetere obſervantiâ, minime debeo; potius gratulor ex animo; Et ego: quin, inquam, ſi reliquas ejus ad me literas videris, miraberis planè, cùm illius eximiam quandam, & admirabilem voluntatem, & ſingularem erga me amorem proſpexeris; atque utinam, quemadmodum mutua literarum officia impedire non poteſt locorum intercapedo; ità ne quotidianam quidem conſuetudinem impedire poſſet! Tùm ille: poſterius iſthuc dicis Parthenie, quàm credo tibi: Sed pergamus, quod reliquum eſt, epiſtolæ pellegere: agedum Cotta, recita modo. Cotta vero, qui totam oculis epiſtolam percurrerat intereà, dum ego, & Lævinus interloquebamur: Altera, inquit, jam pagella procedit, quæ certè animos perturbabit; nam, ut video, triſtes affert

nuncios. Tùm lævimus: hem! Quid triſtes nuncios? An non rectè eſt Mæcenati? Jam enim ipſe, Parthenie, ſic hominem diligo, vix ut tibi concedam: nam quis non diligat ſummâ cum dignitate conjunctam humanitatem tantam, quantam tu modo commemoraſti? Cui ego, & meritò, inquam, ille tibi in amore eſt, & tuam iſtam tu benevolentiam pulchrè locas: Verùm ad epiſtolam, ſi placet, redeamus. Ibi Cotta lectionem perſequens ità perrexit.

Ego interim, mi Parthenie, graviſſimo in luctu ſum, ac dolore premor tanto, quantum obitus dulciſſimi filii Parenti amantiſſimo poteſt afferre. Scito enim nono Kalend. Sextil, alterâ poſt meridiem horâ filiolum mihi ereptum eſſe Rambaldum nomine; nihil illo mihi erat in humanis charius; quare nihil jam triſtius eſt ejus erepti recordatione. Obiit Pirnitzii Moraviæ, oppido ditioni meæ ſubjecto: vix menſes decem in vivis fuerat, cùm præmaturo fato ſublatus eſt. Heu! floſculus tener in ipſo exortu ſucciſus. Sed parco pluribus, ne doloris vulnus recrudeſcat. Cum illo quidem præclarè actum eſt, qui ne cognitis quidem vitæ miſeriis, evolavit ad ſuperos. Mihi verò, qui eum ferebam in oculis, quid animi eſſe cenſes? Ignoſces igitur dolori meo; & quæ levare luctum poſſunt, pro tuâ in me benevolentiâ, non gravaberis adhibere, adhibebis autem, ſi curaveris, ut ejus nomen in tuis libris diù ſuperſtes vivat: honorem illi, tu quondam, dum viveret, verſibus elegantiſſimis magnum tribuiſti; eidem nunc rapto inferias afferre, ac ſepulcrum decorare ne pigeat: hoc enim officio ſimul afferes mihi levationem ægritudinis; cujus, mihi crede, erit hæc ſumma levatio; ne dicam, una. Ego, ut inter lacrymas potui, verſiculos feci nonnullos, inſcribendos videlicet ſepulcro; quaſi teſtes amoris, dolorisque mei: eosdem hîc adſcribere, tecumque communicare viſum eſt; Æreâ igitur Arculâ condendo corpuſcolo deſtinatâ, hoc habet ἐπιτάφιον

In terris Rambaldus eram. Mortalia denis
Menſibus: æternûm Cœleſtia regna tenebo:
Vosque Pater, Materque, dolor, queis pectora torquet
Intempeſtivi diſceſſus, parcite veſtris
Fletibus. Omnipotens dederat, meque abſtulit idem.

Urnulæ verò plumbeæ, ubi viſcera ſeorsùm conſervantur, inſcriptionem appoſui ſequentem.

Collaltæ ſpes magna domus, pulcherrimus olim
Rambaldus, natus vix erat; occubuit.
Viſcera cujus adhùc hæc arcula plumbea ſervat;

Cuprea corpus habet tumba; Animamque Deus.

Placuit iſta ſic ad te familiariter perſcribere; non quod ea tanti faciam, ut tuo digna conſpectu judicem; verùm, ut Muſam tuam ad hoc lugubre genus carminum excitent; modeſtèque admoneant. Quid plura: tibi ſunt omnia commendata, quæ commendatione, pro tuâ in nos benevolentiâ, non indigent. Vale. Viennæ pridie Nonas Sextilis 1714.

Epiſtolæ recitatione abſolutâ, vix dicam, Lævinus inquit, quantoperè doleam caſum ejuſmodi; non tuâ ſolum Parthenie; ſed, etiam Mæcenatis tui gratiâ: quis enim non doleat, Virum felicitatibus omnibus maximè dignum ſic affligari morte filioli tàm acerbâ? Quod ſi tuum in præſenti animum ex meo licet conjicere, non dubito, quin eo tu nuncio graviter percuſſus indolueris. cui ego: rectè inquam, conjicis: neque enim aliter id ferre debui, ac ſi ad me pertineret. Cotta vero: Ecquid, inquit, eo tempore tua Muſa Parthenie? An non & ipſa lugubri aliquo carmine conqueſta eſt? Cui ego: Quid tu muſicam in luctu requiris? an ignoras, turbari lacrymis Hippocrenem? equidem ſenſi uno tempore, Caſtaliam areſcere Urnam; atque aliam ubere manantem fletu aperiri. Et cum animum planè accupaſſet dolor, vix tandem ſe ſe in hæc effudit verba, quibus Parentem mæſtiſſimum, quaſi præſentem intuerer, æquè mæſtus ego, ſic alloquebar.

Non ego te, Rambalde, tuo nimis aſper amori,
 Dum dolor in curſu eſt, funera flere vetem.
Sed potius mea, ſi fas eſt, ſuſpiria jungam,
 Et gemitus addam triſtis & ipſe meos.
Te dolor ad lacrymas inopino in funere cogit;
 Heu! tuus ad lacrymas me quoque cogit amor.

Verùm hæc hactenus: nolim enim vobis in morâ eſſe; nam domum reditionis hora videtur appetere: nec puto diutiùs differendum; præſertim quòd à nubeculis quibuſdam metuo veſpertinum imbrem. At Lævinus, ab imbre quidem, inquit, non admodùm timeo; brevis eſt via; neque enim cogitamus Neapolim ante biduum; ſed hic in proximâ Villâ commorabimur; quin fortaſsè die craſtinâ rurſum te videbimus, ſi non eſt gravè: imò, inquam, feceritis rem oppidò gratam: quare condictum eſto, expectabo igitur: ſed nolo Cottam venire aſymbolum: Nam quid afferam, ſubjecit Cotta? Et ego: novi te Muſis cariſſimum caput: Rambalduli noſtri funus carmine aliquo celebrabis. Ille verò; me ne jubes geſtum facere coram Roſcio? Dictum eſt, inquam; Atque hæc cum dixiſſem,

&

& Cottâ recepiſſet, quoniam tempus jam erat abeundi; valere plurimum juſſi, abſceſſerunt.

CAPUT III.

In amicorum reditu, perridicula narratur hiſtoriola: mox pro immaturo Rambalduli obitu recitatur Elegia; Dedita demum occaſione, de vetuſtiſſimâ Collaltinæ Familiæ origine, in poſt meridianum tempus diſquiritur.

A' primâ vix luce adfuit Puer, ac me monuit foris jamdiù oſtium pultare Lævinium, & Cottam: ad quem ipſe, næ tu trifurcifer ſomniaſti. Ut ad primum diluculum Lævinius venerit, cui domi ne octo quidem ſufficiant nocturnæ quietis horæ? Et ille: vigilavi nimiùm, ac vigilo; hiſce auribus audivi, & cornicis ſtrepitum, & præaltas voces, quibus te nominatim inclamitare nondum deſiſtunt. Tùm ego, clavem tene, ac laternulam, ſtatimque ad januam aperiendam procurrito. Heus tu, gradus grandito, malum hominis fruſtulum, audiſtin? Et ille: ne te audiam ultrà objurgantem, talaria induam. Ubi verò proceſſit puer, è Muſæo ipſe pedem extuli, ceràque accensâ ſpirulâ, ponè ad oſtium perrexi. In inferiori autem contignatione obvios Amicos rogo, quid quæſo vos ad me ſummo manè? Et ſtatim Cotta, ingenio æquè alacri, ac linguâ: ſummo, inquit, mane hùc pervolavimus Parthenie, ut diutiùs apud te hodie ſimus, tuâque commodiùs conſuetudine fruamur jucundiſſimâ. Cui ego: vehementer timeo, ne me officioſis offuciis imponatis; longèque alia lateat cauſa: An incommodum fortè obtigit cubiculum? An parum apta culcitra, lodices, ſtragula? Et ille: divinat Amor, ut video: purum, putum eſt ipſum, quod jam dixti Parthenie: Culcitrulæ quibus utimur, infarctæ caprinâ lanâ; & quod caput eſt, ab Hecubæ uſque temporibus, ut reor, carminari jam deſita, fulcris ipſis lectariis accidunt duriores. At minimum id incommodi, ſi cum cæteris componatur; unde ſum, & labore plurimo, & permoleſtâ vigiliâ ſolidam noctem vexatus. Hìc ego: Quid majori, inquam, incommodi ſomniculoſo acceſſerit, quàm inſomnem penitùs noctem traducere? Tunc ipſe: ne me, amabo, ludos facias; rem certè miſeram, cum reſcieris, miſereſcat te mei. Et ego: ne me diutiùs teneto, rem omnem aperi. Hoc loco Cotta: Quamvis recens adhùc refricare vulnus diſpliceat, ut tibi tamen

ami-

amiciſſimo morem geram, ingrediamur Muſæum; atque Iliadem malorum tantam de me actutum audies. Ubi ad Muſæi menſulam conſedimus, hoc ille ordine aggreſſus eſt narrationem. Ut hinc heri diſceſſi, Elegiacum Carmen, quod concinnandum mihi jam demandaras, omnem, ut par erat, mentis cogitationem ſedulò occupavit, ac nihil de viâ, præter unum illud, animo obverſabatur meo; tanti erat apud me rei gravitatem, magnitudinem, ac ſplendorem aſſequi, ut animo concidiſſem, niſi animos feciſſet idem, qui deterrebat; atque eomagis angebar, quòd ſeveriſſimum Parthenii mei judicium illud penſare carmen, atque æſtimare deberet. Erigebar tamen, quòd ad ipſius Judicis limam venire, & caſtigari tandem, cum fœnore oporteret. Sed cogitanti mihi eo loci multiplex occurrit texendi carminis ratio; nec quàm urgerem potiſſimùm ſatis animo conſtituebam. Eam tandem ſelegi, quæ opportuna omnium maximè viſa eſt. Atque ubi domum redii, illicò in Muſæum me contuli; itàque fluxit ad arbitrium vena, ut celerrimè lugubre opus ad umbilicum perduxerim; neque aliud deſideretur, ſi ut ultimam operi manum imponam. Nil novi narraſti hactenus, hic ego; jamdiù perſpectum mihi ingenium tuùm, nedum egregium in cæteris, verum & in ſubitis caſibus ſingulare. Et ille: ſuperbirem profectò, niſi mihi abs te, quem amicum novi, æquè ac Poetam laudis tantum accederet. Sed jam redeo ad inſtitutum. Abſoluto vix carmine, me Lævinus plus ſolito cunctantem ſubiratus accerſivit ad cenam: monuitque ſemel, atque iterum aſſos jam barbatulos mullos, phialas nivatas, præſterga, parata omnia; unum me ad menſam deſiderari; cum ſtatim aſſurrexi, rectàque in Triclinium diſceſſi: ubi inter cœnandum bis tibi propinavimus tuique mentio facta eſt jucundiſſima, cum præſertim mullos ſcitè quidem coctos; at non tuâ coqui probatiſſimi operâ, neque in Surrentinos illos, quos per Idus Septembres appoſuiſti ſapidiſſimos comederemus. Continuò deindè à cœnâ, actis, ut moris eſt noſtri, Supremo Numini gratiis, in cubiculum quiſque ſuum conceſſimus. Hic ubi ſertum precarium Deiparæ ſemel percurri animumque ipſe de more excuſſi, lectum curavi; at ubi culcitram revolvi, ex improviſo ex ejusdem tenui foramine murem adverti perquàm citiſſimè erumpentem. Murem, ait, penè exanimatus Lævinus; & ſtatim à metu non concidiſti? Admiror Cotta animum tuum; in eo me diſcrimine, mentem, animum, vires penitùs omnes repentè deperditurum fuiſſe ingenuè fateor. Tùm ille: te Lævine timidiſſimum probè ſcio, cui vel

mu-

muſcæ umbra terrorem incutiat. Quem cæteroqui animum tibi facias, ne murem, ne dum pavidum, ſed vel fugientem extimeas? Eo tùm ipſe commotus ſpectaculo ridere ſolus, & cachinnari, atque id tùm maximè, cùm expertus ſum culcitram montano lapide nihilo molliorem. Res ipſa deridicula quidem effecit, ut Fedri carmina mecum ipſe repeterem.

Mons parturiebat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima expectatio:
At ille murem peperit

Tùm ego laudo Cotta memoriam tuam, quæ ad rem fabellam neque lepidiorem, neque aptiorem poterat revocare. Perge porrò. Et ille: ubi riſum ridere deſitum eſt, cum primùm linteum adducerem, ad manum ſenſi trepidare, neſcio quid, atque elabi; quare lucernâ admotâ, & foramine paulò plus diſciſſo, atque explicato, offendi, rem certè mihi hactenus inauditam, in muſcolorum nidum probè confertum. Intereà loci Lævinus, An in culcitris etiam mures nidificent? Scire quantum id refert mea. Efficiam ad veſperam ut accuratiſſimè lectus undequaque meus excutiatur; neque id poſthàc prætermittendum curabo. Quid interim tibi conſilii ſuſceptum eſt? Quid? inquit ille: extractos compreſſi, ſummâque alacritate linteis, ſtragulisque conſtratis, quaſi ab hoſte victor, ac defatigatus à pugnâ in lectulum me conjeci. At poſt aliquantulum temporis, vitato, ut ajunt, cinere in prunas incidi. Heu me! hîc Lævinus, ſuberat profectò adhùc Muſculorum mater, atque irato dente catulorum ſuorum ulta eſt necem. Cui Cotta: Id certè minus grave contigiſſet mihi: da quæſo aures. Vix cubitum non ſine labore, ut audiſti, conceſſeram, diùque hàc, illàc volutus, ſoporem denique captavi placidiſſimum, quem vel levis crepitus ſtatim abrupit. Vix experrectus, miſerabilem vocem, non procul à cubiculi oſtio accepi, quæ graviorem in ipſo noctis ſilentio, metum incuſſit, ut propè obriguerit ſanguis. Hìc Lævinus, genu ad terram proſtrato, grates inquit, ſuperis, quòd altus adeo me ſomnus oppreſſit, ut ne leviſſimum quidem culicis volatum ſubſenſerim. Cui ego: Te quidem certè non ſomno, ſed graviſſimo putem id temporis lethargo preſſum; at antiquum tu iſtuc obtines; ut enim manè exciteris, nec nolulæ ſonitus, nec vox dodonæo ære clamoſior ſatis eſt unquàm; verùm ſemel, atque iterum excutiaris, & vapules quandoque neceſſe eſt. Sed in viam Cotta redeamus; rei quippè exitus fuerit, opinor, multò funeſtiſſimus. Et ille telam redorſus: Primæ, ait, voci, undè

ſum

ſum penè confectus, reſpondit altera gravior quidem; at æquè luctuoſa; mutuoque gemitu, atque ejulatu contremui totus, atque cohorrui. Fatigabam interim Superos votis, ac precibus, ut opem ferrent; ratus ſubinde infernos Lemures totâ turmatim domo vagari, ac miſerè lamentari: ut infeſtas larvas abigerem, luſtrali aquâ, & ſalutari Crucis Signo ſtatim me munii: tùm revocato, quàm potui maximè ſpiritu; novi inquam, qui hùc adventaſtis tartarei Manes: divinâ, quâ polleo auctoritate, vos hinc faceſſere jubeo, adjuroque; noſtram ne ulterius quietem interturbetis: ab hiſce tectis confeſtim evadite, iterumque in Tartara ite præcipites. Ad præſentiſſimas haſce Myſtæ voces, quid factum putetis? Rabidum primò fremitum exaudiri; tùm inito veluti inter ſe ſe certamine, legionum inſtar urgeri, premi, calcari; mox rurſum prorſum diſcurrere, morderi invicem, ac lacerari; deinde pauſare aliquantiſper; poſt pauxillum denique temporis cum in malam crucem jam abiiſſe larvas putarem, à fugà, à voce, ab impetu ſerò deprehendi importuniſſimas belluas fugiendo, atque ejulando binas fuiſſe improbas Feles, quæ inanem adeò mihi incuſſere terrorem. O'lepidiſſimum ſanè exitum! exclamavit Lævinus. Áh, ah, vah, mihi fermè ilia diſrumpi præ nimio riſu, jam ſentio; Tragædiam, quæ in comœdiam exiret feſtivam adeò, atque inſperatam audivi nunquam. Tùm hæc ad me, oro te, obteſtorque Parthenie, ut hanc etiam Fabellam in poſtremâ Anni eruditi Parte narratam velis, quam ubi, ut ſoles, candidè, ornatèque expoſueris, vel Heraclitus cachinnetur oportet. Argumentum hìc ego, ad rem opportunius inveniri nuſquam gentium poſſit, & ſi Cotta patiatur, exequar lubentiſſimè. Quinimò, repoſuit Cotta, Lævini poſtulationibus non meæ ſolum accedant, ſed omnia Poſteritatis omnis officia, per me velim præmaturè, jam nunc tibi perſoluta. Hic ego: do manus, meamque, quoad poſſum, fidem obſtringo. Dic ſodes interim, an metu ſolutus ſomnum, præ lætitiâ, iterum ceperis? Atque ille; vapor omnis illicò è cerebro evanuit, & quamvis horſum, iſtorſum verterem latus, ne tantillum quidem ſoporis aliàs obrepſit. Spe igitur omni ſublatâ, igniario, quod ad manus erat, excuſſo, ubi ignem fomes concepit, recte ſulphureâ inflammatâ lycnum accendi, aſſumptoque horario circulo, decimam noctis horam propè imminere perſpexi. Eo ſtatim loci ſurgens è cubili, & talari tunicâ indutus, antequam Lævinum è lectulo exccitarem duas fermè horas conſumpſi, in Elegis perpoliendis ad unguem, quibus exactè lima-

matis, & meliori notâ reſcriptis ut faveas; fore confido; ſuum quippè cuique pulchrum: num penes te, aliquo habeantur in numero, qui delicatiſſimi judicii es, non nihil dubito. Quo in numero, tùm ego, tuæ apud me ſint Muſæ, liquere tibi ſatis jam liquet, Hanc jure tuo tibi vendicas laudem, paucos admodùm maturâ ætate id aſſequi, quod adoleſcens adhùc jam tenes. Verùm age, & voluptatem, quam mihi ex elegantiſſimis Elegis partum iri confido, in aliud, quæſo, tempus reiiciamus; nullâque interpoſitâ morâ, meo in lectulo perpauxillùm quieſce; tuque interim Lævine, Tito Ennio duce, perge inviſum è Romanis ruderibus veſtigium aliquod: tecum tamen habeto ad temporis dimenſionem horariam thecam, quæ in forulis eſt apud menſulam. Et ille: quid me graves hoc onere? Indicat ſatis mihi horas ſtomachus, moræ impatiens; ne ambigas, me ad menſam deſiderari non patiar. Jam verò, ubi alter cubitum, alter deambulatum conceſſit, confeſtim in Culinam me contuli, & puerum adortus in utramque aurem altè indormientem: Heus tu, Fabiole, exclamavi. Hoſpites domi habemus, & ſtertis adhùc? mera ignavia, aſſurge ocyùs, ignem ſuccendito; aquam in lebete reponito; mox enim ut prandium adornandum jubeam, preſtò ero. Tùm, alvo exoneratâ, ſtatim redii; jamque à puero excitato igne, ades dum, inquam, Fabiole, aures vacivas dato, fac quantociùs, quod juſſero. Atque ille: ut ſoleo, diligenter, & properè faxim omnia. Tùm ego; Tace argutule, mihique attendito: Ex Turdis, quos ad me, heri ſub veſperam, miſit Puteolis Cajus Cotta familiaris meus, duodeviginti grandiuſculos, ac præpingues ſeligito; eoſque probè depilatos abſciſis tamen roſtris, ac pedibus, veru infigito, interpoſitis, ut par eſt, laureis foliis: duodecim alios, qui ſuperant, cum Merulis quaternis, pari diligentiâ deplumato: roſtra, pedeſque ſuccidito; ubi verò frigidâ benè, dilueris, Ollulâ hermeticè clauſos in præfurnio reponito, atque ad prunas modicè applicato. At vide ſis, ne juſculum prædulce ſapiat; quin palatum potiùs, ſubaſpero titillet ſucco. Ni truncus ſis, hoc embammatis genus callere te peroptimè oportet, quod multoties ex me magiſtro didiceris. Pultem vero adorna, & braſſicam capitatam, quam ſcitè anteà purgatam, ubi bubula ſit benè cocta, ad manum habeas, ut ſamnitico cum petaſone, lucanicâque minutatim conciſâ, ſtato tempore decoquas, mox radulâ caſeariâ bubulum, ac parmenſem atterito, unde paſtillos largè inſpergas Audiſtin' Maſtigia? At ille: ſat benè: verùm quid amplius? Cui ego: Iſtud ſit

affatim. Ubi! tùm Fabiolus, apparatu tàm ſobrio amicos per tibi caros excipias? Adde, ſi lubet cruſtula poliphylla, quæ tuâ ipſe manu graphicè, ut ſoles, infarcias; ea quippè ex te, ut probatiſſima avidè expectant. Hìc ego: pro cruſtulis, novum apud Inſubres uſitatum Epulum, quod amicis per gratum accidat, ſcitè conficiam. At quî, inquit Fabiolus, tandiù hoc me edulii genus celaſti? Cui ego: Ex accuratiſſimâ, quam poſtulat, operâ, illud noveris, Scitule, quàm longè curam omnem, tuamque coqui artem exuperat; nempè cujuslibet non eſt Chorintum appellere. Sed puer ne plura. Age expedi te aliquando; nam ubi horis Canonicis fecerim ſatis, hùc ad te ſtatim rediero. Diurno igitur perſoluto jam penſo, extemplò culinam repeto; & heus tu, inquam Fabiole, da operam ſis, ut calleas ad quæſtum tuum. Vide novum Cupediarum genus, quo inſtruam pacto. Illud porrò, ſi hoſpitibus probatum fuerit, omnis demum in te unum recidat laus: & ille: benè eſt, in rem totus incumbam oculiſſimus homo. Tùm ego, arcâ reſerata, ex gallinaceis ovis, novem ſeligo recentiſſima, terna in ſingulos; ſejunctoque ſingillatim albumine, Vitellos in ſatis mundam Scutellam, ingero; Cultrique acie perbenè diverberatos, ac liqueſcentes, præalbi Sacchari exquiſitiſſimi ſeſquiuncia inſpergo: mox è græco cado meri ſuaviſſimi ſelibram infundo; iterumque omnia verſata probè, atque commiſta ſuper tripodem colloco, ac lentè admoto igne paulatim decoquo; manum tamen abſtineo nunquam, quin lævi ſpatulâ eouſque agitem, atque permiſceam, dum foculo ſenſim calente, mellitus liquor mellis inſtar concreſcat. Hic ſtatim, remotum à tripode, de ſcutellâ in lancem invergo, quam operculatam, ſuperius tantummodò prunis contego, donec pauxillatim ſolidatus veluti in gluten, delicatam cruſtam inducat. Id autem cavendum maximè ne, vel nimio operculum igne obruatur, vel modico penitus deſtituatur. Hoc loco Fabiolus: omnia adamuſſim teneo tàm benè, ut rogitanti reſpondere valeam de Tripode, & jam nunc manum operi admovere non dubitem. Unum tamen remoratur potiſſimùm, quòd infractâ adeò ſit opus patientiâ, tantuſque durandus ſit labor. Tùm ego: quid? num habeas ſub pallio manus? operoſa quidem res eſt, & quàm quæ maximè perdifficilis. Opera in eo eſt tota, ut ne leviſſimè quidem ebulliat; secùs corrumpitur, omnemque operam perdis. Dum hæc agerentur, ecce tibi Lævinus, anhelo ore, & ſudore benè madidus, ſi tardius, inquit, quàm par eſt, me domum retuli, ne mihi, ſed Ennio Tito vertatur culpæ.

Ille

Sapidiſſimum apud Inſubres edulium, vulgò Zabajone.

Modus, quo novum cupediarum genus inſtruitur præ oculis ponitur.

Cavendum id maximè, ne leviter quidem ebulliat: ſecus omnis opera deperditur.

Ille me, crediderís ? ad Dianæ Ædem uſque perduxit. Cui ego : Quinimò citiſſimè rediiſti, poteras, & Veneris Ædem inviſere, indè non procul diſſitam, quam poſuit Cæſar magnificentiſſimè in litore peramæno, de quo Martialis.

Huic Numini Templum Romæ ab eodem dicatũ, Appianus teſtatur, additque Plinius, eundem Thoracem etiam ex Margaritis Britannicis contextum Veneri Genitrici ſacraſſe.

Litus beatæ Veneris aureum.

Et ille : ſatis me monuit Titus Ennius, illùc etiam ut pergerem; at diù immoratus in perquirendis undequaque prioris Fani veſtigiis, valdè metuebam, ne, meâ de causâ, prandium corrumperetur; atque adeo poſterioris inviſendi conſilium omne in aliud tempus conſultiùs rejeci, reditumque, quàm potui celerrimè, maturavi. Tùm ego : Quid tibi viſum de pervetuſtâ Ædis ſtructurâ ? Idem, repoſuit, quod de Rhodio Coloſſo memorat Plinius, *adhuc jacens miraculo eſt*. Dubitaſtin', hîc ego, an illud eſſet Fanum ipſum Dianæ, in quod perbellè Propertius.

Et quid te mediis ceſſantem Cynthia Baiis,
Quæ jacet herculeis ſemita litoribus ?

Atque hic Lævinus, ipſiſſimum illud putavi; neque ulla in contrarium ſuborta eſt ſuſpicio : ac præter Titi teſtimonium, cujus apud me auctoritas plurimùm valet, perſpicuo ſunt mihi argumento Canes, & Cervi, pluribus hinc inde ſaxis affabrè inſculpti, quos cæca veterum ſuperſtitio ſuæ Sylvarum Deæ ſacraverat. Tùm ipſe: eruditè tu quidem, ut ſoles; at quæſo te, vidiſtin' ibi lapidibus etiam inſculptos cum Canibus, & Cervis Mullos ? Ita ſanè, tunc ille; quid autem Mulli ſibi vellent potiſſimùm, non ſatis adhùc animadverti, atque illud ex te ſciſcitari jam conſtitueram. Ades dum, hic ego : Mullos priſci, venatores jure dixere; quòd, ut Venatici ſolent Canes, Marinos Lepores agitant, atq; inſectantur, hinc factum proinde, ut Venatrici Deæ Venatores etiam Mulli meritò dicarentur. At perge ſis; ſudorem, ne frigefiat, ocyùs abſtergito, mundamq; induito, quæ ad manus eſt, ſubuculam. Vix recepit ſe ille in cubiculum, cum Puerum rogavi, num eſſent in promptu omnia ? Et ille : actutum paſtillos in lances ingeram. Move inquam, te citiùs, Cinnamomum in mortario ad minutiſſimum uſque pollinem conterito, quo novum epulum affatim ſpargas. Menſam ſubinde inſtruito, pocula, cultellos, fuſcinulas, hypocraterem, explicato torali ſuper menſam mantili, ſtatim reponito : mox pro ſecundis menſis Quaſillum cum Apianis, & corniculatis uvis, cum quaternis præcoquis, & totidem volemis pyris è penu afferto: at vide, ne Culinæ oſtium apertum maneat; quàm enim verſuta, quàm gulo-

ſa ſit Felis, jam probè noſti. Novi tùm ille, malo meo; heri quippè, oculis vix aliò converſis bilibrem illam, quam tibi baſilicè adornaveram, ſoleam ſurripuit. Intereà loci, tùm ego: ubi inſtructa omnia, & menſam Leucojo candido, ac luteo conſperſeris. admoneto. Hinc rectà in cubiculum pedem intuli, ut Cottam è ſomnulo excitarem: Cùm autem experrectum inveni: num quid incommodi meus lectulus attuliſſet, rogavi? Et ille: quin commodi plurimùm attulit: jam inde enim, ubi cubitum veni, nunquam, ne leviſſimo quidem intervallo, interruptus eſt ſopor. Eodem ne ſemper fato miſer Cotta vexetur? Non hîc certè, tùm ego, tanta Murium frequentia; nam & muſcipulis oppleta eſt domus, & factum eſt, ut vides, in foribus oſtiolum Feli. At quota nùnc hora, quæſo, hîc ait Cotta? Data eſt, tùm ipſe, jam modò decima octava; ſolidas quinque horas dormiſti, quòd ſiet benè. Pergamus jam; ecce adeſt Puer, monetque, prandiolum præfeſtinè adornatum. O' factum egregiè! tùm Cotta: è toro ad menſam? Cui ſtatim Fabiolus: Priſcis erat in toro menſa, ut de Parthenio audivi: Euge, hîc Cotta, Euge Fabiole. Cui ego: Tace argutule; noſtris ne te ſermonibus intermiſceas. Et ille: Nihil jam mutire audeo. I, præ, tunc ipſe, & ſiquidem præſto ſunt omnia, Lævinum ad menſam voca. Statim ſubindè Trulleum, & guttum cape; tu in manus aquam infundito; linteum, quo extergantur, porrigam ipſe. Lotis jam manibus, admotiſque ad menſam ſedeculis, Deum priùs uno omnes ore ritè apprecati, conſedimus; at ego tertius ab hoſpitibus, ut decebat. Initium prandio factum à Turdis, quos modicè jurulentos, vapore lento Puer incoxerat. Vix deguſtavit Lævinus, cùm, hocce, inquit, Parthenie ferculo delicatius nullum, nullum ſuavius à te inſtructum aliàs certo certius affirmo. Et Cotta: addita, ni fallor, ſunt etiam vulvæ Suillæ fruſta minuta, veterum menſarum deliciæ. Sapidiores ne Turdi an vulva, an juſculum palato jucundius accidat, dignoſcere planè nequeo; perquàm jucunda omnia, ac ſapidiſſima. Quid mirum? Tùm ipſe; cum ſint Aves hujuſmodi inter primas, à ſaporis bonitate, meritò collocatæ. Qua de re illud jure cecinit Venuſinus.

Cum ſit obeſô

Nil melius Turdo, nil vulvâ pulchrius amplâ.

At quis hic Myrti odor? Lævinus inquit. Cui Cotta: fortaſſis Ciſtula, quâ Turdi ad Parthenium delati, odoratiſſimâ, ut fieri ſolet, Myrto, infrà, ſupràque obvoluta odorem tenellis Avibus impertiit ſuum. Hîc Lævinus:

Ita-

Itane verò Parthenie ? Cui tùm ego : Minimè profectò gnetium ; utque id, quod res erat in aperto fieret ; Turdi ventriculum, tenui fuſcinulâ, mediumque diſſecui ; ubi verò binas inde myrteas baccas, recentes adhùc cultelli acie excepi, & commoſtravi. Papæ ! ſtatim uterque. Sed Cotta : pòl ait, pluris faxim Turdos deinceps, qui tùm odore, tùm ſucco & capiti proſunt, & ſtomacho. Hæc inter acceſſit Puer cum duplici ad manus lance : alteram aſſi, qui reliqui fuerant Turdi, alteram onerabant paſtilli Tùm ego : Quis te juſſit, Puer, hæc adeò feſtinanter apponere ? Vin'. barde, ut frigeſcant ? Atque ille : Acceleravit Lævinus, cuius videram nuper patinam vacuam, & politam perbenè. Hîc ego : caperatâ fronte, atque ad ſeveritatem compoſitâ : Treſſis homuncio, quamdiù tàm domeſticum uſum, & conſuetudinem nobiſcum obtines ? Faceſſe hinc ocyùs : ſecundario pane, & aquâ in poſterum obſervantiorem te fecero ; victitabis volupè parſimoniâ, & duritiâ, ſtipes, caudex, Aſine. Iram, quæſo, hîc Cotta, ſi me, & Lævinum amas, deponito ; Parthenie, delicium noſtrum. Condonetur Fabiolo jocus. Veniam, tùm Lævinus meretur puer propter aſſatos baſilicè quidem Turdos, paſtilloſque ſcitè ſatis conditos. Ad quod, tùm ego, iſtiuſmodi audacia Aſylum tutius confugeret ? Cui ſe comendaret meliùs Lævine, quàm tibi, & Cottæ ? age ſis afferto cum Elixâ bubula oleraceam pultem. Nondùm verò Cotta guſtaverat ; & jam, inquit, diù braſſicam expectabam, Parthenie, quâ me ſcis maximè delectari ; eâ præſertim, quam ipſe tot gulæ ſcitamentis egregiè adornas ; Intereà loci Lævinus : heus tu, ait Fabiole ſcyphum porrige, infunde merum. Et ille : rufumne, an album ? Cui Lævinus : placet mihi album Nolanum, hinc Puer ſiniſtrâ hypocraterem cum ſcypho, dexterâ phialam nivatam teneas, ad ſumma labra implevit Calicem. Hîc aſſurgens Lævinus, hunc, inquit, Cotta cyathum plenis faucibus felicitati, gloriæ, atque amplitudini magni Rambaldi lubens propino. Atque ille, nullâ interpoſitâ morâ, cedo, inquit, plenum albo veſuviano grandiuſculum calicem : Inde aperto capite hoc tibi poculum Mæcenas ampliſſime Parthenii noſtri, comes Rambalde ; coronatumque uno ſpiritu exhauſit. Tùm ego, actis de officio gratiis, Puerum juſſi, rufum ſtabienſe, quod meo magis ſtomacho quadrat, in craterem infundere ; atque ad amicos converſus : tanto Principi, quis potiſſimum, niſi Parthenius jure propinet ? eique neſtoreos annos, & maſculam prolem, tanto dignam parente, à bonis Superis apprecetur ? Hic,

ut

ut aliquod præberem lætitiæ ſpecimen, cryſtallinum craterem altè conjeci. Omnes ad punctum temporis vociferari, applaudere, exultare; ſed præ cæteris Cotta, qui tua, inquit, juſtiſſima vota, Parthenie, exaudiant Superi, tuaque interſiet venturos liberos, ac Nepotes feſtis Genethliacis excipere. Cui ego: Ubi per ætatem, penè confectam licuerit, argumentum tenuiſſimæ Muſæ gratius nullum obvenerit. Hoc loco Fabiolum rogavi, an quid repoſitum in culinâ haberet, ſuâ dignum operâ? Et ille: habeo novum edulii genus, quod, ſi lubet, apponam; vereor tamen ne, quam hùcuſque laudem paravi, poſtremò corrumpam. At ego: Adeon'delicatulus fuas? Advola, atque hùc novum Epulum, cum pomorum quaſillo feſtinanter afferto. Perrexit ille, & patinam, & ciſtulam ſimul attulit. Ut primoribus labris deguſtarunt: hoc certè, inquiunt, non ex tuâ officinâ, cupediarum genus prodiit Fabiole. Quibus ille: An vos lateat, quo ego, Magiſtro edoceor? Tenemus, inquiunt: Verùm quis profeciſſe te adeò, ſuadeat ſibi? Rei ſuavitas, atque excellentia opificem arguit multò peritiorem. Rurſum ille: vultis ne adornandi Epuli modum ad unguem penitùs referam? Id referre, tùm ipſi, ut tibi Auctoris nomen vindices, nihil refert omninò. Rem profectò delicatiſſimam! Exclamavit Lævinus, dulcem adeò non elaborarunt ſaporem, aut perſicæ unquam dapes, aut ſiculæ. Caſu ne factum, tùm Cotta, ut poſtremò ſuaviſſimas haſce menſæ delicias apponeres an conſilio dixerim? Hanc moram, qualis qualis fuerit, boni conſulo, ne unum quidem bolum mihi ereptum ſinam. Age nunc Fabiole, infunde rufum; inde Lævinum intuens; hoc te, inquam, poculo invito. & ferculi hujus tàm bono Auctori lætus propino. Inurbanus ne ſim, repoſuit ſtatim Lævinus: heus Puer albo Nolano pateram impleto properè, & coronato; cui Puer: timeo ne effluat; & ille hanc mihi ſpartam relinquito; tùm ad Cottam converſus. Hunc Parthenii ſoſpitati, cyathum exicco: Parthenii, inquam, qui feſtivis adeò epulis, & tam lauto nos excepit convivio. Cui ego Lautum nihil, nihil feſtivum; Quid enim hâc menſâ frugalius? quid parcius? Tuum eſt, coqui tàm probati, Fabiole, invitationibus reſpondere. Vix hæc, cum ille; aſſumpto confeſtim Calice, ac benè pleno, quæ meæ erant partes implevit. Remotis interim menſis, quoniam animus in eo erat, ut elegos audirem, Jam nunc, inquam Cotta opportunum videtur, lugubre carmen, quod caſtigaſti ad limam, commodùm recitare; Illud mihi, & Lævino, ut pro ipſo ſpondeam, bellariis omnibus accidet gra-

tius,

tius. Hoc loco Cotta: ut vobis morem geram; recitabo; date aures perhumaniter, ut ſoletis.

Prò immaturo Rambalduli obitu.

ELEGIA

Sic mihi te Superûm, ſic me tibi Numina ſervent
Parthenie, & lætus vivat ùterque diù;
Tu ne putas tantum noſtras audere Camænas,
Auribus ut ſperent carmina digna tuis?
Attamen hoc benè, quod triſtes adhibere querelas;
Mæſtaque Rambaldi funera flere jubes:
Scilicet incomptam deceant lugubria Muſam,
Nullaque inornatæ res magis apta lyræ eſt:
Flebimus, & gemitu luctantia verba premente,
Quamlibet anguſto tramite vena fluet:
Flebimus: ipſa ſuum pariter vulgare dolorem
Atque viam lacrymis pandere Muſa volet;
Nam neque te ſolum tangunt hæc funera; tangunt
Me quoque; nec luctu corda carere ſinunt.
Quis, rogo, non doleat, ſubiti ceu turbinis æſtu
Succiſam primo in Vere fuiſſe Roſam?
Sydus & eoâ viſum modò luce ſub ortum,
Antè horam radios occuluiſſe ſuos?
Hæc tua ſors, Rambalde Puer, quem præcoce fato
Antè expectatum jam premit Urna diem.
At non hoc olim de te ſperare jubebant
Maxima Natali gaudia ſumpta tuo:
Non ætas, non forma, tui non gratia vultus;
Quique erat in tenero plurimus ore decor.
Tè naſcente, diem gemmâ meliore notavit
Protinùs auſpicio lætus uterque Parens;
Atq; ait: hic feræ requies optata ſenectæ,
Et vivet noſtræ ſpes benè firma Domûs.
Hei mihi. ſed ventis & verba, & vota dedere;
Invidit tantis Mors inopina bonis.
Occidis heu! Rambalde; tibi nec profuit ætas;
Nec clarum antiquâ nobilitate Genus.
Occidis oſtendiſque tuo Mortalia Caſu
Quàm; nimis incerto ſtent bona cuncta gradu:
Antè diem raperis, tenerâ decerptus in herbâ
Floſculus, heu patrii nuper amoris Amor!
Patris amor quondam, qui nunc ſua fræna dolori
Laxat,

Laxat, & aſſiduo proluit imbre ſinum.
At tibi, quæ noſtro gaudes, Libithina, dolore
Magnum Rambaldi funera crimen erunt.
Nullaque crudelem te poſt non arguet ætas,
Et peraget populi judicis ore ream:
Te meus antè alios fato percuſſus acerbo
Parthenius juſtis arguet uſque notis:
Neu tibi ſic placeas, noſtrâ lætata querelâ,
Arbitrio multum detrahet ille tuo:
Quidquid Rambaldi poterit ſupereſſe ſepulti,
Servandum Famæ, te renuente, dabit.
Quòd ſi languenti Puero licuiſſet adeſſe,
Aoniâ Vates arte tuliſſet opem:
Dulce melos fugientem animam vetuiſſet abire,
Aut Lacheſis durum ſuſtinuiſſet opus:
Quod licet, & fas eſt, Luctum curaſq; Parentum
Leniet: officii pars erit iſta ſui.
Quandoquidem extincto reddet per carmina vitam
In quam nil fatum juris habere queat.
Quamquàm ille, ut meliore ſui jam parte ſuperſtes
Vivat, Apollineæ non eget artis ope:
Ipſe etenim Cœli ſuperas evectus in oras
Aſpectu fruitur liberiore Dei:
Inde orbem procul, & ſubjectas deſpicit arces,
Quas miſerâ nubes plurima nocte premit,
Mortaleſque vices, humanaq; gaudia ridet,
Et ſtrepitum, & fluxas, quas habet orbis, opes;
Interdumque ſuos altâ de ſede Parentes
Reſpicit; & lacrymæ cur mihi dantur? ait.
Me gemit amiſſum, nec opino funere ademptum
Hinc Pater, hinc multo victa dolore Parens;
Gratus amor, grata eſt pietas: ſed parcite luctu,
Atq; pio triſtes imbre rigare genas.
Si qua fides, Cœlo fruimur, Numenque beato
Lumine divinas cernimus inter opes.
Ne lacrymas igitur, gemitus ne fundite: Non eſt
Mors ea, quæ Cœlum pandit & aſtra mihi.

Ut recitavit, temperare mihi non potui, quin ruerem in amplexus, tantus fuit, Elegorum nitor, ſuavitas, atque mundities: tanta affectuum proprietas, ut in eo veteres ſtylo adamuſim expreſſerit, in hoc Parentis animum, ac mores induerit, neque ab hâc meâ ſententiâ Lævinus latum unquem diſceſſit. Verùm, Adoleſcens, ingenuis moribus, Corta, demiſsè adeò de ſe, ac de ſuis ſentiebat, ut ad tàm ſplendidas utriuſque Laudes, manibus Cœlum ſe tetigiſſe puta-

putaverit. Tum ille, ſi quid, ait, Parthenie, apud te valeo gratiâ, enixè rogo, imò rogamus, ut etiam pro Lævino ſpondeam, ne velis, quam de Collaltinæ Familiæ origine cognoſcendâ expectationem totiès excitaſti, diutiùs diſtinere. Cui ego: faciam libentiſſimè; tùm quòd meruiſti Muſis tuis lautiſſimis; tùm etiam, quòd hanc potiſſimùm debeo Mecænati meo meritiſſimo officii partem. Atque hæc ut dicta, meridiatum in cubile quiſque ſuum conceſſimus.

CAPUT IV.

Collaltinæ Familiæ Originem, quam à prandio promiſeram, repeto.

Vix meridiationis horâ tranſactâ, ecce tibi Cotta, & Lævinus, qui ad meum Muſæum conſidentes: Fidem, inquiunt, dediſti Parthenie, ſolve debitum, ut nomen tuum ex rationum libro eradamus. Quibus tum ego: Coactores vos eſtis nimiùm feſtinantes. Quin etiam, tum ipſi, & nimiùm importuni; aliquâ tamen excuſatione digni, quòd inflammata cupiditas impatiens eſt moræ. Bellè quidem tum ego: at ſinite ſaltem, ut mexicanam potionem anteâ quàm citiſſimè adornem, quâ compreſſis epularum exhalationibus, roboratum cerebrum dicenti commodiùs adeſt. Et illi: Si quid preces poſſunt, etiam atque etiam rogamus, ne moram hanc ulteriùs innectas; Pueroque onus iſtuc commendes; ne vèl minimum temporis fruſtulum excidat ſine lucro. Quibus ego: ne inurbanus videar, hunc morem vobis geram. Quare accito Puero, acceptoque ex arculâ cocolatæ cylindro, odorato ambare affatim perfuſo; perge, inquam, in focum Puer, & terna hinc nobis, ut ſcitè ſoles, pocilla inſtruito. Vide ſis, ne vel cotylam aqua exuperet, vel parcâ nimium manu infundas; ubi ſuſtervet, ſtatim verſato, ne diffluat. Audiſtin? Et ille: teneo, inquit, diùque, jam, te magiſtro, manum à ferula ſubduxi. Vix Puer diſceſſit, cum amicos intuens: agite igitur, inquam, animumque advertite, ordior jam, ut jubetis, narrationem. Atque illi: perpurgatas tibi aures, attentumque animum commodamus. Ediſſeram, tum ego, rem penitùs omnem ab ovo. Gens Collaltina remotam adeò obtinet originis ſuæ vetuſtatem, ut inſtar Nili, caput ortumque ſuum malit Poſtgenitorum admirationi eſſe, quàm oculis patere. Ampliſſimum hoc quidem nobilitatis argumentum! Quid enim

illuſtrius, quàm aviti ſanguinis primordia tam longè eſſe petita, ut diuturna temporum ſeries hominum memoriam vicerit, ac monumenta? Quàm dictum elegantèr ab eruditiſſimo Viro, (1) in hoc, quo de agimus, Collaltianum Genus: ex Familiis, eas oppidò, omnium votis cenſeri maximas, quæ neſciunt ſe fuiſſe parvas. Atque hinc fit, ni fallor, ut conquirendo, ſtatuendoque Familiæ hujus exordio, non una omnium mens ſit, ac ſententia; quamvis eam, ex Regio fonte promanaſſe, conſentiant omnes, inficietur nemo. Hîc ſtàtim Cotta: magna prædicas tu quidem Parthenie: at quibus fundamentis ſummum iſtuc gloriæ faſtigium innitatur, abs te ſcire aveo; cujus ingenium novi uſque adeò nudæ, apertæque veritati devinctum, ut vèl minimam aſſentationis labeculam oderis ſemper cane pejus & angue. Cui ego: iſthùc contendebam: amicas tu interim aures dato; ità nec tibi, nec Lævino ingratum ſermonem fore confido. Adſumus tum illi; teque dicentem auribus ſequemur, & animo. Atque audite, tum ego; remque (dum vacat, dum lubet) altiùs ordior hoc modo. Ex tot cordatis Authoribus, (2) qui luculentiſſimis de Collaltinorum Genere Commentariis Antiquitatis faſtos locupletarunt, cùm primum hujuſce Familiæ caput perveſtigarent, in quatuor & viginti, quod ſciam, abiere ſententias (3) quamplurimi. Ut paucis innuam illuſtriores, inter eos numerantur nonnulli, quorum illud animo inſedit; ut vèl antè Chriſti Reparatoris adventum ejus initia quærenda ſint, & potiſſimùm ex pervetuſtâ (4) Aniciorum ſtirpe ducenda; unde veluti ex Arbore, (5) Ramus de Comitibus nuncupatus ampliſſimè progermi navit. Eâ ducti conjecturâ, ac ratione, quod, antequam Collalti Arx magnificè excitaretur, ejus ditionis Reguli hoc uno Comitum agnomine appellarentur; iidemque omninò colores, ac notæ Gentilitium utrique Familiæ Inſigne mutuo jure componerent. Sunt, (6) qui ex Merovingorum Regum Sanguine effluxiſſe firmiter aſſeverant. Nec deſunt, qui ad clariſſimum illum Terviſii Comitem referant Genus; illum, inquam, qui per (7) Divum Proſdocimum, Petri Apoſtolorum Principis diſcipulum, anno à reſtauratâ ſalute quinquageſimo, fuit ſacro fonte luſtratus, quod planè docent, cum exindè per aliquot ſæcula pleno jure, atque inconcuſſo (8) Terviſianum Comitatum Collaltini Proceres obtinuerint. Ea porrò ſententia arriſit aliis, ut annis, antè conditam Romam nongentis Collaltinæ Familiæ origo (9) à Gherardo Montorii Domino fluxerit; qui de Trojanæ ſtirpis Rege Dardano in Italiam ap-

(1) Petrus Labbè S. J. Elog. lib. 6. pag. 270.

(2) Henricus Abbas Hiſtor. Collaltiana.

(3) Anonym. Chronica apud Betuſſium in Additione ad Boccac. de Fam. illuſt. Edit. 1. cap. 35.

(4) Anonym. apud Bonifacium Hiſtor. Terviſiana lib. 2. pag. 8.

[5] Baron. in Mart. Rom. 31. Mai.

[6] Jacob Zabarella Morove. Patavii 1660. Typ. Pauli Trambotti.

[7] Andreas de Reduſiis de Quero, Chronicon de Rebus Marchiæ Terviſanæ.

(8) Joſeph Betuſſius. Ed. 2. fol. 185

(9) Octavianus Tuzius Carmina pag. 57.

appulſus Euganeæ Dux, & Comes eſt renunciatus.

Hoc loco Cotta: Papæ! inquit, in quàm varias, & quàm illuſtres ſententias ſplendidus Collaltæ Gentis decor eruditorum mentes diſtraxit? Mecænati tuo clariſſimo, Parthenie, gratuler ne magis, an tibi? Equidem utrique ex animo. Age vero, quid tu, inter tot Authorum diſſidia? quò potiſſimum inclines, quid ſentias, aperias oro, obteſtorque; id quippe, & mihi, & Lævino accidet jucundiſſimum. Cui ego: faciam illicò. At mexicanæ potionis odor, qui hùc uſque è culinâ latè diffunditur, aliquantiſper admonet ſuperſedendum: Cum hæc dicerem, ecce tibi Fabiolus, qui lævâ cupream ollulam, dexterâ buxeum dentatum turbinem tenens; ne potio, inquit, vel tantillùm diflluat è labris, hìc conſultiùs verſanda videtur, atque infundenda. Cui ego: laudo conſilium. Affer hùc igitur ex Armariolo cyathos ternos, ſingulos ſuis pateris imponito; tùm validè ad ſpumam diverberato; & parcè, & paulatim infunde. Vide, ut oſcyphia ſint bullis ſupra labrum turgentia. Id contendam tum ille; tantâque artis ſolertiâ, ut hanc mihi demandaſſe provinciam, te non pœniteat. Poſt pauxillum verò, ubi cumulata prætulit vaſcula, intuere, inquit Parthenie, an ex voto, an altiùs unquam tumentia contigerint? Cui ego: Euge Fabiole, expectationem viciſti. Age jam, & da Cottæ Sinenſe illud capacius: Japonicum, atque anſatum Lævino: breviuſculum mihi, è Grui's officinâ graphicè elaboratum. Ut primoribus labris deguſtarunt: inſuetam primùm odoris fragrantiam mirari; mox feſtivis vocibus celebrare, extollere, atque ut alteram Jovis ambroſiam à Jove ipſo delapſam deprædicare; ad me tandem converſi: beaſti nos, inquiunt Parthenie, poculo uſque adeò ſuavi, ut nec Fannius ipſe venditare poſſit ſuavius. Quibus ego ſubridens; rectè exiſtimatis; quî enim fiat, ut melius jactitet, ſi iſtuc ipſiſſimum Fannii eſt? Is quippè; ut capitis dolori, quo identidèm excrucior, tempeſtivè occurreret, libras viginti Neapoli ad me attulit, ſingulari, qua pollet, benevolentiâ. O' factum optume! hìc ſtatim Cotta; quoniam, ſi laudabilius nihil, quàm beneficia apud Amicos collocare; quis Fannio commendabilior, qui eodem munuſculo, dum Parthenii ſoſpitati conſuluit, Amicum optimum, & Muſas ipſas ſibi amiciſſimè devinxit. Ita enim verò, tùm Lævinus; quamobrem, ſtatim ac domum rediero, nec laudibus parcam: nec ſinam, quin illi ex animo gratiæ agantur quàmplurimæ. Cui tum ego: Si id feceris, nihil planè gratius te mihi præſtitu-

rum ſcias. Interea loci, ubi ab exiccatis oſcyphiis, modica de more intercapedo facta eſt; eja, inquiunt, ſuavitate omni ſuavius caput, Parthenie, intermiſſum ſermonem, perſequamur, dum lubet; tuamque in eo ſententiam deprome. Quibus ego: iſthuc omni ope, atque operâ contendam; eòque lubentiùs, quòd jucundiſſimâ potione roboratum caput, animuſque vegetior factus, munus ſuum obire valent alacriùs. Atque, ut indè exordiar, quò poſtrema inclinavit ſententia, illud animo combibendum, quod quamplures primi ſubſellii Scriptores in hanc rem literis demandarunt. Tum ſtatim illi: manum admove, hic ſtamus. Et ego: (1) Apud Joſephum Betuſſium, acri ingenio virum, & in genealogiis præcipuè; contexendis ſolertiſſimum, de Collaltorum origine, id memini me perlegiſſe; quod antequam Ænæas, ſive ut aliis placet, Aſcanius Albam poſiturus, Italiam advenerit, fuit è Trojanâ progenie Rex Dardanus; cui nupſerit Sabina quædam Ricaſanis, Regis Armeniorum filia. Atque ab hoc primùm Dardano Patavium conditum eſt; quod à Generis nobilitate Euganiam dixit; undè finitimi etiam montes, Colleſque univerſi (quam appellationem ſervant adhûc) Euganei appellati. Hoc loco Lævinus, patiare quæſo, inquit, ut te paucis diſtineam. Et ego: imò gratum facies. Tum ille: diù, inquit, penes Plinium, ac Ptolemeum jam legi, Patavium, longè clariſſimam Venetorum ditionis, atque Imperii Urbem à Trojano Antenore, regio planè ſumptu, conditum fuiſſe. Qui verò conditorem Dardanum ſtatuat, legi neminem. Cui ego; hùc te venturum jam ſuſpicabar; ab eo tamen vado eduxerit te facili negotio laudatus Author: dum aures faciles præbeas. Atque hic ille: perge porrò. Cum ego: Urbs illa, ſeu diruta, ſeu externorum impetu labefactata, Antenori, qui ea loca acceſſerat, ſedem dedit; cui reſtitutæ, & latiùs extructæ, factum eſt poſtea Patavii nomen. Tenes jam nunc, & quidem non obſcurè, antiquiſſimam Urbem, Euganeam primò, mutatis indè temporibus, Patavium nuncupatam. Neque illud levi eſt argumento, quod ex vetuſtiſſimo eruitur Antenoris ipſius ſepulcro; in quo hæc, quam vix legas (adeò corroſa eſt) Inſcriptio extat.

(1) Joſeph Betuſſius epiſt. ad Comitem Collaltinum de Collalto in fine operis de Fœminis illuſtribus, pag. 215.

Inclytus Antenor, patriam vox nixa quietem,
  Tranſtulit hùc Henetos, Dardanidûmque fugas;
Expulit Euganeos, Patavinam condidit Urbem:
  Quem tenet hîc humili marmore cæſa Domus.

Aſſentior, tum Lævinus, & gaudeo, te Ducè, ab hac ſalebrâ emerſiſſe. Sed ne moram feſtinanti faciam, nar-

narrationis filum, quæſo reſume. Parebo lubens, tum ipſe. Euganea igitur Portis quatuor, veluti Arcibus, munita erat; quarum alia orientem, alia occidentem, meridiem alia, poſtrema ſeptentrionem ſpectabat. Atque hæc princeps, & nobiliſſima Urbis Porta, marmoreum supernè viridi colore ſimulacrum oſtentabat, triformem vultu Puellam referens; ex quo Terviſii, ut putant, nomen enatum; atque hujus Arcis Ducem Gherardum Montorii Comitem Dardanus juſſit, à quo Comite Collaltina Familia rectâ traxiſſe originem perhibetur; ejuſque germanus frater, ſub idem fermè tempus, Vicentiæ Comes renunciatus. Hæc ex Betuſſio. Præclara quidem, tum illi; & mirum quantum, inquiunt, bono in lumine ſuam Author ſententiam collocat! Verùm quid tu de hoc placito ingenuè ſentias, ut planum nobis facias, enixè obſecramus. Hùc ibam, tum ego: animum igitur, aureſque erigite. Et primò: Euganeam, antiquiſſimam Urbem à Rege Dardano excitatam, & Mænibus fuiſſe, & Arcibus communitam, nemo fuerit, ut arbitror, qni negaverit; niſi fortè veritati obfirmato animo audeat adverſari. Ità enimvero, hîc ſtatim Cotta; id quippè manifeſtum eſt ſatis. Et ego: extitiſſe inſuper in Portæ principis elatiore loco è viridi exculptam marmore Puellæ ſtatuam vultu triformi, unde Terviſiana Civitas ſibi nomen aſcivit, ire inficias non auſim: quamvis enim id probè teneam; nervos ſcilicet, atque artus eſſe ſapientiæ, non temerè credere; at Authori probatiſſimo, & cum primis erudito, fidem non habere, ſtultiſſimum; ſecus humana fides de medio tollatur, neceſſe eſt; quo quid abſurdius? Ajo enim verò, hîc Lævinus: iſtuc dem facile; at hinc quid conficias? Illud, tum ego ipſum ipſiſſumum, quod ad narrationis coronidem aſſeveravit Betuſſius, à Gherardo nimirum, Montoriii Comite, atque Euganiæ Duce clariſſimam Collalti ſtirpem auſpicatò deductam. Verùm hoc, tùm illi, cùm cardo ſit controverſiæ, ad eum ſtabiliendum, tutum non ſatis unius, quamquam ingenui viri, teſtimonium cenſemus; niſi alia in præſidium adduxeris veterum monumenta. Quibus ego: currentem incitatis? hanc mihi vos præbere anſam, gaudeo in ſinu. Non pauca ad manus ſunt, quæ quidem non ad chaos ſpectant, & ad ſaturnia, ut ajunt, tempora. Mitto, ſeriem hujuſmodi perilluſtrem à Betuſſio apud inſignem(1)chronographum attentiſſimè conquiſitam, ac perluſtratam; illud unum ex Gentilitiis inſignibus Collaltæ Domus, quò hanc magis magiſque ſententiam firmem, proferre in medium, non

abs

(1) Anonymi pervetuſtum æquè, atq; integerrimæ fidei Chronicon.

abs re erit, ut puto; imò hòc ad rem aptiùs, quod antiquiſſima illa ſint, quæ producam, Collaltinæ gentis inſignia. Beaſti me, hoc loco Cotta, me beaſti, Parthenie: nullum profectò expediendæ rei congruentius argumentum inveneris; uno enim eruditorum conſenſu id rem conficiet, omneſque tricas abrumpet, ſed ne me, quæſo, longiùs diſtineas, pergito. Atque hìc ego: (1) In Regii ſtemmatis faſtigio venuſtiſſima ſedet puella triplici quidem ſed liberali facie, colore habituque ſubviridi, cui dexteram Civitas, ſiniſtram manum præaltus galeæ criſtatus apex ornat, oneratque: ad latus porrò nitentem ex argento clypeum vides, cui galea ipſa incumbit, galeæque gyrum aurea ritu antiquo corolla ambit perbellè. Hi denique ad pedes graphicè inſcripti verſus.

(1) Perantiquum Proſapiæ ſtemma elegantèr deſcribitur.

Regia Collaltæ ſunt hæc inſignia Gentis:
Aſpice, quàm vario Stemma decore micat!
En riget argento Clypeus, riget Ære: probatur
Pervetus hinc Gentis robur, & inde Fides.
Hæc Galea emeritis oſtentat ferrea Criſtis,
Collaltum Imperio conſenuiſſe Decus.
Terna uni ſunt Ora? Tulit Terviſia Tellus,
Collaltos Dominos, quæ docet eſſe ſuos.
Sic triplici Virgo conſurgit martia vultu,
Uſque viret cui Spes, ut viret uſque color.
Dextera fert Urbem, quam plurima ſæcula norunt
Hos olim Comites, Hos habuiſſe Patres.
Læva tenet Galeam, decus, & tutamen in Armis;
Aureus & Galeam ritè coronat apex.
Quamvis Regna ruant, Famam non proruit ætas,
Æmula ſed priſci temporis illa viget;
Hæc commendat Avos, Famamque Nepotibus auget;
Quos virtute canit Regibus eſſe pares.

Ut recitavi: Euge Parthenie, inquit Lævinus, magnum ſanè momentum huic attulit ſententiæ antiquiſſimum ſtemma; quod nitido, argutoque epigrammate non innuitur modo, ſed mirificè etiam oculis ſubiicitur. Quamobrem, utut nulla extarent alia Hiſtoriæ monumenta; unum hoc ad extorquendam fidem ſatis eſſet, & pluſquam ſatis. Haud falleris, tum ego; res enim prudentibus, & cordatis viris, eſt planè exploratiſſima. Verum, accipite, amabo vos, quod rem in apertiori loco reponit aptiſſimè. Ad Sileris ripas, qui Terviſium alluit, pontum jam olim eſt, & extaret utinàm adhùc, pulcherrimæ Virginis ſimulacrum è viridanti marmore exculptum, Exhibebat cincticuli loco comis Puella Gentilitium Collal-

torum

torum Stemma, eo Lemmate, quod in fluminis nomen cadebat perbellè; Silerim enim *à Silendo* dictum volunt: ejuſquippè amnis aquæ tranquillæ adeò, ac ſilentes labuntur, ut vix exaudiri ſonitus queat. Lemma autem illud erat: *Silet hoc, loquiturque ſilendo*. Hæc porrò omnia, ut peregrinis viatoribus fierent planiora, altero hoc non invenuſto Epigrammate ad ſtatuæ baſim deſcripta.

Hæc quid ſigna notant, triplici vultuque Puella?
Urbs, Clypeum, & tacito quid docet unda gradu?
Quid color hìc? pingui quid ſubdita jugera glebâ;
Et Cereri, & Baccho quid juga ſacra volunt?
Terna docet Facies, quod ſit Terviſia Tellus:
Urbs Urbem hanc ſimili nomine digna probat.
Collalti clypeus Genium tegit; inde vireſcit:
Hujus opes dextra hæc imperiumque monet,
En Sileris Flumen (ſilet hoc, loquiturque ſilendo)
Allambit Domini ſtemmata clara ſui.
Quod Terviſinam dum præterlabitur Urbem:
Quid ſileat novit, quidque loquatur, habet.

Vix finieram; cum ſtatim illi ne te amplius, vexes, Parthenie. Tenemus quippè verſiculis tàm ſonoris rem totam ordine expoſitam; eique lubenti animo, aſſentimur. Quid enim ad perſuadendum, ſilentio iſto eloquentius, quo & mulcetur ſimul animus, & erigitur, & eruditur? Sed quoniam, non una de præclariſſima Collaltorum origine (ut nuper tute innuiſti) pervagatur opinio, dic ſodes, poſt confirmatam egregiè Betuſſii ſententiam: quæ tua tandem mens ſit, quodque hâc ſuper re volvas judicium? Nulli nempè magis fidendum eſſe, quàm tuo, atque ex aliis, atque ex nobis ipſi non ſemel, ubi præſertim in erudito verſemur pulvere, didicimus. Bona verba! tum ego. Sed ne ulterior nectatur mora, dicam lubenter, quod ſentio. Vereor tamen, ne tempus non ſuppetat. Et illi: de hoc inquiunt, timorem excute; ſi abſolvi hodie narratio nequit, quod ſuper fuerit, craſtinâ expedies. Bene eſt, tùm ego: adeſtote igitur; remque ordior hoc modo. Etſi tàm multa, & varia ſint, quæ de pervetuſtâ hujus Familiæ origine perhibentur, ut eam definire difficile admodum accidat; (1) ex clariſſimo tamen, Regioque Longobardorum ſanguine ducendam eſſe; id mihi non veroſimillimum modò, ſed tàm certum eſt, quàm quod certiſſimum. Huic ſiquidem ſententiæ non unus, aut alter, probatæ fidei Author ſubſcribit; ſed quod mirum oppido eſt, (præter Tabulas, & publica hac de re (2) monumenta) unanimis ſcriptorum conſenſus adſtipulatur. Unum profero

(1) Joannes Jacobus de Iſchia, ſcena de Tragici amori lib. 4. pag. 157.

(2) Illud, in primis Donationis Inſtrumentum ſub ann. 991: quod à Sanſovino refertur pag. 2.

fero diſertum, (1) atque huic ſententiæ fautorem acerrimum, illuſtriſſimum virum, Henricum Abbatem à Collalto, qui in celeberrimâ Hiſtoriâ Collaltinâ, ſingulari ſtudio, ſummâ eruditione, ac feliciſſimo ingenio ad literariæ Reipublicæ commune bonum elucubrata, univerſa propemodùm, quæ de Collaltorum genere quatrincenti, & amplius primæ notæ Authores, Latini, Itali, Germani, Galli, atque hiſpani in lucem dedere, congeſta in unum, ad lidium veritatis lapidem, ſolertiſſimè revocavit. Qua verò tempeſtate potentiſſima illa Longobardorum Natio ab ultimâ uſque Saxoniâ, infeſtis ſignis Italiam invaſerit, tenetis credo. Scio equidem, hic ſtatim Cotta, Alboinum à Narſete invitatum, relicto Danubio, Gepidiſque, Saxonibus, & Bulgaris in Societatem aſſumptis, cum ducentis Barbarorum millibus, ſub annum à Partu Virginis DLVIII. in eam Italiæ partem irrupiſſe, quæ Hetruſcos inter, & Alpes jacet; ibique Regni rudimenta conſtituiſſe. Cui tum ego: eruditè tu quidem Cotta; ſed cedo nunc, amabo te, ullum ne in præclariſſimâ hac ſtirpe antiquitatis documentum illuſtrius, quàm tutò poſſe, citra omnem fucum, per duodena continentèr ſæcula, aviti ſanguinis ſplendorem, ne minimâ quidem defectionis nubeculâ oſtentare? Et ille: nullum profectò: iſtuc enim temporis ſpatium adeò diuturnum dixerim, ut perdifficile ſit, unum, aut alterum tam certæ, tam diutinæ, tam exploratæ nobilitatis Genus, intermiſſâ nunquam Principum Serie, percenſere. Sed age ſis; tum ego, & preſſiori argumento novum aliquid Collaltino Generi ſingularis commendationis accedat; idque eò lubentiùs apponam, quòd placere tibi, & Lævino nullus dubitem. Ita, inquit Cotta, atque iſtuc abs te, ut pro Lævino etiam ſpondeam, avidiſſimè expectamus. (2) Quibus tum ego: Quàm inſignes, quàm clari nominis per totum orbem Familiæ Comitum, & Principum de Hahenzollera, & Sigmaring, Burgraviorum Norimbergæ, Marchionum Brandedurgenſium S. R. I. Electorum, & illuſtrium Boruſſiæ Regum, habitæ ſint ſemper, & habeantur, latere vos haud arbitror. Ita enim verò, tum illi. Verùm quid inde ad rem? Plurimùm ſanè, inquam: accipite. Ampliſſimas hujuſmodi, quas ſuo quamque nomine, diſtinctas volui, ab Collaltinâ unâ, ut à fonte fluxiſſe, conſtantèr affirmare non dubito. Papæ! hîc illi: Mira, inquiunt, & nobis hactenus inaudita narras Parthenie. Mira quidem, tum ego; (3) at publicis, privatiſque literis, ac monumentis uſqueadeò perſpecta, atque explorata, ut æquus

rerum

(1) Marcus Barbarus Cronica delle Famiglie Venete Verbo Collalto.
Franciſcus à Caſono Genealogia Comitũ Terviſii, atque Collalti.
Nicolaus Maurus Tract. de Terviſinis Gentibus.
Idem Hiſtoria di Treviſo lib. 1. pag. 30.
Franciſ. Sanſovinus origine delle caſe illuſtri d'Italia pag. 2.

(2) Henricus Collaltus ſpecimẽ Collaltinæ Hiſtor. par. 1.

(3) Jacobus Zabarella in moroveis lib. 2. fol. 20

rerum æſtimator addubitare non poſſit. Mitto, ne longus ſim, antiquiſſimum in Domibus hiſce Gentilitium Inſigne iiſdem omninò notis coloribuſque diſtinctum. Mitto non contemnendam, ex ipſo Agnomine, conjecturam; *Hohenzollern* enim germanico, idem ſonat, atque italico ſermone, *Collalto*. Mitto denique ſupremas Teſtamentorum tabulas; quibus ſi fortè, (quod boni ſuperi avertant) Collaltina Familia deficeret, Hohenzolleranæ ſubſtitutiones ſanciuntur. Hæc, inquam, omnia lubens omitto; cum ſatis abundèque ſit locupletiſſimum pro re noſtra Sereniſſimi Georgii Wilielmi, Electoris Brandeburgici teſtimonium. Is de pervetuſtâ Familiæ ſuæ origine differens, eam a Petro I. Collalti Comite, Rambaldi III. Terviſii Comitis Filio, ſub annum MCXI. Hohenzollerano Genearchâ deducendam eſſe apertiſſimè aſſeveravit; idque (ut ipſiſſimis ejuſdem Electoris ſereniſſimi utar verbis) *ex communi Authorum conſenſu; quidquid* (1) *nonnulli nimium creduli Hiſtorici, omni prorſus fundamento deſtituti, ſeu hæſitanter* (2) *ſcripſerint aliud chimæricum Petro cognomen imponentes; cum pro Collalto*, (3) *Oſcitanter, & præpoſterè Columnio ſint interpretati, candidæ explanationi parum, aut nihil admodùm affixi.* Hæc ille, cui potiſſimùm, niſi qui vel fide mala, cæcutire velit, vel invidentiâ cæcus non videat ſanæ mentis homo fidem omnem adhibeat neceſſe eſt. Quo illi loco: Euge, inquiunt, Parthenie, quòd rem tàm miram mirâ eruditione confeceris; & quam verebamur Collaltinæ Genti invidiam creari, teſtimonio tàm luculento citiſſimè abſterſeris. Quibus tùm ego: hoc, inquam, metu angi vos, ac torqueri jam ſuſpicabar. At non is ego ſum (ſcitis jam) qui ut amicum præconiis cohoneſtem, aliis injurius inimicos parem. Præterquam, quod ad Collaltini Generis gloriam nil opus hac laude, nec fucatis aliis, & commentitiis ad nominis claritatem commendationibus. Longè majora opinione omnium decora, atque ornamenta habet illa, undè niteat etiam illuſtriùs. Exilit ad hanc vocem Lævinus; & quid, inquit, rei eſt, quod enumeratis hactenus accedere utcumque ad cumulum queat? Quid? Cui ſtatim ego: Regiæ nempè ſanguinis propinquitates, cognationes, affinitates, mutua demum, atque ſolennia cum ſummis Regibus, atque Imperatoribus conjugia. Ita ne vero? Tum Lævinus, & Cotta. Ita prorſus: tum ego. Qua in re (quoniam inclinari ad veſperam dies videtur non eſt, quòd teſtimoniis pluribus immorer colligendis; unum, aut alterum perpaucis afferam. Comitem in primis Jacobum Zabarellam, probatiſ-

(1) Galeatius Gualdus Priorat. Trattato delle noticie dell'Imperio lib. 1. cap. 21. pag 61.

(2) Reinerus Reineccius origines ſtirpis Brandenburgicæ.

(3) Antonius Teiſſier les Vies des Electeurs de Brâdebourg.

(1) Morovea pag. 96. & 97.
Henricus de Collalto Hiſtor. collaltiana.
Dominic Franciſc Calin Tabula Genealogica.
Idem Theatr. Genealog.

ſimæ fidei (1) Authorem: hujus quæſo vos *Meroveam*, cum ad manus erit, evoluite; ubi ſummâ eruditione illud oſtendit, Collaltinam ſcilicet Gentem cum quovis Chriſtiano Principe, quem regia majeſtas, & auguſtum diadema commendet, ſanguinis communione conjunctam. Conſulite porrò Dominicum Franciſcum Calin, Sereniſſimi Bavariæ Electoris Bibliothecarium, hiſtoricum ætatis ſuæ ſolertiſſimum, cujus duo extant Opuſcula hac ſuper re, ex quibus unum modò ſi vobis Titulum recitem, indè non operoſum erit colligere, quò evecta ſit amplitudinis Collaltina Familia. Uni, quem Leopoldo I. Imperatori dicavit, Libello hic inſcriptus eſt *titulus*: *Tabula Genealogica, in qua Stemmatographico ordine demonſtratur, qualiter omnes Imperatorres, Reges, Archiduces Auſtriæ à tempore Alberti I. Romanorum Cæſaris ex vetuſtiſſimo Comitum Collaltorum Sanguine per contracta Matrimonia promanarunt*. Alteri vero amplior hic. *Theatrum Genealogicum, in quo Stemmatographico ordine repræſentatur, qualiter Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Dominus, Dominus Antonius Franciſcus Sacri Romani Imperii Comes de Collalto, & Sancto Salvatore, &c. Hæreditarius Dominus in Pirnitz, Rudoltz, Fhadowitz, &c. Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius, & Camerarius, necnon ſupremus inclyti Moraviæ Marchionatus Judex, &c. Ex Auguſto Rodulphi I. Romanorum Imperatoris, ac Comitis Hamſpurgici ſanguine, ceu omnes moderni Europæ Reges, & Reginæ, per contracta matrimonia feliciſſimè promanavit*. Ad hæc illi præ nimiâ voluptate geſtientes, ſatis eſt, inquiunt; Quis Parthenie manus non det? Plana enim hîc omnia, & adeò explicata, ut nil Ædipo opus ſit. Quid proindè mirum, tum ego: ſi quæ ſunt ſummæ Nobilitatis ornamenta: publici nimirum honoris, auctoritatis, ditionis, atque Imperii ampliſſima munera, hæc omnia, in omne tempus, unâ hac in familià collecta eſſe videatis? Et quoniam nulli non pervia, ſatis ubique gentium cognita, ac pervagata, curſim indicaſſe ſufficiet. Cui non dictus tot Titulorum cumulus per ſeriem temporum ſplendidè auctus? Ecquem lateant Provinciarum penè innumeræ Præfecturæ: innumera aurei Velleris, aureæque clavis inſignia: innumeræ ad ſummos Hierarchas, ad Galliarum, Hiſpaniarum, Angliæque Reges honorificentiſſimæ legationes? Atque hic, ut fit in meſſibus, manipulatim colligite tot intimos Familiares peritiſſimos in Politicis, in Militaribus, Cæſarum Conſiliarios: tot Militum Tribunos, Equitum Magiſtros, Conſilii bel-

lici

lici Præſides? Tot commiſſi Cæſarei executores, tot Generales Vicarios, tot denique fortiſſimos exercituum Imperatores. Et quò ulterius, amabo vos, aſpiret hominum gloria, ubi tàm præclarè, tàm ſupra invidiam, & Pace, & Bello Sagum exornavit, & Togam? Non dum hæc acervatim collegeram, cùm Lævinus, & Cotta, converſis alter in alterum Oculis: ò locupletiſſimum, exclamant, gloriæ, ac dignitatis compendium! Hanc, ſtatim ego, tantiſper quæſo admirationem comprimite; donec, quod reliquum eſt, ampliſſima Collaltinæ Gentis dominia, ut promiſeram, paucis innuero. Vix igitur ducto ſpiritu, ſic orationis filum reſumpſi. Certum, compertumque illud eſt, quod retroactis temporibus, præter Terviſii Comitatum, complures etiam Dynaſtias, oppida, Caſtella, Servos, Villas, Regiones in Italiæ, Germaniæque Regnis: præſertim vero Alpes inter Tauriſanas, & Adriaticum Fretum Collaltini tenuerint; maximumque florentiſſimæ Regionis tractum, Vitrorum Inſulam Venetiis, Vallem Euganeam in Tiriolenſi Regione, Ditiones etiam in Auſtriâ, & permultos alibi clariſſimos Dominatus, quos recenſere infinitum propè fuerit. Verùm hâc tempeſtate (quod Familiæ amplitudinem commendat maximè) plurimas in Tarviſianâ Marchiâ obtinent Toparchias, Jurisdictiones, Vectigalia, & plura, & maxima, ut ajunt Feuda; quibus id (1) prorſus inſolens, ac ſingulare, *ut jura penè omnia Regiæ dignitatis accedant*. Ad hæc ſplendidiſſimæ in Germaniâ ditiones, præſertim in perantiquo Moraviæ Marchionatu. Præſtantiſſimæ in Boemiæ, conjunctarumque Provinciarum Comitiis, atque Inferioris Auſtriæ Senatu prærogativæ, ac privilegia. Cæſarei demum (ne cætera percenſendo fiam prolixior) Ybbſenſis ad Danubium Telonii hypothecaria poſſeſſio opulentiſſima. Ubi hæc de Collaltinæ Gentis Dominatu, atque Imperio ſummatim libaveram, ſtatim illi, exultantem lætitiam cum diutiùs comprimendo non eſſent, de ſellis aſſurgere, involare, in amplexus ruere, atque exclamare: Macte hac eruditionis copiâ, & pompâ, Muſarum delicium Parthenic, qua immenſam gloriæ ſegetem, ut uno veluti obtutu demiraremur, per compendiariam duxiſti. Jure igitur optimo Mecænati tuo gratulamur, cujus à ſanguine, à titulis, à ditionibus avitum decus, & cumulatiſſimus ſplendor, te diſſerente, nobis mirificè inclaruerunt: Gratulamur & tibi, quòd talem nactus es Mecænatem, qualem ſibi contigiſſe, Venuſinus meritò gloriatur, Atavis nempè editum Regibus, & vatis Præſidium, & dulce Decus. At unum,

(1) Cardinalis Franciscus Zabarella conſilior. libro. pariſius conſil. lib. 2. Anonymus Juris interpres, legale, & Hiſtoriale conſultum,

K 2 hoc

hoc loco Cotta, illud abs te, inquit, ſuaviſſimum caput, ad rei totius coronidem, quàm poſſum impenſiſſimè efflagito; quod & Lævino in votis eſſe cognoſco; ne quæſo, quos in tantâ familiâ effloruiſſe certo certiùs crediderim, viros egregios, Heroas & plurimos & clariſſimos, tàm ingrato premas ſilentio; eorum enim, & gloriæ hæreditatem, & perilluſtrium factorum imitationem ad Mecænatem tuum pertinere exploratiſſimum omninò eſt. Cui tum ego: Serò nimiùm mones. Utinam & plus ſuppeteret temporis, quàm flagranti animo non ſatis modò facerem votis, verum etiam quàm longiſſimè exuperarem. Rem tamen totam paucis teneto. Collaltinam Familiam, Trojanum Equum jure meritò dixeris; undè quot Viri, Heroes totidem prodierunt, quibus id propoſitum, atque perfectum, non ut Trojam, immiſſis noctu facibus, inflammarent; ſed ut Italiam, Europam, omnemque Orbem, effuſis undique maximarum virtutum luminibus, illuſtrarent. Pleni illuſtrium geſtorum Annales; plenæ ad ſatietatem Hiſtoriæ; neque diem in Faſtis ullum inveneris, quem, vel Collaltini Herois, vel, quod mirum magis, Heroidis Collaltinæ aut grande nomen, aut factum illuſtrius inſigni notâ non diſtinguat ac decoret. Quid? quod, ſi nulla veterum extarent ſcripta, aut monumenta, una loqueretur pro cunctis ampliſſima illa Pinacotheca, qua nihil pictius, ornatius nihil. Unis illa illuſtrium Collaltinæ Familiæ Virorum Imaginibus, longo ordine, ingentique multitudine confertim inſtructa eſt, atque illuſtrata. In eâ omnes ad unam Heroum Icones inſtar miraculi, omnia ad unum nomina inſtar triumphi ſunt. Hàc, Lævinus, quâ data, inquit, porta, ingredior: Et quoniam inſignes tot Heroum Tabulas cernere non datur, quæſo te, Parthenie, ut Viros hoſce, & mihi, & Cottæ eodem, quo viſuntur ordine in laudata Pinacothecâ, per temporum ſeries diſpoſitæ, vivis coloribus, eloquenti facundiæ tuæ penicillo depingas affabrè, ut ſoles. Cui ſtatim ego: magnum opus, ingentem lapidem tu me, Lævine, movere vis; Enitar tamen; tum, quòd Mecænati optimo pergratum fore confido, tum etiam quòd tibi. At promiſſum iſtuc hac lege habeto, ne in craſtinum aſymbolus veneris. Quid afferam? tum ille. Quid? ſtatim ego; perpolitum, quæ tua erit ſymbola, epigramma conficies, quo Collaltinæ Familiæ celſitudinem, & claritatem dilucido, ut ſoles, ſtylo commendes. Illud eſto argumenti loco propoſitum ſchæma, quo, largus Fons ac pellucidus ſummo de Collis vertice erumpens perenniter, exhibetur; eo

cum

cum lemmate ad imam Fontis urnam : *Colle qui ſurgit ab Alto* . Mox , ſi roges , ſi lubet, inciſum annuli gemmâ ſchæma ipſum , ut eſt , commonſtravero . Contributum etiam velit Cotta laborem ſuum; ut dulciſſimæ utriuſque Muſæ , inito veluti fœdere , Rambaldo meo adlaborent. Hoc loco, aperto uterque capite : In tanti Viri, tantæque Familiæ commendationem quid valeant exiles, atque inconcinnæ Poetarum pedeſtrium Muſæ ? conabimur tamen aliquid, & ſi quid fuerit peccatum, tu caſtigaſſis Parthenie. Atque hæc ut dicta, extabeſcente jam die, ne ſerotinæ nocerent auræ , perſolutis urbanitatis officiis , properè abjerunt.

CAPUT V.

Promiſſa Heroum Collaltinorum Series, interjectis identidem eorumdem Imaginibus, explicatur.

SEdebam benè mane ad lucubratorium lectulum; utque in Amicorum reditu non imparatus opprimerer: modò illuſtrium Collaltinæ Familiæ Heroum nomina : modò ſelectiora ſingulorum facinora : modò tandem certiorem temporum feriem animo repetebam . Ea porrò omnia accuratiùs expoſiturus, ac promptiùs, ſingula rerum capita tumultuariis in tabulis , ut memoriam juvarem , curſim , raptimque inſcribebam. Qua in re eram uſque adeò defixus, ut nec Lævinum, & Cottam clamitantes de viâ , nec domi oſtium pulſantes omninò exaudirem . Adaperto interim per Fabiolum oſtio; auditoque, me cum Muſis agere , Muſæum repentè ingreſſi, meumque ſilentium demirati, quandiù te , inquiunt , excutiemus ? Quandiù te nobis inſolens hic mentis exceſſus furabitur ? Tanton'apud te in pretio ſint Muſæ tuæ, ut præ illis cures neminem? Quibus ego : hanc mihi , quæſo , veniam date , quod tantâ animi intentione ſuſcepto oneri , ſpartæque adornandæ navabam operam ; ut nec clamitantium voces de viâ; neque pultantium ſtrepitum domi exceperim . Id verò , ne ſtatim Poëtæ vertatis vitio velim, quòd poëtico abreptus œſtro , moram hanc fecerim; ſed , ſummæ, effuſæque voluptati, qua totam Collaltinæ Gentis amplitudinem in brevi hoc Elenco , veluti in ſpeculo , contemplabar . Utcumque fuat , hîc ſtatim Lævinus , manum aliquando de tabulâ : & quoniam innubis cœli facies , tepidus aër , & dies tàm amænus , quàm qui maximè, ſurge, amabo te , ac pedem domo efferamus , Laxandus iden-

identidem, ne tenſus diù frangatur arcus. In apricum, apertumque collem, animi gratiâ pergamus; ubi, poſtquam reſpirarum fuerit aliquantiſper de ſuaviſſimo Cœlo, cum otioſis eſſe, nobis non liceat: ego demandatum mihi abs te exequar munus: tu, quæ perhumaniter ſpopondiſti, ad conſtitutam diem dependas. Cui ego: optime tu quidem mones, Lævine: eamus, quò lubet; at manete pauliſper, donec de prandio Puerum admoneam; & mea, & veſtra intererit ſi minus baſilicè, at ſaltem mediocri frugalitate adornari. Tùm Cotta: Quolibet prandio jucundiorem nobis eſſe conſuetudinem tuam Parthenie, probè jam tenes: curam hanc deponito: Hic ſtatim qui de proximâ pænu, omnia audierat Fabiolus, procedens, ite, inquit: Parnaſſum vobis, mihi culinam relinquite, utris res accidat meliùs, pro me palatum Judicem volo. Hoc loco omnes: jocatus es perbellè erudituIe, undè hæc tu, qui ſtipes merus? & ille, ſcitis jam unde; ex eo nempè, qui me Aſinum volare docuit. Ad hæc ſubridentes mihi gratulari Lævinus, & Cotta; mox indutis calceis, ſumptoque ad manus bacillo ac petaſo, eò iter direximus, undè altâ veluti è ſpeculâ Anianus lacus, & jucundior crateris pars propiùs ſpectatur. Facili ad collem clivo perreximus; quo, hyeme recurrente, cum nihil ſit apricanti opportunius, voluptuoſius nihil, ad id unicè factum à Naturâ merito dixeris. Hùc ut perventum, ò beatas, inquam, charitum ſedes! Viden Cotta, ut Ver amæniſſimum, invitâ Aquilonis hiberni rabie in hoc ſolo, tot, tamque variis undique floſculis conveſtito explicat ſe ſe? Ad roſetum hoc ſuaviſſimum, amabo vos, conſidamus. Indè Lævinum reſpectans: ageſis, inquam, & quod cudiſti carmen, limatum perbellè, ut puto, proferto in medium. Limatum? Tum ille: imò rude, impolitum, ac plenum properatæ feſtinationis. At qualecumque illud ſit, recitare non abnuo: atque illicò de ſcripto cantitavit.

Collis, amor Dryadum, ſalve: ſalvete receſſus,
 Unde fluit largo flumine lympha loquax.
Ut ſalit! Ut creſcit, *Colle* hic, *Qui ſurgit ab Alto*
 Fons ſacer, & notâ tendit in aſtra viâ!
Grande Olli auſpicium, proceſſus grandior: auctas
 Auget aquas; alveo major & ipſe ſuo eſt.
Cernitis? Hæc vera eſt Collaltæ ſtirpis imago;
 Quæ dum celſa tenet, celſius urget iter.
Atque hoc una potis nomen ſibi ſumere; Quòd ni
 Ipſa ſibi præeat, nulla præire queat.

Ut

Ut recitavit: Macte, ſtatim ego, hac ſtyli venuſtate, atque elegantiâ Lævine. Ipſiſſimum hoc epigramma, quod tu rude, ac lævidenſe munus arbitraris exemplo meliori reſcriptum optimo Mecænati meo per proximum tabellarium mittam citiſſimè: illi enim, utpotè in literis cum primis exercitato, Muſiſque amiciſſimo pergratum fore crediderim. Bona quidem verba, hic Levinus, queis meritò ſuperbirem, ni memor, & compos mei probè noſſem, quàm ſit mihi curta ſupellex; quod verò rem probes, quod laudes, amicè facis. Cui tum ego: Tua iſthæc Lævine, quam in paucis reperio, egregii animi moderatio, atque ſibi conſtans ubique ingenii indoles placet. Sic enim ſunt inter homines plerique, ut de iis etiam laudem, & plauſum mereri ſe putent, ob quæ ſint potiſſimùm exibilandi; quod ſi quando aliquid effutiant, agant, conſcribant, quod minimum ſapiat boni, continuò ſibi plaudunt, ſe venditant, ipſumque cœli verticem digitis contrectaſſe ſe, & videri volunt, & haberi. Sed quæſo, tum Cotta: quid ad rem noſtram cynicorum iſthæc querela? Illa quidem vera eſſe, atque explorata, omnia ſatis tenemus; at, pace dixerim tuâ Parthenie, neque hujus loci ſunt, neque temporis. Ad oſtii, ut ajunt, limen aliquando veniamus; & promiſſam Collaltinorum Heroum ſeriem, & quæ maximè audire aveo eorundem geſta præclariora, enucleatè, ut ſoles, ediſſere. Cui tùm ego: memorem mones, Cotta: quî enim fieri poteſt, ut ejus rei oblivione capiar, quæ ſumma negotii eſt? Id autem me, ut latinè loquar, pungit vehementèr, quod Flori nitidus ſermo, ac ſtylus brevior, materiæ tractandæ idoneus, mihi deſit omninò. Et illi: curam iſtam, inquiunt, prorſus exuito. Tuus utrique ſtylus, ac ſermo non ceruſsâ imbutus; non calamiſtro diſcretus; ſed nativâ lautitie, ſed ſua ſimplicitate venuſtior, aures, atque animum miro modo demulcet. Idcircò, ut fidem tuam liberes, noſque à longioris expectationis tædio vindices, enixè rogamus. Quibus tum ipſe: faciam libentiſſimè, & quod vobis, idem & mihi fuerit pergratum. Amicas igitur commodate aures: jam ordior telam.

Et principem ſibi locum jure merito poſtulat Raymbaldus, primum, & antiquiſſimum Collaltinæ familiæ decus. (1) Is enim omnibus militiæ artibus egregiè inſtructus, & Grimoaldi, Italiæ Regis exercitus Imperator fortiſſimus, conſilio, virtute, auctoritate: diſciplinam, arma, imperium reſtituit, excoluit, amplificavit. Adelbergam Ariberti Inſubriæ Regis filiam habuit uxorem. Hinc ſecundas obtinet

(1) Joan Jacob de Iſchia Hiſtor. de Longobardi lib. 5. pag. 205. & pag. 229.

(1) Idem lib. 4. pag. 157.

(2) Idem lib. 5. pag. 189.

(3) Ferdinand. Ughellus Ital. Sac. tom. 5. edit. 2. col. 491

(4) Joan. Bapt. Nicoloſius lib. 1.

(5) Jacobus Zabarella Morovea lib. 4. pag. 63.

(6) Hentic. Abbas Iſtor. Genealogica.

(7) Idem loc. cit. & in Collaltæ Gentis com.

net Raymbaldi Germanus frater Goſbertus (1) natu minor, militari tamen prudentiâ, animi magnitudine, & felicitate par fratri, immortalem nominis gloriam adeptus, (2) Cenciam ex auguſtiſſimâ Aniciorum Gente, duxit uxorem: toti tandem Inſubriæ à Pertarito Longobardorum Rege (quod meruit) Præfectus eſt. Quid tùm Terviſii Comitem, ac Ducem Gerardum (3) recenſeam? Sui ævi Principem præclariſſimum, Pietatis columen, & ſingularis in Deum Religionis exemplar, paucis quidem, ſed dignè ſatis commendavit Ughellius. Hoc loco Cotta, qui nonnihil in Ughellio verſatus erat; Lætor, inquit, Parthenie, Gerardum hunc, quem Deo Opt. Max. per omnia deditum laudatus Auctor appellat, Collaltinis hujuſce Familiæ Faſtis aſcribi. Is enim ſi benè memini, propè Terviſium, magnis ſumptibus, regali munificentiâ ampliſſimam cum inſigni cœnobio Baſilicam non erexit modo, ſed ſplendidè etiam ornatam profuſa bonorum largitione ditavit. Cui ego: eruditè, tu quidem Cotta, ut ſoles. At hæc levia ſunt, ſi cum cæteris, hæreditariæ veluti Pietatis monumentis locupletiſſimis conferantur. (4) Nicoloſium hac ſuper re conſulebam hoc mane in ſuo Hercule ſiculo, locumque inveni ſubiectæ materiæ aptiſſimè accomodatum, quem ut legi, ne excideret memoriâ in parvâ ſchædulâ, ipſiſſimum tranſcriptum volui. Hic eductam è marſupio ſchædulam Lævino, ut erat, recitandam tradidi. Et ille: hæc, inquit, ex Nicoloſio: *Beneficia Abbatiæ, quarum ſola Narviſienſis, præter alias facultates, triginta ſex Eccleſiis ferè omnibus Parochialibus in Agro Terviſiano eſt donata*. Atqui, interpellat hic me Lævinus; quid eſt Parthenie, cur interjecta hæc linea ſententiæ continuationem abrumpit? Nempe, tum ego: quæ ſequuntur ex Zabarella, (5) alias decerpta memineram, & quoniam ad idem faciebant, adjeci. Jam perge ſis, & ille, *Xenodochia, Fana, vel ſplendidè excitata, vel elegantiùs reſtituta, ampliſſimaque prædiorum acceſſione ditata: quin & pervetuſtæ, recenteſque cœnobiorum pro Caſſinenſibus, Ciſtercienſibus, Carthuſianis, Franciſcanis, Carmelitis, Minimis, aliiſque nobiles pariter ac divites Fundationes, quàm fuerit Familia hæc erga Religionem benefica, erga pauperes profuſa, ſatis ſuperque teſtantur*. Vix recitavit, cum ſtatim ego: Quàm bellè igitur (6) Henricus Abbas de Collalto poſtquam alia retuliſſet chriſtianæ munificentiæ teſtimonia, *uſque adeo*, ſubjecit, *hujus Proſapiæ Majoribus nil fuit antiquiùs, quàm annoſi Generis Propaginem Pietatis alimento enutrire*. (7) *Pietas Collaltianam Fami-*

Familiam in magnitudinem, quâ viguit, vigetque auſpicatò perduxit. At redeamus, quæſo vos, ad inſtitutum: nam extra lineam tranſilire res benè longa non patitur. Atque hîc dolendum ne magis, quòd temporum injuriâ intermiſſa hæc fuerit aliquando Heroum ſeries; an lætandum, quòd ſub annum trigeſimum ſupra noncenteſimum, per Comitem Raymbaldum (1) redauſpicata feliciùs, ad hæc uſque tempora, conſecutione perenni continenter pervenerit? Is namque, in hoc ſyllabo Primus, eâ fuit & omnigenæ literaturæ præſtantiâ, & bellicæ laudis dignitate conſpicuus, ut inter Armorum ſtrepitus, in utroque par ſibi, ſecundus nemini, & avitum Familiæ decus, & domeſticam rem non reſtituerit modò, verùm etiam rectè factis tum Genti ſuæ ſplendorem, tum domeſticæ Rei (2) Lovadinam in Marchiâ Tarviſianâ ditionem, Italiæ Regibus Berengario II. & Adelberto I. gratiam rependentibus, auxerit. Ad hæc: Quis, inquit, Cotta: longè fauſtiora deinceps ſibi incrementa non ſpondeat, ubi à ſelectiſſimo Heroe redintegrata Collaltinorum ſeries, auſpicatiſſimum ſumpſit exordium? Et ego: putaſti tu quidem, quod res eſt, Cotta. Nam tanta fuit (3) Raymbaldi II. Comitis, & Terviſiani Principis gloria, quantam vix Poſteritas credat: cui ſplendidiſſima principum virtutum corona, unanimi Hiſtoricorum conſenſu *Magni* cognomentum fecit. Et jure Magnum dixerint, quem tres Romanorum Imperatores, Othones (4) duo, nimirum II. & III. & (5) Conradus I. ob multa, & maxima, quæ vir clariſſimus cùm domi, tùm belli geſſit facinora. Ditionibus, Vectigalibus, Privilegiis, Regionibus ſingulari, ac penè regiâ prærogativâ donarunt. At illud, me judice, longè commendabilius, non quòd (6) Othonis III. animum, tantâ familiaritate, ac neceſſitudine ſibi devinxerit, ut Romam iturus Otho, ibique à Gregorio V. P. M. coronandus, fidiſſimum unum ſui itineris (7) comitem, & triumphi voluerit; ſed quòd tot inter abblandientis Fortunæ lenocinia ſuum ipſe Animum uſque adeò integerrimæ vitæ, & ſingularis ſanctimoniæ ſtudiis omnibus excoluerit, ut magnificè quidem, at non ὑπερβολικῶς Henricus Abbas de Collalto, uſurpaverit: *quot documenta* (8) *Viris, vel percenſentur, vel attinguntur, tot hujus Herois extant monimenta Pietatis*. Atque illud etiam tantæ pietatis gloriæ acceſſit ad cumulum, quòd Giſlam, (9) ſeu Gyſelam, Paulucii Patavinæ Reipublicæ Conſulis meritiſſimi, niſi mavis (10) Berengarii II. Regis Italiæ, filiam, non majeſtate ſolum, ſed parem regiâ virtute, duxit uxorem.

[1] Documentum apud Muratoriũ nell' antichità eſtenſi, & Italiane part. 1. cap. 16. pag. 152.

(2) Berengarius, & Adelbertus Italię Reges. Diploma datum Papiæ anno 959. In Archivio Collalti Comitum.

(3) Documentum in Archivio Monialium S. Zaccariæ Venetiis anno 1010.

(4) Diploma datum anno 980. in Arch. Coll. Com. Diploma datum 982. in eodem Archivio.

(5) Diploma anno 1038, in Archiv. Coll. Com.

(6) Anonymus. Elogia Comitum Terviſii, atque Collalti.

[7] Documentum apud Muratoriũ in cit. op. pag. 188

[8] Antonius Scotus in additionibus ad Italiam Sacram Ughelli, tom. 5. Dominicus Bozzonus il ſilentio di S. Zaccaria ſnodato, pag. 59.

[9] Liber cui titulus: memoria antiquiſſima domus Baziolæ de Paduà uſque ad hunc annum 1450.

(10) Marcus Antonius Nicolettus Patriarcato d'Aquilea, pag. 26. Apoſtolus Zenus, lettera Diſcorſiva pag. 5.

Quod profectò conjugium tàm bonis avibus initum, tàm beatâ prole Superi fœcundarunt, ut in diſcrimen meritò vocari poſſit, utrum Parentis utriuſque hæreditariâ Pietate, an ſuâ ipſi magis Filii inclaruerint. Natu enim maximus Raymbaldus III. luculentiſſimum piæ munificentiæ, inter cætera, ſpecimen præbuit; quòd celebrem Divi Euſtachii Abbatiam, (1) propè Narviſiæ Caſtrum fundavit, eamque Romano Pontifici addictam præclariſſimæ Caſinenſium Familiæ ex aſſe tradidit. Iſtuc autem virtutis cumulatiſſimæ Patrimonium Filio, & Hæredi Raymbaldo IV. reliquit; is tamen acceptum non ſervavit modò, ſed auxit; quippè (ut Henrici, ſæpiùs laudati ipſiſſimis utar verbis) *quippè*, inquit, *quam Genitor Narviſienſem Abbatiam fundaverat, quatuor Eccleſiis, ſexaginta & octo Manſis, uno emporio, Raymbaldus, ejuſque Vxor* (2) *Mathilda, Burghundi Marchionis Filia, unicâ vice donarunt*. Dignus proindè vir, quo (3) Henricus IV. Germaniæ Rex chariorem ſibi haberet neminem; ejuſque egregia merita donis ampliſſimis, regioque Diplomate teſtaretur, quo in Toparchias, oppida, Caſtra, aliaque intra Italicum Regnum jura firmiſſima, præſertim in Terviſiano, Patavino, Cenetenſi, & Vicentino ſtabilivit imperium. Quod quidem amoris, ac benevolentiæ pignus Enſediſio I. Terviſii Comiti, & Guidoni II. ejus Germano fratri, certiſſimum eſſe voluit (4) Henricus V. Germaniæ Rex, & IV. hujus nominis Imperator Auguſtus. Quid enim Auguſti animum non devinciret, oculos non perſtringeret, Collaltinæ Familiæ geminus Amor, Italici, ac Germanici Orbis geminum Sydus? Quid porrò de Joannis, & Alberti Comitum Munificentiâ copioſiùs eloquar? Eam quidem paucis, ſed ſatis tamen deprædicant utriuſque de[illegible]andata Poſteris monimenta: Illius profectò, quæ in (5) Cenotaphio apud Terviſii Templum affabrè extructum lectitantur ad baſim.

Qui prædia multa reliquit.
Has quoque Canonicas, & Mænia vaſta Theatri
Iſti Baſilicæ.

Alterius verò, quòd, decretâ in Chriſtianæ Religionis hoſtes expeditione, Hieroſolymam tranſmiſſurus, quamplurima Collaltinæ Baſilicæ Divi Georgii (6) bona legavit. Quo ſe nobiliori militiæ ſacramento Albertus ſanctiùs obſtringeret: Cujus in poſterum Fortunæ præclariſſimo Sancti Joannis (7) hieroſolymitani Militum Ordini dono attributæ, ipſæ etiam pro Orthodoxâ Fide militarent ad gloriam? Ad hæc ſtatim Cotta: Diù, inquit Parthenie, læti-

(1) Bulla Alexandri II. P. an. 1062. Calliſti II. anno 1123. Innoc. II. an. 1135. & Eug. III. an. 1148.

[2] Hieronym. Ruſcellus, le impreſe illuſtri lib. 2. pag. 320.

(3) Diploma Henrici IV. an. 1077. in Arch. Coll. Co.

(4) Diploma anno 1116. in Archiv. Coll. Comit.

(5) Bartholomeus Burchelatus Cōmētariorum memorabilium Hiſtoriæ Terviſinæ locuples Promptuarium lib. 1. pag. 313.

(6) Henric. Abbas Bullarium Collaltianum, ubi ſupremæ Tabulæ Comitis Alberti rogatæ an. 1138.

[7] Idem Auctor ibidem, ubi Encyclica epiſtola fratrum ordinis S. Joan. Hieroſolym. an. 1450.

lætitiam ; qua perfundor, maximam vix tacitus continui: patiare, quæſo te, ut exclamem aliquando præ gaudio. O ſuaviſſimam tot Heroum Collaltinorum memoriam! O admiranda tantæ Pietatis, ac Religionis exempla, quibus accendi maximè incitarique poſſit ſera Poſteritas! At perge porrò, hic Lævinus, & plura, & majora expecto, quæ admirer altiùs, Parthenie; teque oro, Cotta, ne interturbes; ni enim fallor, permulta ſuperant, quæ curioſiùs, & avidiùs attendamus, Quibus ego: Et tibi Cotta nonnihil fuit cauſæ, cur exclamares; & tu Lævine, ut res eſt, divinaſti. Quod ad me, pergerem libentiſſimè; at illud vereor (adeò prolixa res eſt) ne vobis tædium ſim allaturus. Et illi: quinimò, & rei magnitudo, & ſermonis tui ſuavitas, ſi quod unqnam inſurgeret, faſtidium omne deterget. Tum ipſe, geram hunc vobis morem. Ut Heroum ſeries continuo quodam filo, ac ordine cohæreat, memoriæ occurrunt peropportunè, ingenti virtute, parique nominis gloriâ Viri duo, germani fratres, duo fulmina belli, & ter inclyti Terviſii Comites, (1) Manfredus I. & Schenella I. In altero enim, non ſolum militares artes, ſed & Imperatoriæ virtutes ſingulari quadam gratiâ elucere certatim viſæ ſunt. Quam obrem feſtivâ totius Terviſianæ urbis acclamatione publicæ (2) adminiſtrandæ Rei Præfectus Princeps, copiarumque omnium Imperator renunciatus, tot initis feliciter præliis, totidemque feliciùs confectis, ſui Ævi Ducum ſtrenuiſſimus ſemper habitus, unâque omnium voce fuit appellatus. Et quò non eum bellica virtus evexit? Quâ gloriæ Fortunarumque acceſsione non cumulavit? Ab (3) Henrico VI. Germaniæ, & Romanorum Rege Terviſinum Comitatum beneficiario jure ſuſcepit: à Friderico I. (4) Imperatore litium appellationibus, Cæſareâ auctoritate Judex conſtitutus. Magnum hoc ſanè, ſed illud majus, quòd perantiquo in privilegiis omnibus jure firmato, regium quidquid infra Terviſii ambitum comperiebatur (unum ſi demas Piſcationis vectigal) ampliſsimis literis regiâ cum facultate contulerit. (5) In altero verò, ut multa paucis perſtringam, quot geſta, tot gloriæ tituli: quot pugnæ, tot triumphi: quot demandatæ Provinciæ, tot ad immortalitatem gradus. Is (6) à S.R.I. inſtitutus, & confirmatus Terviſii Comes, Comitatum illum integerrimè adminiſtravit. (7) Paci optatiſſimæ inter Alexandrum III. S. P. & Ænobarbum Cæſarem Venetiis initæ, cum multis Peditum copiis interfuit. E' Sereniſſimâ Marchionum Montisferrati (8) Familiâ uxorem habuit, ex

[1] Gregorius Piloni, Hiſtoria di Belluno lib.2.pa. 77.

(2) Joannes Bonifacius Hiſtoria Trivigiana lib.3. pag.150.

[3] Henrici VI. Diploma an. 1191. in Arch.Coll.Co.

[4] Friderici Diploma an. 1155. in Arch.Coll.Co.

(5) Jo. Franciſcus Palladius de olivis, ſtorie della provinc.del Friuli, par.1. lib.5.pa. 179.e 180.

(6) Henrici VI. Diploma in Arch. Collal.Com.

(7) Fortunatus Ulmus ſtoria della venuta a Venetia d'Aleſandro III.

[8] Stemma antiquiſſimum Comitum Terviſii, atque Collalti, inſignibus affinitatū exornatum.

ex qua plures ſuſcepit liberos. Florentiſſimus natu maximus Rambaldus VI. Terviſiani comitatus, & paternæ virtutis hæres locupletiſſimus, Parentis conſilia, atque inſtituta, quibus cum avitæ gloriæ conſuleret incremento, tenax retinuit; quod enim cautum paternis Tabulis, ut is nempè ex fratribus demortui fratris hæreditatem adiret, qui baltheo eſſet militari præcinctus: omnium primus perfecit. Domi, Militiæque educatus, ita Provinciam (1) ſibi concreditam comitèr, prudentèrque geſſit unus, ut gloriari ſubditis ſolenne ſemper fuerit, ſub tanto Principe ſe publicam nactos felicitatem. In expeditionibus, ac militari apparatu ita egregiam ubique navavit operam; ut Henrici VI. Romanorum Regis, & V. nominis ejuſdem Imperatoris, publicis (2) Monumentis, ac literis rem confirmantibus, non modò benevolentiam, amorem, familiaritatem ſibi omnem demeruerit; verum etiam Imperialis Vicarius in Terviſii Regione universâ, jure ampliſſimo, fuerit conſtitutus. At videte, quæſo, quanta dicenti mihi ſuccreſcat seges; quanta amplioris gloriæ ſubeat materies; ut, licet in hac Familiâ ſint omnia maxima; majus tamen, ac longè uberius admirationis argumentum occurrat. Advertite igitur animum; attento opus eſt. Et illi: hîc ſtamus, inquiunt; quidque iſtuc ſiet, avidiſſimis auribus expectamus. Quibus ego: atque audite. Sub annum, à Partu Virginis MCC. ex præclariſſimâ hac ſtirpe floruit Beatus (3) Volckerius, tum doctrinâ, tum ſanctimoniâ, & miraculis (4) laudatiſſimus. Is ex Patavii Epiſcopatu ab Aquilejenſi Collegio, ſeu, ut ajunt Capitulo, poſtulatus, pleniſque ſuffragiis ad Patriarchale munus electus; quo in munere per Innocentium III. P.M. (5) confirmatus, Patris amantiſſimi beneficentiam, religioſi Antiſtitis dignitatem, Principis integerrimi partes omnes abſolutiſſimè implevit. Quare Henrico VI. & Friderico II. Imperatoribus apprimè charus: Innocentio, & Honorio III. ſummis Hierarchis jure merito in deliciis fuit; & Pontificis utriuſque de latere Legatus (6) Venetos, Terviſinos, Patavinoſque ſingulari prudentiâ, ſummâque dexteritate inter ſe conciliavit, atque conjunxit. Omnigenâ (7) Eruditione Vir, Divinis præſertim imbutus literis, Lateranenſi Concilio interfuit, tot inter ſanctiſſimos Patres, ſanctitate non ultimus, Religionis ornamentum, Columen veritatis. Quàm porrò opima fuerit, quàm dives ejus virtutum, & prodigiorum ſeges, abundè ſatis teſtantur, quæ memoriæ prodita ſunt certiſſima documenta. Illud equidem non prætermittam, quod inſolens omninò

(1) Joan. Bonifacius, storia Trivigiana, Nicolaus Maur. stor. di Treviſo.

(2) Diploma datum anno 1190. alterum 1191. in Arch. Coll. Com.

(3) Anonymus Patriarcharū Aquileienſium vitæ, in Anecdotis à Muratorio erutis, to. 4. pag. 246.

(4) Joan. candidus comment. Aquileiens Joan. Fran. Candidus, ſtoria del Frioli part. 1. lib. 5. pag. 211.

(5) Ughellus Ital. sac. Tom. 5. Edit. 2. column. 77.

(6) Joan. Franc. Palladius de Olivis ſtorie del Frioli part. 1. lib. 5. pagina 195.

(7) Ughellus loco laudato col. 78.

ninò, atque inauditum, de ejus Tumulo, (1) Sabellicus, oculatus teſtis, produxit. Atque hæc ſunt ipſiſſima Auctoris verba: *Illud memoriâ dignum non præteribo, quod de Volckerii Patriarchæ Tumulo, partim legimus, partim ipſi vidimus: Hic cùm ſpectatæ vir ſanctitatis fuiſſet; factum eſt, ut poſt ejus mortem marmorea Arca, in qua ipſius corpus conditum fuerat, aliquandiù nullo adminiculo fulta, in aëre pependerit. Nos eam vidimus uno tantùm angulo humo hærentem*. Hîc ſtatim Lævinus: tàm oppidò mirum iſtuc Parthenie, ut in mirabilibus Eccleſiæ Faſtis tale quidpiam te perlegiſſe haud facilè crediderim. Non inficior: tùm ego. Quid enim mirandum magis, quàm è ſolido marmore ingentem Urnam, diù nativæ gravitatis oblitam, terras veluti faſtidientem, totâ circùm obſtupeſcente Naturâ, penſile Adſpectantium oculis, altioris ſanctimoniæ trophæum exhibuiſſe? Non abnuo tùm ille: Imò eò mihi viſum eſt mirius, quò illud rarius, atque inſolentius. Quare Mecænati tuo, quin gratuler temperare mihi non poſſum, quòd vel miracula ipſa, ſi gentilitia fuerint, inſigni ſingularitatis notâ exiſtant quodammodo illuſtriora. Ita enim verò, repoſuit Cotta; quid luculentius? At illud fortaſſis non advertiſti Lævine, quòd eo in Tumulo non geminantur modò, ſed perennant Prodigia. Perſtat adhùc nimirum Volckerii Urna uno dumtaxat angulo inhærens ſolo, cæteris novo ſemper, ac perpetuo fultis miraculo, ne ſuccumbant. Neque id ſine arcano Providentiæ conſilio factum reor. Quamobrem? hic Lævinus. Scilicet, tum ille: ut breve inibi Epitaphium hoc incidi commodè poſſet, quod olim ventoſa jactavit Græcia, ut ſuo plauderet Militi, pugnantis in morem, ſtanti etiam à cæde. Uno igitur verbo immutato, illud ſibi, & juſtiùs Volckerius vindicet.

Nemo mihi ſtatuam erigat;
Sufficit hoc Sepulcrum.

O' dictum bellè! confeſtim ego: O' copioſiſſimum laudationis λακωνισμὸν! laudo eruditionem tuam, & ingenium Cotta, quàm ad rem aptè! laudo animi tui, Lævine, erga Mecęnatem optimum, amorem ingenioſiſsimum, cujus ego nomine, & ago tibi gratias, & habeo. Verùm amabo vos, hora quota eſt? Nihil ne de reditu cogitatis? Provecta, ni fallor, jam dies, hic diutiùs immorari, ut ut mihi jucundiſſimum, ultra non patitur. Et illi, explorato anteâ horario circulo, exindè ad me converſi; iſtam, inquiunt, Parthenie curam deponito: vide ſis, ſextam, & decimam cum quadrante ægrè index attingit.

(1) Sabellicus de vetuſtate Aquileiæ lib. 5. pag. 132.

Bene

Bene eſt tum ego : Quoniam ita , pergamus , & narrationis filum , ab Enſediſio II. Terviſii Comite , ut ipſa Heroum ſeries poſtulat , reſumamus . Is profectò magni nominis Princeps Henrico VI. Romanorum Imperatori chariſſimus , ob egregia in Rempublicam merita , non modò gentiles Titulos , Ditiones , Jura firma retinuit ; verùm aucta etiam , & exaggerata , Villam præſertim cum frequentiſsimo emporio , Regiumque vectigal ad Plavis fluvii tranſitum à tanti Cæſaris munificentiâ meritò obtinuit . (1) Conſtantiam Odoricam , Azonis VI. Marchionis Eſtenſis filiam ſibi matrimonio conjunxit . Nemini dos obtigit tàm opulenta , quàm huic Viro hæc Uxor : quippè quæ marito ſuperſtes domeſticæ Rei adminiſtrandæ impigram adeò locavit operam , ut ingentibus Collaltinam Domum reſtauraverit facultatibus reique familiaris detrimenta , amplificatis undequaque fortunis , ditiori fœnore compenſarit.

(1) Jacobus Zabarella, Morovea, par. 1. lib. 3. pag. 64. e 65.

Hinc natus (2) Terviſii Comes Rambaldus VII. Famæ Vir maximæ , deque Collaltinorum Familiâ optimè meritus , qui per Imperatorem Henricum VI. omni ditionis ſuæ jure firmato , ſolertiſsimus maternæ Æconomiæ hæres , dominii fines longè , latèque provexit : Provectos , quà induſtriâ , quà abblandiente Fortunâ , hæredi (3) Enſediſio III. reliquit ; cujus prudentiam , infractumque animi robur , Henricus Abbas , ſi benè memini , paucis hiſce perſtrinxit . (4) *Henſediſius III. Terviſii Comes , Marchiæ Terviſianæ procellas Eccellini , & Alberici , Lombardiæ Principum tyrannide exortas , ſummâ prudentiâ ſuſtinuit ; omnis fortuna magnanimum vidit .* Nec ſilendum reor , quod , vel inter hæc difficillima tempora , religioſiſsimus Heros , avitæ pietatis memor ergà Ciſtercienſem ſodalitatem Collaltianæ munificentiæ ſpecimen ſingulare præbuerit . Cum (5) Flosdeliſiâ Bonifacii Carrarienſis Filiâ ; ex eâ nimirum Gente , quæ Patavii potita eſt Principatu , nuptias contraxit dignitatis , & concordiæ plenas .

(2) Henric. Abbas iſtor. Collalt. & Collaltæ Gentis comment.

(3) Anonymus, Elogia Comitũ Terviſii, atque Collalti.

(4) Henric. Abbas Bullarium Collaltianum par. 1.

(5) Zabarella Morov. lib. 3. pag. 66.

Atque hîc finite , quæſo vos , perpauxillum reſpirem , donec aliquot , ſuo ſignata ordine , perantiqua Numiſmata in manus tradam . Ea volui in marſupio ſervata ; tùm quò memoriam in repetendâ tàm longâ ſerie juvarem ; tùm etiam quò vobis moleſtiam varietate minuerem. Eccum igitur ipſum ipſiſsimum , qui ab Enſediſio IV. ſuccedit , iconicum Heroem ; Lævine , hujus , nomen , inſignia , & titulos animadvertito , en & alterum tibi , Cotta ; hujus tu nominis dignitatem , imperia , & faſces ſublegito : iſthæc enim referre omnia , tua poſt Lævinum intere-

tererit. Hoc loco illi : ſummâ, inquiunt, animi voluptate hæc juſſa facimus Parthenie ; eòque lubentiùs, quòd cùm tibi reſpirandi locus datur : tùm nobis Icones haſce contemplandi jucunditas indè ſuavior, quòd inſperata conceditur. Interim Lævinus ; ut utramque Numiſmatis frontem attentiùs inſpiceret, aliquantiſper ſubſtitit. Tùm ad me converſus : ex notis, inquit, in extremo impreſſis gyro, ecce tibi, Parthenie, Nomen : Schenella IV. Terviſii Comes, & Collalti. At, quæſo te, quid ſibi vult appoſitus Collalti Titulus, quo neminem hactenus abs te inſignitum accepimus ? Cui tum ego : utut certum omninò ſit, pluribus jam antè ſæculis Collalti Caſtrum à majoribus excitatum, eorumdem ſub ditione fuiſſe ; hujus tamen Tituli antehâc Hiſtorici non meminerunt ; atque illum ſibi ab Schenellâ eatenus adſcitum crediderim, ut Poſteritas ſciret ; quia par omninò utriuſque comitatus fuerit Antiquitas, par etiam Familiæ ex geminato Titulo decus fuiſſe. Probabilia conjectas, hic ille. Verùm, quòd in adversâ fronte inſculptum affabrè intueor, id mihi perobſcurum fateor ingenuè : Quid refert, amabo te, frequentiſſima hæc Seniorum corona ? Davus ego : te Parthenie OEdipodem poſtulo. Cui tum ipſe : OEdipone opus in re tam perſpicua ? Quem ſtipatum vides conſeſſum, hic ampliſſimum refert Venetorum Senatum ; apud quem eo in loco Schenellæ humanitas, mens, atque indoles habita fuit : tanta in eo viſa ad omnia Reipublicæ munia naturalis dexteritas ; tanta, præter avitæ Familiæ regium ſplendorem, belli, domique ſolertia, ac virtus ; ut perhonorifico omnium ſuffragio, ad Patricium (1) ordinem, ingenti totius Urbis plauſu fuerit traductus. Ad hæc Lævinus : laudo, inquit, auguſtiſſimi Senatus prudentiam : laudo conſilium. Numquam enim Patriæ meliùs, Reique publicæ utiliùs nunquam conſultum reor, quàm tanto Principe in ſenatorium ordinem adlecto. Ita enim verò, tùm ego : nam ſummis (2) ibidem perfunctus honorum gradibus, maxima Reginæ Urbis imperia, maximâ cum laude adminiſtravit. Aliud ne oculis, aliud ne animis, Lævine, occurrit, quod roges? Nihil planè, tum ille ; niſi ut Numiſma alterum proferat Cotta, oſtendatque ſubſequentis in Serie Principis Imaginem, nomen, inſignia ; Unus ne ipſe manus habeat ſub pallio ? Bene eſt, tùm ego : move te ocyùs Cotta, & Lævini animum expleto. Hic ille : quàmcitiſſimè, inquit, me expediam. Explicatam Iconem vide ſis. (3) Grande Nomen : Rambaldus VIII. Terviſii Comes, & Col-

(1) Marcus Barbaro, Cronica delle Famiglie Venete Patritie lib. 1.

(2) Idem Auctor ibidem.

(3) Bartholomæus Burchelatus, commentariorum memorabilium Terviſinæ Hiſtoriæ lib. 4. pag. 596.

Collalti : grandior majeſtas oris. Frons Martem ſpirat : Ex oculis, quòd mirum magis micant amor, & minæ. Magnus hîc profectò, Parthenie, & ſupra cæteros egregius Heros, quem & hîc triumphales lauri, coronant; & parte in adversâ admixtæ lituis tubæ, Vexilla, tympana, & quotquot ſunt gloriæ militaris inſignia ornant, ac famulantur. Cui tùm ego Divinaſti tu quidem Cotta: Nam vel primo ætatis flore, quædam in eo animi vis ad glorioſa quævis, ac difficillima alacris, atque expedita. Baltheo (1) militari exornatus, clariſſimos inter ſui ævi, Duces prudentiâ, (2) ac fortitudine excelluit. Terviſinorum Imperator (3) ſalutatus, non belli ſolùm, ſed Pacis artibus: non armis modo, ſed plenis etiam ſapientiæ conſiliis, Patriæ plurimùm profuit; Quod ſi cætera non extarent virtutis in eo ampliſſimæ apud Poſteros monumenta; unus ille ſufficeret ad Sarcophagum (4) Principis in Epitaphio verſus inſcriptus.

Exceſſitque viros, quem tegit ille lapis.

Jure igitur merito à Benedicto XI. P. M. Piceni Marchio (5) creatus. A' Venetâ Republicâ, cui charus imprimis, in Patriciorum Albo (6) non ipſe tantùm, ſed univerſa Collaltinorum Familia honorificentiſſimè adſcripti. A' Friderico, Auſtriæ Duce (7) Romanorum Rege, inter Familiares, intimoſque conſiliarios cooptatus. Ab Joanne XXII. ob collata in Romanam Eccleſiam beneficia, literis (8) Avenione datis, ſingularis benevolentiæ, & grati animi ſignificationibus cohoneſtatus. Uxores habuit duas: Conſtantiam (9) Jacobi de Guidottis, Silvæ Comitis filiam: & Claram (10) Caminenſem, ex Cenetæ Comitibus; ſuaviſſimam præ cæteris, quas cum ſummis Italiæ (12) Principibus matrimonio filias conjunxit, (12) Amabilia denique Azoni Eſtenſi dedit uxorem, undè, veluti ex fonte Viri clariſſimi, ut mittam alios, prodierunt Thaddæus, Venatarum legionum fortiſſimus Imperator, & Michael Cardinalis Turrianus nepos, ab inſigni literaturæ laude digniſſimus. Ad hæc Lævinus: Dilucidè tu quidem, ut ſoles, rem Parthenie expoſuiſti. At adhuc reſtat, quod curioſiùs inquiram. Quid? tum ego: Et ille: Neſcio quam, inquit, in longinquo veluti poſitam ſignat Arcem Numiſma. in cujus imâ parte Tabella eſt, ni fallor, Cæſareo munita ſigno. Quid hæc ſibi velint, ediſſere, amabo te. Cui ego: Rem oppidò dignam ſcitu; & quam tu, cujus intererat Cotta, non advertiſti; acriori obtutu introſpexit Lævinus. Date igitur aures; paucis me expedio. (13) Arx, quam videtis, Caſtrum, vulgò

[1] Zabarella, Merovea lib. 3. pag. 68.

(2) Albertinus Muſſatus lib. 8. pag. 64.

(3) Jo. Bonifacius Hiſtor. Trivigiana, li. 6. pag. 334.

(4) Henricus Abbas Marmorea Collaltiana.

(5) Hieronym. Henningius, opus Genealogicum par. 2. to. 2. pag. 1491. & 92.

(6) Petrus Grandodonico Dux Venet, Ducalis cum aureà Bullà.

(7) Friderici Diploma datum an. 1317. in Archiv. Coll. Com.

[8] Hujus Pontificis Bullæ quatuor in Archiv. Coll. Com.

(9) Zabarella par. 1. lib. 3. Grad. 29. pag. 68.

[10] Guilielmus, & Albrigetus Cortuſii, Hiſtor. de novitatibus Paduæ lib. 6. cap. 6. pag. 64.

[11] Jo. Battiſta Pigna Iſtoria de' Prencipi d'Eſte pag. 329

(12) Jo. Battiſta de Burgo viaggio di cinque anni par. 3. Zabarella par. 1. lib. 3. pag. 69.

(13) Henric. Abbas marmorea Collat.

gò Sanɾti Salvatoris nuncupatum, indicat, quod regiò ipſe ſumptu à fundamentis excitavit, pulcherrimum, Zabarella teſte, & deliciis omnibus (quod ipſe ipſiſſimus ait) abundans. Quæ porrò ad imum lapidem tabella cernitur, (1) Diploma notat ampliſſimum, quo Henricus VII. Romanorum Imperator Auguſtus Collalti, & Sanɾti Salvatoris Caſtra, cum plurimis ſubjeɾtis Villis, Viro præſtantiſſimo in Nobile, Gentile, Reɾtum, & legale, ut ajunt, Feudum, cum mero, miſtoque imperio, pleniſſimâ immunitate, ac liberâ omninò jurisdiɾtione conceſſit. Plenis, hoc loco, buccis: Euge, ad me inquiunt, Parthenie, quàm mirâ polles memoriâ! Quibus ego: iſthæc, ſi meminiſtis, recens evolui. At pergamus porrò; nolo enim ab inſtituto deflectere. En aliud ad manus Numiſma; hoc tu Cotta habeto; tibi enim Lævine aliud reſervo. Intereà loci, ubi Cotta avidiſſimis oculis ſurſum, deorſum effigiem totam luſtravit. Ecce, inquit, tibi Nomen, Parthenie: Manfredus II. Terviſii Comes, & Collalti. Quàm bellè huic vultus ad pietatem compoſitus! Quàm decens in fronte, in oculis Modeſtiæ fulgor! At quæſo te, vide, an ex his, quæ conſpicio, impreſſis ære inſignibus, id quod res eſt, probè conjeɾtem? Cui ego: dic age; lubens auſculto. Et ille: perlucenti præcinɾtum caput coronâ: Pedum aureum ſiniſtrâ geſtatum manu, ex unâ parte cum video: ex alterâ, cum enſes binos oleâ, lauro, palmis intertextos, geminâque infulâ circumvolante complexos demiror; Heroem fortiſſimum, contempto etiam quocumque mortis diſcrimine, pro Religione acriter tuendâ occubuiſſe facilè rear. Cui ſtatim ego: Acu rem tetigiſti tu quidem Cotta. Nam pervulgatus adeò de inſigni ejus ſanɾtimoniâ, ac literaturæ præſtantiâ rumor, & Fama latium, Italiam, Europamque totam pervaſit; ut, & Clemens V. P.M. in Cenetæ Epiſcopum, (2) ac Principem meritiſſimum ſtatim adlegerit: & Ioannes XXII. poſt eam Provinciam decennio mirabiliter adminiſtratam, Infulis Feltrenſi, (3) ac Bellunenſi, iſto encomione dixerim, an Oraculo, Sanɾtiſſimus Parens præfecerit: (4) *Paſtor*, inquiens, *morum gravitate conſpicuus: literarum ſcientiâ præditus: in ſpiritualibus providus, & temporalibus circumſpeɾtus*. At quamobrem, veteri deſtituto, novum hoc Præſuli demandatum eſt munus? id à me fortaſsè ſcitamini. Eâ potiſſimùm de causâ reponet laudatus Hierarcha, *ut ob inſigne Virtutis, & Familiæ Nomen Eccleſiæ jura Guecelli caminenſis vitio, eo loci jam pridem læſa, ac propemodum ſublata, conſilio, & au-*

[1] Henrici VII. Diploma datum Januæ 1312.

(2) Ughellus, Italia Sacra tom. 5. Edit. 2, col. 208.

[3] Idem Auɾtor in additione ad Bellunenſes Epiſcopos tom. 5. edit. 2, col. 160.

(4) Joan. XXII. Bulla Populo Feltrẽſi, & Bellunenſi miſſa 1320. in Arch, Coll, Comit.

ctoritate reſtituenda curaret. Intereà ad me Lævinus : Novi jam profectò Parthenie, quod hùc adveneris accinctus, meditatuſque : Quis enim tot, ac tanta, ſuo ordine, ac numero, & quod mirum magis, iisdem omninò verbis dixerit imparatus? Cui tum ego : mirari tu quidem deſine Lævine; facit id quippè ſingularis in Mecænatem meum amor : *meminerunt omnia amantes*, ſed redeamus illùc, undè divertimus; & quæ in laudatâ nuper provinciâ invictus Heros confecerit, quàm breviſſimè attingam. Bellunum, eâ tempeſtate pervenit, qua ſupra modum teterrima Guecelli peſtis graſſabatur. Pro Eccleſiæ libertate vindicandâ infractos Majorum animos præſetulit Feltriam Urbem adverſus Caminenſium impetum propugnavit : Codorem, fractâ perduellium pertinaciâ, in priſtinam Romani Pontificis obſervantiam recepit. Mox, dum ſacra perageret, populoſque inter ſe certantes ad pacem excitaret, aſtu (1) circumventus, Sacerdos idem ac Victima, triumphalis victor occubuit. Ad hæc Lævinus : quàm ſcitè, inquit, quæ in Numiſmate inſculpta vidimus, quadrant inſignia! Quàm decoro nexu Principis laurus cum Palmâ Præſulis copulàtur! At nunc ageſis, quod ſervaſti mihi, Parthenie, cedo numiſma. Cui ego : accipe & argenteum, & mole grandius, necnon multâ elaboratum arte. Recita Herois nomen, expedi te. (Intereà continui riſum, ut potui, ne quid ſuboleret de technâ : præli enim, aut Cuſoris vitio factum, ut permixtæ, ac confuſæ nominis notæ non benè ſatis cognoſcerentur). Moraris adhuc Lævine? profer aliquando; cujum nomen; ego, & Cotta expectamus! Et ille. Numiſma quaque verſus explorans, tandem, inquit, id unum probè video Parthenie, placere tibi me ludos facere. Tùm ego, ut inceptum jocum tenerem : Quid me tibi vis imponere? Ille verò, quas recitem, inquit, nullæ hîc notæ. Nullæ? tum ego : qui unquam fiat? ſine ut videam : utque oculos admovi : ecce, inquam, Herois Nomen : Tolbertus I. Terviſii Comes, & Collalti. Nonne ità Cotta? Hîc autem ſeriò : cæcus ſit, non luſcioſus modò, qui id non legat : mox intempeſtivo riſu comœdiam hanc perturbavit. Ubi animadvertit Jocum Lævinus, gaudeo, inquit, hanc vobis anſam relaxandi tantillùm animi, me deceptum lepidè præbuiſſe. Verùm ad ſeria; & quoniam nomen Tolberti novum accidit omninò, novæ ab eo geſtæ res, quin amplioris etiam gloriæ acceſſionem Collaltinæ Genti fecerint, haud equidem dubito. Et divinaſti ſanè, tum ego : Vir quippè Tolbertus animi magnitu-

dine,

(1) Joan. Bapt. Caſtrodardus Chronicon de Epiſcopis Bellunenſibus Cortuſius, Hiſtoria de novitatibus Paduæ lib. 2. cap. 20. pag. 73.

dine, (1) morum probitate, factiſque egregiis jure merito inter clariſſima Collaltorum lumina recenſitus. Venetam Rempublicam coluit maximè; pro qua ſuſcepit bella & plurima, & difficillima, eademque (2) victor, obſtupeſcente Fortunâ, celeritèr, felicitèrque confecit. Fugatis (3) iterum, ac ſæpiùs hoſtibus, munitiſſimas Arces in ſervitutem redegit. Urbibus Bellunio, Feltriâque, conſilio, ac manu expugnatis, & (4) Venetæ ditioni fines amplificavit; & palmam ſibi retulit immortalem. Atque hæc curſim de ſingulari in Patriam ſtudio, ac pietate; quæ tot beneficiis devincta, Ducem fortiſſimum ſummis (5) honoribus cumulavit. Pauca nunc de ſanctiſſimâ in Deum Religione, quam cum ſplendidâ munificentiâ conjunctam ex animo ſemper exercuit. Luculentiſſima extant apud Carthuſianos (6) in Montelli nemore monumenta, quæ Tolberti conditoris optimi ampliſſimas impenſas opes, regiamque liberalitatem deprædicant. Ad hæc Lævinus: nunc teneo, inquit, Parthenie; quid ſibi velint criſtata galea: diſtrictus enſis: Laureæ complures in alterâ hac Numiſmatis parte, eleganter, diſtinctèque ſatis expreſſa. Sed reſtat adhùc, quod planum facias. Quid? tum ego. Et ille: Viden'? Hanc nempè Arcem cum Vicis, haud otioſè a cælatore effictam crediderim. Cui ego: iſthùc ibam, Lævine: atque audi. (7) Arx iſta nobile Teuſopi Caſtrum: Tecta illa peramœnam Villam, Villæque adnexa jura, & Comitatum in Valle Euganeâ commonſtrant; Quæ omnia locupletiſſimus Princeps à Bigardo de Rongegno, ingenti auri pondere, ſibi, ſuiſque, ad avitæ ditionis incrementum, coemit. Hoc loco, cum exultans Lævinus rueret in amplexus: Apage, inquit Cotta, inofficioſa iſthæc officia Lævine; quibus tu quidem narrationi filum abrumpis intempeſtivè. Sine aliquando, ut quod è vidulo extrahere jam videtur Parthenius, numiſma tradat in manus. Cui ſtatim ego: opportunè, ac ſapienter monuiſti: ſcis enim me, antiquis moribus hominem, qui effuſa hujuſmodi officia pro offuciis habeam: tu igitur præmii loco, hoc tibi ſumas, Cotta, explicandum Numiſma in auro cælatum pulchriùs, & mole majus; eodemque temporis puncto, dedi evolutum è carthulâ. Jam verò, dum ille quaquaverſum intentis oculis acerrimè contemplatur; ſtatim ad me Lævinus: nolim te mihi ſubiratum Parthenie; noſti profectò, & quæ ſint Aſſentatoris, & quæ intimi familiaris officia; ſatis etiam, & abundè me noſti. Cui ego ſubridens: ne leviter quidem turbavit animum jocus; jam enim diù quàm ſimplex, quàm ingenuus ſies,

(1) Galeatius Gualdus Prioratus. Scenæ degl' huomini illuſtri litera R. Franciſcus Sanſovinus dell'origine delle Famiglie illuſtri d'Italia lib. 1. pag. 3.

(2) Joan. Bonifacius Iſtoria Trivigiana, lib. 9. pagina 477. & li. 10. pag. 518.

(3) Idem Auctor pag. 480.

(4) Idem ibidem pag. 491. & Sanſovin. loc. laudato.

(5) Galeatius Gualdus loc. cit.

[6] Antonius de Macis Chronica Religionis Charthuſianæ in Montelli nemore exiſtentis.

(7) Georgius Piloni ſtoria di Belluno lib. 4. pag. 159.

non ignoro . Sed age nunc tu Cotta , penſum exolve ; Herois nomen exprome ; diutiùs , quam par eſt , Rotam hanc vortiſti , ac revortiſti . Et ille , en nomen : Schenella V. Terviſii Comes , & Collalti . Proh quantum vel in auro ſpirat bellicæ virtutis nativa Imago ! Proh quanta in Vultu commiſta ſedet cum comitate Majeſtas ! Ut penè vibrante dexterâ fulmineus enſis terret ſimul , & placet ! Quæ porrò in facie adversâ ſpecies admiranda virtutum ! Hîc Vulcanum videas clypeum cum galeâ præbentem Duci . Hîc divitem copiam opes pleno cornu fundentem . Ad dexteram alitem Genium manu alterâ laureas Coronas ; alterâ Caduceum geſtantem : Ad ſiniſtram erectum Leonem , volumen ſtringentem unguibus , cum uncialibus hiſce literis A.C.N.S.V.Q. quas interpretari tuum erit Parthenie . Quod ad me , hæc quidem omnia magni nominis Heroem innuunt , bellicâ præſertim laude clariſſimum . Ita enim vero tum ſtatim ego : Is enim acceptam ab optimo Parente Rambaldo VIII. ampliſſimam gloriæ hæreditatem , re , fortuniſque fecit auctiorem . Adoleſcens generoſæ indolis , æquè ac ſenilis prudentiæ ſpecimen dedit . (1) Politicis rebus , & coſultis (2) militaribus verſatus egregiè , utramque vicit fortunam . Legionum (3) Ductor Venetis contra Pannonicas Acies opem tulit. (4) Toparchias ſuas , & caſtra , ab eorumdem furore militum , quos Pannoniæ Rex Ludovicus odio effuderat , vindicavit . Affinium denique Scaligerorum vim , ac potentiam Inſubriæ univerſæ infenſiſſimam , conſilio , & armis penitùs fregit . Atque hinc illud jam planum fiet ; cur tot inſertæ coronæ ; cur additum Numiſmatis Caduceum : ille relatas de Pannonico Hoſte victorias : hoc redditam Inſubriæ pacem deſignat . Hinc & illud liquet , quid ſibi velint notæ illæ , quid volumen , quid Leo ; hic nimirum (5) Venetorum Rempublicam Comiti meritiſſimo officioſam : illud literas (6) quamplures innuit eidem ad grati animi monumentum per Venetos Principes , publicâ authoritate , conſcriptas . Eæ demum præcipuæ literarum ſunt notæ , quibus quanti ea Reſpublica Schenellam , ejuſque Familiam , fecerit , ſatis oſtendit ; cum illud voluit ſignificatum . *Ad Conſervationem Noſtri Status , Veſtrique* . Porrò , enumeratis promeritis , quænam contigiſſe præmia putatis ? Illud ſanè recenſendum in primis , quod (7) Caroli IV. Imperatoris in omnem benemerentis animi ſignificationem contulit effuſus amor . Is enim Cæſareis quinque diplomatibus , benevolentiæ plenis , Ducem clariſſimum cohoneſtavit , quibus non modò firmata voluit

(1) Zabarella, Morovea part. 1. lib. 3. Grad. 30. pagina 69.

[2] Idem Auctor ibidem.

[3] Henricus Abbas.

(4) Joan. Bapt. Verus, rerum Venetarum lib. 2. Bellum Pannon. ſecundum, pa. 136.

(5) Joan. Bonifacius ſtoria Trivigiana lib. 10. pagina 532.

(6) Jo: Delphinus Dux Venetiarum Ducalis data anno 3359. in Archiv. Coll. Com.

[7] Caroli IV. Imperatoris Diplomata, in Archiv. Collalt. Comit.

luit Imperia, ditiones, & jura omnia, quæ retroactis temporibus, Regum, & Imperatorum munificentia Collaltinis eſt elargita; verum etiam partim præmio, partim dono attribuit in Terviſiano, & Ceneteníi, Muſeſtris, ut ajunt, & Collis Sancti Martini, & Radii nobilia Caſtra: in Patavino Vallem Duplavilem, eique adjunctos Servos, & Villas cum omni imperio, atque ampliſſima poteſtate. Hoc nempè, hoc notat expreſſa in auro, *pleno prædives Copia Cornu*. Hoc Cotta loco: Euge, inquit, Parthenie; nequeo, pregeſtiens animo, quin plaudam tibi; venuſtè ſiquidem, & quod caput eſt, ad rem omnia collimant. Age nunc verò, atque aliud inſpectandum Numiſma porrigito. Sum enim hâc in re, ut noſti, bellè curioſus. Cui tum ego, facerem, inquam lubentiſſimè; at in vidulo, ut vides, quod apponam, ſupereſt nihil: & ille: nihil? Perge igitur, ut cæpiſti jam reliqua memoriter, & copiosè; geſtimus enim, ut pro Amico ſpondeam, reſcire, quæ tu in memoriæ penu ſervas ditiſſimè. Atque ego: timeo, ne Lævino, cui jejunius diù latrat ſtomachus grave futurum ſit exaudire. Ad hæc Lævinus: Numquid bulimiâ unus laborem? Et ſi laborarem Parthenie, ſcis optumè quanti facio ſermonem tuum, attico verè melle conditum, omnique ſiculo prandio ſuaviorem; quare, ut pergas, etiam, atque etiam rogo. Verùm iſthæc coquinaria, inquam, ſunt verba. Abeamus hinc, quæſo vos; ſol, ut video, à meridie non longe abeſt. Quod ad inceptam Heroum ſeriem attinet, aperire ulteriùs non gravabor de viâ. Benè eſt tum illi: At ne grandito gradus Parthenie. Imò, inquam, teſtudineo incedam.

Vix igitur iter occæpimus, cum ſtatim illi me contuentes, eja, inquiunt, dum aures damus, ex ordine, Herois nomen ediſſere. Quibus ego: currentine calcaria adiicitis? En Nomen: Rolandus I. Terviſii Comes, & Collalti. Is optimi Parentis Schenellæ V. optimus Filius, vivam paternæ probitatis prudentiæque imaginem præfetulit. In quo, vel adoleſcente, cum præclariſſimis animi dotibus imperii ſpes adolevit. Bellicis in rebus, quà mentis, quà corporis fortitudine, timoris neſciâ, expectationem ſui apud omnes excitavit eximiam; at in ipſo (1) ætatis flore fato præreptus, omnium lacrymis comploratus occubuit: Non ita tamen, ut nulla ſupereſſet pars ſui. Conſtantiam (2) quippè, pulcherrimam Filiam, & Generis, & gloriæ reliquit hæredem. Nupſit hæc Henrico de Lazano, clariſſimo Provinciæ Franconiæ Militi; ex quorum auſpicatiſſimo conjugio, Gaſpar ille in lucem prodiit, Baſſani Comes;

[1] Jean. Zabarella Morovca, par. 1. lib. 3. pag. 72.

(2) Sigiſmundus Imperator Diploma, anno 1437. pro Caſparo Ilikio Comite Baſſani in Arch. Collalt. Comit.

mes; trium Cæſarum Sigiſmundi, Alberti, & Friderici magnus Cancellarius: Agneti Sleſiæ Duci, & Sigiſmundi Imperatoris (1) conſanguineæ ſponſus non impar; quem meritò, ob ſingulares virtutes, primæ notæ Scriptores ſummis laudibus exornarunt. Jam verò, ne à rectâ ſemitâ, dum alienas laudes congerimus, deflectamus; perindè quaſi mutuatâ aliundè luce Collaltinæ Genti ſit opus: teneat jam locum, ut ſeries poſtulat, Rambaldus IX. octavi nepos, Terviſii & Collalti Comes. Hic, jam indè ab Adoleſcentiâ, animi fortitudine, morum comitate, doctrinâ, & pietate (2) conſpicuus, magnorum Principum, maximè Caroli IV. (3) Cæſaris, benevolentiam ſingularem, amoremque promeruit. Recentibus fortiſſimi Avi veſtigiis inſiſtens, operâ, & conſilio gloriam ſibi ipſe peperit immortalem. Acerrima (4) bella Religionis, & juſtitiæ causâ ritè ſuſcepta, validè, feliciterque confecit. (5) Solicetti Caſtrum, aliaſque munitiſſimas Arces victor ſubegit. Nihil habuit antiquius, quàm (6) Venetæ Reipublicæ ſummo ſtudio favere; & ad omne votum, fluente fortunâ, egregiis factis prodeſſe. Acrior tamen propenſi animi enituit ardor in pace componendâ (7) Venetos inter, ſocioſque ex alterâ: ex alterâ verò parte Pannoniæ Regem, Genuenſes, alioſque Fæderatos. Is enim (8) Taurinorum Auguſtæ cum Enſediſio V. Patruele ſuo ad fædus ſtabiliendum interfuit; Enſediſius Publicærei: Rambaldus Collaltinæ Præfectus: ille commune bonum ſapientèr, hic (quod unis datum ſummis Principibus) peculiari pro Collaltinis rebus Capitulo, (9) ampliſſima ſuæ ditionis jura, & ſubditorum commoda, in ſolenni Pacis ſtipulatione, ſpeciatim, (10) honorificèque curavit. Atque hîc, patere quæſo te, inquit Lævinus, ut Exclamem, Parthenie: O' Regiam oppidò Collaltorum Gentem, ad cujus ſingularis gloriæ faſtigium, vel in maximis Comitiis, & Reſpublicæ florentiſſimæ, & Socii, & Reges plenis ſuffragiis nova iſthæc decora contulerunt! Cui tum ego: quid nova inquis Lævine? Jam pridem in tot clariſſimorum Principum congreſſionibus pro pace, induciiſque, in tot Collegiis, Ciſalpinæ præſertim Galliæ ſolenni ritu coactis, huic Familiæ hæc (11) ornamenta ſæpè numero contigiſſe liquidò apparet, cùm ex innumeris Venetorum Principum literis ad Collaltinos Principes datis; tùm maximè ex publicis (12) tabulis Sapientiſſimi Senatus, apud quem fuit ſolenne, Collalti Comites *Amicos dilectiſſimos*, *Reipublicæ adhærentes*, *Patriæ benemeritos accerſere*; *atque ut vicinos*, *Fæderatos*, *Conſiliarios colere*. Hæc igitur mi-

(1) Idem Cæſar in eodem Diplomate.

(2) Æneas Sylvius de Bohemorum, &c. Hiſtor. cap. 53. pag. 125.

(3) Ludovicus Maymburgus hiſtorie du Vvideſianiſme part. 2. ſect. 6. pag. 26.

(4) Diplomata in Arch. Coll. Com.

[5] Joan. Bonifacius, ſtoria Trivigiana lib. 10. pag. 555.

[6] Idem Auctor ibidem.

[7] Zabarella Moroyea part 1. lib. 3 pag. 72. lit. C.

[8] Joan. Bapt. Verus rerum Venenarum lib. 2. pag. 168.

(9) Andreas Contareno Venetiarum Dux, ejuſq; litere in Archiv. Cullalt. Com.

(10) Michael Mauroceno in Arch. Collalt. Com.

(11) Joan. Bonifac. ſtoria Trivigiana lib. 10. pag. 170. Palladius, ſtoria del Frivoli, part. 1. lib. 10. pag. 477. Caſimirus Freſchot, li Pregi della nobiità Veneta edit. 2. e la nobiltà Veneta edit. 2. pag. 209.

(12) Laurentii Celſi, Andreæ Contareno, Michaelis Mauroceno Venetiarū Ducum literæ in Arch. Collalt. Comit.

mirari jam deſine; illud, me judice, oppidò mirum; quod in Heroe, tot curis, negociiſque diſtento, ſuum habuit principem locum religioſæ Pietatis ſtudium, & ardor: nam quæ anteà ejus parens Tolbertus patruuſque Schenella Cartuſianis Templa, & Cœnobia in Comitatu Terviſino magnificè poſuerunt, (1) unus ipſe poſteà amplificavit; collatiſque muneribus, regio pompæ apparatu exornavit magnificentiùs. Illud denique haud hîc ſilendum, quòd huic Comiti nupſerit Jacoba (2) de Ubertis, nobiliſſima inter florentinas Matrona, eâ potiſſimum tempeſtate, cum Florentina Reſpublica vigeret maximè. Hîc porrò Cotta: uſqueadeò, inquit, aucta in dies Heroum ornamenta, fortunas, virtuteſque, abs te, Parthenie, enarrante audivimus, ut nullus ultrà ſit gloriæ, nullus admirationi locus relictus. Ita ſanè, tùm ego: niſi de Collaltinæ Familiæ laudibus haberetur oratio; in eâ nimirum (quod, ut ſanctum, firmumque tenendum eſt) nunquam eò viſa dignitas, ac majeſtas pertingere, quamquam inſignis gloriæ apicem vicerit ſemper, ut non altiùs ſe ſe novis fortunæ, honoriſque incrementis extulerit. Atque utinam per tempus liceret; Heroum ſaltem ſenarium numerum, ut narrationis ordo poſtulat, in medium afferrem. Ad hæc Lævinus: imò ut pergas, inquit, & opportunum tempus, & quæ ſupereſt via benè longa. Et quoniam lubet, tum ego, libens aſſentior. En ex ordine recenſeo nomina; vos memoriâ tenete, aliâs non repetam. Ab laudato Rambaldo ſubſequuntur Marcus Carolus I. Enſediſius V. Schenella VI. Petrus Rolandus I. Antonius II. & Rambaldus X. præclara hæc quidem nomina; quæ nulla unquam obliterabit vetuſtas temporum; nulla iners teget oblivio. Verum, ne vel minimùm morer, ordior à primo. Is pro Cæſare Carolo IV. ad Innocentium VI. Pontificem Maximum Avenione (3) legatus, demandata ſibi graviſſima, & operoſa negocia ſummâ celeritate, exitu feliciori expedivit. In Germaniâ, tanquam in durâ Martis Paleſtrâ, belli artibus egregiè inſtructus, (4) ſæpè in Hoſtem Dux ipſe, & miles ſtrenuus irrupit: ſæpiùs ſuâ disjectum manu fugavit: ſemper è prælio nobilis extitit triumphator; maximè in Boruſciâ, ubi virtus ne, an Fortuna magis arriſerit, adhùc in ancipiti poſitum. Porrò, rebus feliciter geſtis, cum ex Germaniâ in Italiam remigraſſet, quaſi de Cœlo delapſum numen, feſtivis omnium acclamationibus exceptus eſt. Peruſini, ejus bellicæ virtutis famâ permoti, Gubernatorem ſuum, ſupremumque Ducem exercitus adlegerunt. Eo Comes in munere, ſummâ, qua pollebat, pru-

(1) Antonius de Macis, Chronicon Carthuſiæ Montelli in Agro Terviſiano, anno 1419. conſcriptum.

[2] Henricus Abbas eſpoſitione della Genealogia de Conti di Coll.

(3) Zabarella Merov. part. 1. lib. 3. pa. 91. Hieronym. Hennigius opus Genealog. par. 11. tom. 2. pag. 1491. 1492.

[4] Idem Auctor ibidem.

dentiâ, & fortitudine, optimi Principis partes explevit omnes. Præ cæteris recolendum illud; quòd in (1) Tiferni Tiberini expugnatione, & militaris diſciplinæ veterem normam, & Collaltinæ fortitudinis exemplum poſteris admirandum reliquit. Joannam (2) Juniperam ex vetuſtiſſimâ Comitum Purililiorum Gente præclaram ſibi conjugem copulavit.

Qui proximè ſequitur Collalti Comes, prudentiæ laude, animique præſtantiâ, par primo; at ſtudio, aſſiduiſque in Patriam officiis, nulli ſecundus. Hic Venetas partes, in illa rerum omnium perturbatione, contra Aquilejenſes, fœderatoſque Patavinos alacritèr ſuſcepit; ſuſceptaſque pro virili ſuſtinuit. In hac porrò, quam ſibi Patriæ amor concredidit provinciâ, mirum dictu eſt, quantum ejus, in Venetæ Reipublicæ præcavendis periculis, deſudavit induſtria, ſagacitas, ac mira mentis ſolertia; & quo tandem animi æſtu, exituque feliciori ejuſdem ampliſſima jura, in tantâ temporum improbitate defendit. Tanti Herois gloriam ſatis, abundèque teſtantur quinquaginta, & amplius Ducis (3) Andreæ Contareni publicæ literæ ad hunc Comitem datæ, quibus unis Collaltinorum Faſti immortales ſatis impleri poſſent ad gloriam, nulla quamvis alia extarent, tranſmiſſa in Poſteros monumenta. Huic non impar fæmina (4) de Camienſi Familiâ nupſit; qua viduatus Comes, acerbiſſimo fato, alteram ſibi de Auſtriaco ſanguine (5) matrimonio junxit illuſtriorem.

Jamverò, quod ad Tertium attinet, ne longus ſim, multa paucis perſtringo. Tanta Heroi inerat Comitas: tanta rei equeſtris, ac militaris peritia: tanta demum ad munia quælibet naturalis ingenii vis, ac dexteritas; ut, quamquam omnibus gloriâ longè anteiret; omnibus tamen apprimè charus, communem ſibi, ſui æqualium venerationem conciliarit. Cum autem nuptiarum ſolenniis Ludovicum inter, Ducem Aurelianenſem, & Valentinam Joannis Galeatii Mediolanenſium Ducis filiam concelebrandis, Lutetiæ Pariſiorum interfuiſſet; incredibile dictu eſt, quantâ exceptus humanitate, & quo in honore à potentiſſimo (6) Galliarum Rege, ſummiſque Regni Proceribus, unus ipſe tot inter Italiæ Principes meritiſſimos fuerit habitus. Atque id quidem eo loci ſingulare fuit, cùm in frequentiſſimâ Aulâ, Archetypum Caroli (7) magni aureum Diploma, omnium oculis exhibitum; quo Collaltini Principes in Comitum dignitate, non collato tantùm, ſed (quod mirum eſt) firmato jam indè jure, per-

(1) Sanſonius, dell' origine delle Caſe illuſtri d'Italia lib. I. pag. 4. Gualdus Scena degl' huomini illuſtri d'Italia litt. R.

(2) Henricus Abbas Hiſtor. Collal. & Elogia Comitum Collalti.

[3] Andreas Contareno Venetiarum Dux quinquaginta, & amplius Duales literæ Henricus Abbas, Regeſtum literarum Principum.

(4) Gualdus loco nuper laudato; & Hieronym. Henningius, opus Genealogiæ, par. 3. tom. 2. pag. 1491. & 1492.

(5) Sanſovinus origine delle caſe illuſtri, lib. 2. pag. 3.

[6] Andreas de Reduſiis Chronicon de rebus Marchię Terviſianę Comes virtutis.

[7] Idem Auctor ibidem.

perhonorificè decorabantur. Duo potiſſimùm de tot inſignibus Herois præclariſſimi factis, quæ paucis innuam, ſeligo inſigniora. Alterum, magni profectò animi, ſed conſilii majoris exemplum; ubi, Venetos inter, & Franciſcum Carrarienſem, Patavii Principem, recrudeſcente jam bello, inclytus Comes Actio (1) Ateſtino leviro ſuo, pro Venetis contra Ferrarienſes ſigna inferenti, vel per medios hoſtium cuneos impavidus, celerrimè, atque opportunè opem, auxilia, ſuppetias tulit. Alterum, & quidem majus, ubi Pipum Spanum; (2) infenſiſſimum Pannoniæ Ducem cum decem millibus equitum, Venetos fines invadentem, inſtructis confeſtim copiis, eluſit primò; mox ad Terviſii mœnia, converſo exercitu, appropinquantem fortiter exturbavit, demum Collalti Caſtrum adoriri tentantem fortiùs exegit, expulit, profligavit. Extant (3) Michaelis Steni Veneti Principis ampliſſimæ literæ, quibus admiranda Comitis hujuſce ſtrenuitas, Reipublicæ nomine, ſupra modum extollitur. Neque hîc tranſiliam illuſtre initum cum (4) Urſinâ, Franciſci Marchionis. Ateſtini filiâ conjugium; cui pro ditiori fuit dote, tùm quæ corpus, tùm quæ animum forma ſingularis, & egregia virtus ornaret,

Jam venio ad Quartum, ſi minus ætate parem; at certè animo, & virtute Tertio ſimillimum. Nam (ut iiſdem penè verbis refert Henricus) clariſſimus Copiarum Dux (5) Stativa, Annonam, bellicaque Pipi Spani exercitus Impedimenta penitùs diruendo, Terviſium ab obſidione vindicavit, oppugnationemque in Sancti Salvatoris Caſtrum converſam amovit fortiter, diſpulit feſtinanter. Vix hæc: cum ſtatim Cotta: Nec aqua, inquit, aquæ, nec lacti lac magis ſimile, quàm fortibus factis Schenellæ Rolandus, Ita enim verò, tùm ego: imò quod mirum magis, par etiam pari utriuſque virtuti laus, & honor habitus; ſervantur enim ſimili exemplo ab eodem Steno Duce conſcriptæ literæ, quibus & commendatur ampliſſimè Comitis fortitudo; & Reipublicæ nomine gratiæ, officiaque referuntur quammaxima. Accedit ad paris gloriæ cumulum perilluſtre connubium Cum (6) Eliſabethâ, ex Comitibus de Arco, qui ab avito Ducum (7) Bavariæ ſanguine trahunt originem.

Sed jam ad Quintum, tot ingentium Heroum Nepotem, Regiæque nobilitatis hæredem ſermo feſtinet, Vir planè hic animi excelſi præſtantiâ, munificentiæ commendatione, & piæ Religionis ſtudio ſuppar Majoribus. magnis ſui Ævi Principibus, Sigiſmundo præſertim, Ro-

(1) Zabarella Merovea par. 1. lib. 3. pag. 73.

(2) Henricus Abbas Hiſtoria Collaltiana, Commentarii, & Elogia Comitum Collalti.

(3) Michaelis Steno Ducales literæ, ſub an. 1413.

(4) Franciſcus à Caſono, Genealogia Comitum Terviſii, & Collalti, Sanſovinus pag. 3. Zabarella pag. 73.

(5) Henricus Abbas Elogiographia Gent. Collaltæ, Joan. Bonifacius, ſtoria Trivigiana libr. 11. pag. 619.

(6) Sanſovinus, dell'origine delle caſe illuſtri libro 1. pag. 4.

(7) Zabarella Merovea pag 91.

manorum Imperatori chariſſimus, (1) privilegia; & multa, & maxima ab eodem jure merito accepit. Hoc Lævinus loco: Ne quæſo, inquit, Parthenie, ſummatim adeò, ſuccintèque tanti Herois laudes percurras. Cum enim idem huic, ac Mecænati tuo datum ſit ſuaviſſimum nomen, tui amoris ſpecimen aliquod, vel in hoc illi præbeto, quod ipſiſſimæ benevolentiæ leges poſtulare videntur; ut nimirum Herois merita, & Auguſtiſſimi Cæſaris præmia enucleatiùs enarres. Bene eſt, tùm Ego: at in te hæc cudetur faba Lævine. En, miſſis aliis, ampliſſimi Diplomatis (2) Epitomen, quod hac in Schedulâ tranſcriptum volui: Tu elatâ voce, ut ſoles, legito; Ipſe interim, & Cotta, ſuſpenſo tantiſper gradu, aures dabimus intentiſſimas. Et ille preſto ſum, inquit, atque audite. *Sigiſmundus, Dei gratiâ Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus &c. magnifico, ac generoſo Militi Antonio de Collalto, Comiti Terviſii, Familiari noſtro, Domeſtico, & continuè Comenſali, ac Sacri Palatii Fideli Dilecto Gratiam Cæſaream, & omne bonum, &c. Volentes Te, quem manu propriâ Militiæ cingulo, ac Societatis Noſtræ Draconicæ, ac Stolæ, ſeu Ampriſiæ, chariſſimi Fratris noſtri Regis Aragonum inſignivimus, ſingularis honoris Prærogativâ meritò prævenire, Te præfatum Antonium in Familiarem noſtrum, Domeſticum, & Commenſalem, præſentium tenore recipimus, &c. Statuentes, ut de cętero, Familiarium Aulæ noſtræ Dignitatibus, honoribus, Privilegiis, Pręrogativis univerſis, ubilibet potiaris, &c.*

Vix recitaverat, cùm ſtatim Cotta; hæc, inquit Partheniæ, ſilentio putaras præmenda? Et quid ad gloriam magnificentius? Quid inſignius ad laudem? Quid denique ad benevolentiæ ſignificationem illuſtrius? Illud hinc colligere facile eſt, præmii genus nullum fuiſſe, quod ab Imperatorum liberalitate Collaltini Heroes non obtinuerint; quemadmodum meriti genus nullum fuit, quod iidem ad Romani Imperii gloriam amplificandam non præſtiterint. Cui ego id, quod res eſt, conjectaſti. Certavit enim verò Amor utrinque: Hîc, induſtrium ſe, maximèque operoſum pro Cæſarum amplitudine: Illic verò munificum, maximeque ſemper beneficum pro Collatorum dignitate ſe præbuit. Intereà loci, hec me differentem cum Cotta, curioſus interpellat Lævinus: Quid Parthenie, amabo te, in alterâ hac Schedulæ frontè, ſibi volunt interciſæ paſſim hæ literæ? Numnam, ad memoriæ præſidium poſitæ? Ita planè tùm Ego: (3) Epitaphii particula illa eſt, qua perantiquus Co-

(1) Bernardus Juſtinianus ſtoria degl'ordini militari, tom. 2. pag. 723. Gualdus in opere nuper laudato, aliique.

(2) Sigiſmundi Imperatoris Diploma, datum Baſileæ anno 1433. die 29. menſis Novembris in Arch. Comitum Collalti. Alterū ejusdem Cæſaris Diploma eodem anno ſignatum.

(3) Henricus Abbas, Marmorea Comitum Collalti.

Comiti habitus honor Poſteritati recens obiicitur.

Terviſii Comes, & Veneti lux clara Senatus,
Nec non Cæſareo munere factus Eques.

Atque hæc ſatis delibaſſe de Comitis præclariſſimâ apud homines dignitate; jam nunc de ſpectatâ in Deum pietate pauca ſtrictim dicamus: Animum, quæſo vos, aureſque intentius erigite. Et illi: pendemus, inquiunt ab ore. Præter cætera, tùm ego, quæ religioſiſſimus Comes piæ magnificentiæ demandavit Poſteris teſtimonia; illud præcipuum, quod propè Collalti mœnia celebre Templum (1) Divo Bernardino Senenſi nuncupatum, & ampliſſimum Cœnobium non excitavit modo; ſed etiam (ut, & confici ſacra, & ſarta tecta ea ſervari poſſent) copioſis redditibus cumulavit. Quæ demum omnia Ordini Seraphico, quem ſemper coluit, addixit.

Quoniam verò ad ſextum tandem devenimus; experiri nunc abs te lubet Lævine: num illius tibi ſubeat memoria nominis? Benè memini, tum ſtatim ille: Rambaldus Heroi nomen, & ſi ordinem rogas, eo nomine decimus: (2) Si egregia facta, is, ut reor, præ omnibus memorandus. Cui ego: Prudenter tu quidem conjectares Lævinæ; ni magnæ indolis Adoleſcens acerbiſſimo fuiſſet Fato præreptus; ſiquidem, ubi primas vix attigerat dignitates, omnemque invidiam virtutum præſtantiâ vicerat (3). Romam profectus, ibidem vitâ deceſſit. Hîc; necaſti me Parthenie, exclamat Cotta. O lacrymabiles Fati vices! Siccine, ſubdit Lævinus, ſpem ſimul, & gaudium iſperatus ademit dolor? Quibus ego: occidit ille quidem certè nulli non flebilis; at Genti ſuæ flebilior, cujus opes, & gloriam, vel à teneris evehere altiùs occæperat. Nec tenuis indè ſpes incrementi; quòd (4) Mariam ex Regulis de Valvaſono clariſſimam conjugem duxerat; Cui Forzateæ Patavinæ Familiæ opima ex aſſe hæreditas obtigit. Ex hoc perilluſtri conjugio ortum habuit inclytus Comes (5) Vinciguerra I. quem tamen, nec abſimili Fato, præcox rapuit occaſus. Vix hæc; cum ecce, concitato ad nos curſu, properavit Fabiolus; acceptoque pauliſper ſpiritu, tandem admonuit, prandium ultrà moram non pati; iremus illicò; ni cuncta, turdos potiſſimùm benè pingues, aſſatos meliùs, corrumpi prorſus vellemus. Quo audito, eja, inquit Cotta: gradum grandiamus, Parthenie, non leve malum Lævino ominatus eſt puer. Quaſi verò, ſubdit, Lævinus, Cottam noſtrum, Parthenie, turdorum cura non coquat. Coquit iſthæc omnes profectò,

[1] Petrus Ridolphus, Epiſcopus Senogalliæ, Hiſtoria Seraphica lib. 2. pag. 272.

(2) Zabarella Merovea part. 1. lib. 3. pag. 91.

(3) Sanſovinus, dell'origine delle caſe illuſtri d'Italia lib. 1. pag. 4.

(4) Hieronym. Henningius opus Genealogicum par. 2. to. 2. pag. 1492.

(5) Idem Auctor, & Jacobus Zabarella libris, lociſque laudatis.

tum ego : celeremus ; à prandio enim , quod ſupereſt, faciliùs enarrabbo, nulla mora; domum citò perreximus, inſtructiſque ſcitè ferculis , continuò ad menſam itum eſt.

CAPUT VI.

A' prandio incæpta Heroum ſeries continuatur.

SEcundis ubi menſis modus factus eſt ; lotiſque manibus , Deo grates , de more , ſunt perſolutæ; ſtatim Lævinus , & Cotta me contuentes : perge , inquiunt, Parthenie ſicut cæperas eruditè ; & quamquàm non nihil grave vix paſto tibi futurum remur , intento animo ſermonem facere, ut res poſtulat, benè prolixum; nobis tamen , quòd bellariis omnibus tuus ſermo ſuavior accidat, rogamus enixè , ut citiorem narrationi des operam perficiendæ. Quibus ego : faciam lubentiſſimè, tùm quòd gratum utrique ; tùm etiam , quòd perfacilè mihi ; hic enim habeo ad manus multa , queis adjuvari memoria plurimùm poteſt. Surgamus hinc, quæſo vos, Muſæumque, diſpoſitis in ſeriem numiſmatis adornatum ; ubi urgeamus telam commodiùs , ingrediamur . Heus tu interim Fabiole, ubi rem tuam curaſſis, bina hoſpitibus mexicanæ potionis vaſcula ; unum mihi de Arabicâ fabâ, quam toſtam, contritamque habes in arculâ, ſcitè parato : De cocolate verò reſiduam Cylindri partem ambare perfuſam benè conterito. Audiſtin'? Et ille : teneo, inquit, probè ; jam factum puta . Atque hæc ubi dicta, pedem in Muſæum intulimus; ibique ad literariam menſulam ſeſſum eſt . Tum videte , inquam , in peramplâ hac, elegantique membranâ ſuos diffuſa in ramos, minioque ordinatim deſcripta Heroum nomina ; indè verò aſſervatas in ſcriniolo , perpaucis exceptis , Comitum Icones ; undè faciliori negocio incæptæ narrationis filum ducamus. Magnum planè hîc Lævinus, imò & certum, & multiplex memoriæ noſtræ præſidium ; at tibi, Parthenie, inutile , atque omninò ſupervacaneum ; quippè qui facultatem hanc, vel ipſi Mithridati non invides . Coquinaria verba , tum ego : ipſe etiam hæc eloqui, ſi cogeretur Mithridates , ſtatim poſt prandium , profectò non minimùm laboraret ; gravis enim è præfervido ſtomacho vapor cerebrum obtundere homini ſolet, atque hebetare, Sed mittamus iſthæc quæſo, atque ad rem noſtram illicò, ut par eſt, contendamus. Dic ſodes Cotta : meminiſtin'

quo

quo Herois nomine antemeridianum ſermonem obſignavimus? Et ille : adeone fungus ſiem , ut repetitum toties Rambaldi nomen non teneam? Cui ego : benè eſt , idque rogatum volui , non quòd oblitum te addubitabam , verùm quòd ad accuratam Genealogiæ urgendam texturam, plurimùm faciebat. Ades dum igitur, ſiquidem ab laudato Rambaldo omnium primus, ut vides, offert ſe ſe Antonius III. Collalti Comes , Antonii Rambaldi , Mecænatis noſtri Atavus præclariſſimus. Hic enim verò (1) à Friderico III. Romanorum Imperatore ob egregias , maximaſque virtutes equeſtri dignitate inſignitus , ſuaviſſimis moribus in omnia & munificentiæ , & pietatis officia ſe totum ſemper effudit : Templa , & ſacras Ædes opibus auxit, ornamentis ditavit : Amicos , & Familiares, comitate , devinxit, beneficiis (3) obæratos retinuit, in turbulentiſſimâ illâ contra Venetam Rempublicam tempeſtate ob Camarecenſe fœdus exortâ, de quamplurimis (4) actum erat Familiis , ni vir inclytus, natus ad Patriæ commune bonum , illi ſæculo contigiſſet . Quis enim ſummâ ingenii dexteritate , prudentiâ nomine, auctoritate, domus locupletiſſimas clariſſimaſque Familias, niſi unus ipſe ab ultimo exitio , & ingruenti jam funere vindicarit ? Unus profectò tot Equites graviſſimè afflictos erexit; miſerabiliter perditos recreavit; ſuiſque in Comitatibus , ac Ditionibus , ut in tutiſſimo Aſylo , quàm humaniſſimè excepit . Ad hæc Cotta : O' præclarum , inquit , ſummiſque laudibus cumulandum beneficentiæ facinus ! Quid enim glorioſius , quàm pro Concivium utilitate certare ? Fugitoribus perfugio eſſe pariter , ac ſolatio ? Summo demum verſantibus in fortunarum diſcrimine opem , & operam omnem præſtare ? Cui ego : acutè ſapis , tu quidem Cotta . Id enim & moliri , & perficere , ut miſeris opportunè expeditèque ſuccurras, non tàm humanum dixerim , quàm divinum . Quàm porrò acceptam Superis eam putaveris Cotta , quæ tanto nupſerit Viro ? Equidem , tum ille. Quàmmaximè . Imò , ſi mihi liceat conjicere , non niſi ex clariſſimo Venetorum Principum ſanguine unam præ cæteris clariorem ei conjugem obtigiſſe , autumaverim . Et quamobrem ? hic ſtatim ego : Ut nimirum , tùm ille , tot obſtricta officiis Reſpublica , quas meritiſſimo Comiti gratias referret, uni committeret , ne videretur ingrata . Ingenioſè ! tum ego , & divinaſti profectò ; Luciam quippè Laurentii Mocenico Senatoris , ac Principis præſtantiſſimam filiam Regina Civitas Conjugem illi , ſtudiis omnibus , habendam curavit , in qua unâ , feliciori quodam

[1] Zabarella Merovea par. 1. lib. 1. pag. 92. aliique Elogiographi Collaltinæ Familiæ.

[2] Auctores iidem

(3) Zabarella lib. 3. pag. 93.

(4) Nicolaus Maurus Hiſtoria de Treviſo lib. 14. pag 425.

dam nexu, collectæ charites, præter pulchriores animi dotes, emicabant ex ore.

At quid hîc ultrâ immoremur? Si veſtigemus præclara omnia in ſingulis, exitum narratio inveniet nunquam. Age ſis Lævine, quid torpeſcis? Perlege ex ordine Herois nomen, Et ille, quàm citiſſimè, inquit me expediam; admotiſque in Numiſma oculis; En nomen, ſubdit, Manfredus V. Collalti Comes. Jam, quod meum erat, explevi protinùs. Tuæ ſunto interim partes, illuſtria ejus geſta enucleatè referre. Cui Ego: per compendiariam ibo: date aures: Si quæ ſunt (1) indulgentis Naturæ ſpectatiſſima munera: ingens nimirum ingenii vis, atque alacritas; animi vigor; venuſtas corporis, atque in Sapientiâ comparandâ ingenita, & inexhauſta eupiditas; vel à primo pubertatis flore; in eo mirificè excelluerunt. Hoc naturæ; quid autem debeat induſtriæ, accipite. Romam adoleſcens contendit, ut non impar ibidem ingenio nactus lyceum, politioribus literis, primùm, mox magnis, ac ſeverioribus diſciplinis operam navaret omnem. Et ſanè in id totus incubuit, eoque in dies cenſu uberiore; vel omnigenæ literaturæ famâ, morumque probitate permoti Summi Pontifices duo, Julius II. & Leo X. (2) alter Narviſienſis Abbatiæ, ut vulgò ajunt, Commendatarium renunciaverit: alter (3) non modò à Cubiculo honorario eſſe, atque inter aulicos primas habere eum juſſerit; ſed quam à Julio Abbatiam acceperat, in ampliſſimi Sacerdotii (4) Collegium, inſigni, opulentoque munere decoratum cooptaverit; uniſque Summis Hierarchis, ex honorificâ inſtitutione ſubjectum ſemper, atque in Collaltinæ Familiæ (5) Jurepatronatus, ut dicitur, in poſterum permanere decreverit. Porrò Leone demortuo Manfredus remigravit in Patriam ubi præclarè multa; illud verò geſſit præclarius. quòd ſuæ Ditionis Eccleſias omnes ab alienâ juriſdictione ſolutas, rerum immunitatem, libertatemque obtinere ſua operâ, ac ſtudio, Sacrâ etiam (6) Venetorum Curiâ confirmante, voluerit.

Vix hæc; cum Cottam intuens, Age, ſcis quid expectem? Et ille: Scio Equidem; injectiſque in expoſitam Membranam oculis, En, inquit, Herois nomen: Joannes Baptiſta II. Comes de Collato. Cui ſtatim Ego: O' eximiâ Virum (7) Eruditione? Quantum profectò, ac quàm multùm incredibili hujus diligentiæ, ſolertiæque debeat pervagata longè, latèque Collatinæ Hiſtoriæ celebritas, quis unquam, uſus compendio, pro dignitate

ſatis

[1] Franciſcus Sanſovinus, dell'origine delle caſe illuſtri d' Italia lib. 1. pag. 4.

(2) Marcus Antonius Pellegrin. Conſiliorum volum. 2. conſil. 25. pag. 67. Zabarella Merovia par. 1, lib. 3. pag. 89.

(3) Leo X. Bulla in ſupereminentis, data Romæ X. Kal. Junii, anno 1521. in Archivio Collalti.

[4] Idem Pontifex in laudata Bulla.

(5) Nicolaus Maurus ſtoria di Treviſo lib. 12. pag. 335.

(6) Henricus Abbas Bullarium Collaltianum.

(7) Bartholomæus Burchelatus epitaphiorum Dialogi ſeptem, ſermone 1. pag. 14.

ſatis expendat? Is quippè antiquarum rerum ſtudioſiſſimus, præclara, & maxima Familiæ ſuæ monumentâ (1) Sæculorum obruta tenebris revocavit ad lucem, collapſa reſtituit, obliterata illuſtravit. Porrò ad memoriam extant ſempiternam aurea, argentea; æneaque Numiſmita, quibus tanti Viri effigies plurimis hieroglyphicis, pluſimiſque Symbolis mirificè exornatur. Hoc Lævinus loco: quoniam, inquit, in Scriniolo unum iſtuc defuturum minimè credo; ſine, quæſo te, Cotta, tantiſper illud contempler. Et ipſe, eccum, ait, ad manus, & argenteum, & perpolitum, Quod ut vidit Lævinus: quàm graphicè; inquit, vultus Herois totus, qui ſermo quidem tacitus mentis eſt, & quàm perleganter expreſſus! Vide jam ſis, hîc Ego, quid adverſa præferat facies. Et ille: ſolem, (2) repoſuit, ſpiſſis obductum nubibus, pullato veluti Syrmate cooperatum. At quid hoc mœroris, & luctus Pharthenie? Atque Ego: Lemma non advertiſti? περιφέρειαν circumſpice; ác perlege. Et ille: minutillis ait excuſum literis hoc, ni fallor, eſt Lemma. Poſt tenebras ſpero lucem. Ita enim vero, tùm ego; & quàm aptè, opportunèque uſurpatum, ut in adverſis rebus, & invictæ mentis, & iniqui temporis ſortem (3) Poſteritati explicaret. Jam verò par infracti animi documentum Nepotibus reliquit, qui ſubſequitur Heros. Quid moraris Cotta? Nomen perlegito. Et ille: præſto ſum: Pompilius I. Comes de Collalto. Hîc tum ego: mirum oppidò quantum egregius Vir egregiis factis illud comprobavit (4) effatum: *Vitæ munus non ætatis fruendæ, ſed ſtrenuè agendi, fortiterque patiendi gratiâ impertitum eſſe?* Vix enim ab ephebis exceſſit, cùm (5) Othomanis in Illyricum irrumpentibus Turmis, fortiſſimâ militum manu, quam ſuo Adoleſcens Ære paraverat, eò contendit imperterritus, ut & ſibi pareret gloriam, & publicæ ſaluti victor conſuleret: Par obtigit virtuti diſciplina. (6) Camillum quippè Urſinum, Provinciæ moderatorem, ſuique Ævi præclariſſimum Ducem nactus, eò militaris ſcientiæ brevi pervenit, ut vel ipſos inter veteranos in Martis palæſtrâ primas retulerit. Mox confecto bello, Italiam, Galliam, Belgium, Germaniam, aliaſque principes Europæ Regiones eo animo peragravit, ut nihil apud exteras nationes in re bellicâ peregrinum inveniretur, quod non ipſe penitùs noſſet. Factum proindè eſt, ut ſcientiſſimum militiæ Ducem permagni Principes literis ampliſſimis certatim rogarent, vellet ſibi Supremum Copiarum Imperium aſſumere; at ſpectatis Pa-

triæ

(1) Henricus Abbas iſtoria Collaltiana, ſpecimen ejusdem Hiſtoriæ.

[2] Sanſovinus dell' origine delle caſe illuſtri d'Italia lib. 1. pag. 4.

(3) Hieronymus Ruſcellus le impreſe illuſtri lib. 2. pag. 313.

[4] Henricus Abbas Elogia Comitum Terviſii, & Collalti.

[5] Andreas Maurocenus Hiſtoria Veneta lib. 5.

(6) Ruſcellus loco laudato, ubi vitam Pompilii I. paucis perſtringit.

triæ commodis, quibus amplificandis, omnem operam daret, inſignem provinciam, atque omne ubique imperium honorificum detrectavit. Verum hæc miſſa faciam; illud illuſtrius, nec vulgari dignum admiratione, quòd infortuniis graviſſimis divexatus, adverſa omnia tranquillo vultu, animo ſemper tranquilliore ſuſtinuit. Atque hùc perbellè collimat Phrenoſchemà (1) illud priori non abſimile, quo ipſe olim Heros fortiſſimus fuit mirificè expreſſus; quàm enim in eum quadrat aptiſſimè, Sol, interiectis nebulis circumſeptus cum brevi Epigraphe; *Hinc clarior*.

Hic Lævinus: Clarum, inquit, imò & ſchemate ipſo clarius lemma: At quæ, amabo te, tot ærumnæ, quæ tot vibrata in gemini Herois caput Fortunæ tela? breviter, ni grave eſt, explicato. Longæ ambages, tum ego, in commodius quæſo tempus, reiiciamus. Tu interim cedo aliud ex ordine Herois nomen. Et ille: quoniam annulari digito occupaverat nomen, amoto, ſtatim perlegit; Collaltinus I. Collalti Comes. Quot, Deus immortalis, hîc ego, in uno Heroas complecteris Lævine! Vir quippè is fuit maximarum virtutum famâ celeber apud ſuos; apud exteros celeberrimus. Nam per ætatem vix licuit; (2) cùm ingenuas, & bonas artes combibit avidiſſimè: ea præſertim, quæ ſtudia (3) Regum ſunt, Politicâ, & Hiſtorica penitùs hauſit. Mox Majorum ſuorum ſtimulis incitatus, militaris gloriæ cupidiſſimus Inſubriam ad Marchionem Alphonſum Davalum, Caroli V. Exercitus Supremum Ducem citiſſimè advolavit. (4) Sub tanto magiſtro militiæ rudimenta poſuit; eòque protinùs crevit induſtriæ; & in re bellicâ dexteritatis, atque conſilii; ut inter primos, ac peritiſſimos copiarum Ductores (5) jure ſit habitus. Pro Galliarum Rege, Henrico II. multis in præliis peditum Imperator acerrimè dimicavit. (6) Mirandulam, hoſtilibus diù turmis obſeſſam ſtrenuè propugnavit. Equitum Ductor, per (7) medias hoſtium Phalanges, fulmineo ferro, ſibi, ſuiſque iter perrupit, maximamque annonæ copiam Senas, in Urbem, denſiſſimâ quamvis obſidione ſeptam, invexit. Mitto non pauca, quæ ſummæ in aliis, at mediocris in hoc ſunt argumenta virtutis. Quòd potiſſimùm mireris, Lævine, id planè eſt, difficillimam illam bellicæ auſteritatis cum ſuavitate, regidæque gravitatis cum humanitate ſocietatem, Virum hunc facilè conſecutum. (8) Neque enim ferocientem animum ita armis addixit, ut modò Sagum Togæ, modò Togam Sago adjungere prudens neſcierit. Vel

(1) Sanſovinus dell' origine delle caſe illuſtri d'Italia lib. 1. pag. 4. Hieronymus Henningius in Opere Genealogico litera C.

[2] Henricus Abbas Iſtoria Collaltiana.

(3) Betuſius, Epiſtola ad Comitem Collaltinum de Collalto, in fine operis de Fæminis illuſtribus, pag. 215.

[4] Zabarella Merovea part. 1. lib. 3. pag. 89.

(5] Idem Auctor ibidem.

[6] Sanſovinus, Zabarella, & Henningius in citatis libris, & locis.

(7) Iidem Auctores in laudatis operibus, & locis.

(8) Joſeph Betuſſius, Genealogia delli Dei del Boccaccio, in Nuncupatoria.

in-

inter bellorum ſtrepitus otia literarum excoluit: manuque alterâ cum hoſtes feriret, fovebat alterâ literatos; Nullus, teſte Betuſſio, eruditis viris eo charior Mecænas: munificentior nullus. Hinc libri quamplures à doctiſſimis, eâ tempeſtate, Auctoribus celeberrimo ejus Nomini extant in grati animi ſpecimen (1) nuncupati. Hoc Cotta loco: gaudeo, inquit, & ex animo lætor, quòd Collaltinus, & ſummâ in Sapientiſſimos viros benevolentiâ, & regiâ liberalitate Mecænati tuo facem prætulerit: At unum eſt, quod me vehementer angit, Parthenie. Quid iſtuc? tum Ego. Et ille: ut incedo lætitiis omnibus, cùm Rambaldum tuum contemplor trium, quos hîc poſtremos laudaſti, Familiæ Heroum propiùs attigiſſe virtutes; ita, & neſcio, quo divexor metu, ne, quod boni avertant ſuperi, duorum etiam priorum ærumnas, pericula, atque adverſantis Fortunæ ſortiatur calamitates. Cui tum Ego: Amo amorem hunc tuum, Cotta: At metum apage ſis iſtum quæſo; De tot enim, quorum erit aliud ex alio recenſitum Nomen, ac decus, nemo unus fuit deinceps, qui non florens, ac felix Fortunam ipſam obtemperare ſibi coegerit. Unine Rambaldo meo vicem peſſimam uſquam, ut doleam? Averruncaſſint Superi. Quin potiùs ei obſequentior Fortuna quàm cæteris viſa eſt famulari. Plura in rem hanc depicta graphicè viſuntur in tabellis Emblemata; illud verò, quod modò eſt ad manus, oſtendam. Atque hîc eductum è ſcrinio, explicitumque oculis ſubjeci. Erat autem in exiguâ Tabella perbenè adumbrata eleganti penicillo Fortuna, ſtanti inſiſtens Rotæ. quæ, infractis radiis, tres fracta in partes, manebat immota. Blandis illa oculis, apertiſque: vultu facili; comâ prolixâ, qnam viſâ manu non viſus Heros premebat: palmâ utràque ſuſpenſum Lemma hoc præferente

Te facimus.

Ex eo Juvenalis excerptum

Sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam; Cœloque locamus.

Ut audivit Cotta, ut vidit: O factum egregiè, o dictum optimè! exclamavit. Perpulchrum ſanè mentis, & artis opus. Ita enimverò, tùm Ego: at pulchrius, quod ad calcem ſubeſt appoſitum Epigramma. Heus tu, Lævine, cui Dodonæis, lebetibus ſonantior vox, age, perlegito. Et ille:

Antonio Rambaldo Collalti Comiti præclariſſimo.

Tu Genus Heroum, regali ſanguine natus!
Gloria magnanimæ, Spesque, Decuſque Domus!

(1) Ludovicus Domenichi in fronte à libri delle Impreſe di Ciro minore Opera di Senofonte da lui tradotta, & alii plures.

Adſpice Fortunam, tua quam, Collalte, capillis
Æternùm vinctam dextera ſola tenet.
Carbaſa nulla; leves procul hinc cum motibus alæ;
Reddita lux oculis, & Rota lubrica ſtat.
Fortunam fecere Deam: Fortuna beatos
Fecit: Fortunam tu facis ipſe tuam.

Papæ! hic ait Cotta. Quàm candidè, quàm argutè, quàm feliciter! Cujuſnam, ni tuâ, Parthenie, promptum de penu, certè non video. Et Ego: Quid, ſi de ipſius Mecænatis optumi nitidiſſimo fluxerit ſtylo? Sed quorſum iſthec? Longè nimium ab inſtituto deflectimus. Pergamus porrò, & triumphalibus lauris innectat ex ordine Minervæ oleas ter inclytus Comes Vinciguerra III. Collaltini I. germanus frater. (1) Vir ſanè ingenio acri, atque alacri, variis excultus egregiè literis: amænioribus tamen addictus impenſiùs: Muſas tantâ animi voluptate domi, foriſque fovit, erexit; ut meritò inter clariſſimos ſui Ævi Poëtas, primas meruerit.

(1) Marcus Antonius Nicolettus, Patriarcate d' Aquilea, pag. 27.

Hunc proximè ſequitur, ut videtis, (2) Sertorius II. Collalti Comes; quem ſingularis in Deum Religio, tenaciſſimus æqui, rectique amor, pacis, benevolentiæ, pietatis, & ſacræ potiſſimùm doctrinæ ſtudium (3) ad Narviſienſem Infulam tandem evexit. Quod ſanctiſſimum munus obiit tàm exactè, tàm ſplendidè, ut illud adhùc poſitum in dubio ſit; plus ne amplitudinis, & gloriæ à Majoribus ſuis acceperit, (4) an de ſuis præclariſſimis factis, Nepotibus ſuis reliquerit.

(2) Henricus Abbas Hiſt. & Elogia Collaltę Gentis.

[3] Idem Auctor in Arbore Genealogię Franciſcus Patritius in fronte 2. tomi operũ Camilli Delminii pag. 3.

(4) Idem Auctor in Nuncupatorià Diſſertationis, ſopra l'Idee d'Ermogene di Giulio Camillo, pag. 107.

Atque hæc cum dicerem, adeſt Puer, monetque omnia in promptu eſſe. Cui Ego: opportunè tu quidem venis Fabiole, ut prolixæ admodùm narrationi pauſa detur percommoda. Quare expedi te citò; & Amicis primùm Mexicanam potionem adornato: mihi deindè de fabâ Arabicâ cum aquâ incoctâ liquorem pauxillatim, ſtillatimque in pocillum percolato. Audiſtin'? An, tùm ille, ut tyrunculus doceri ſemper indigeam? Tum Ego, ſilentium didiciſti nunquam trifurcifer: Etiam nùm mutire audeas? Atque ille obſtructo fermè ore, ſtatim paratos, oppletoſque Cyathos hoſpitibus porrexit properè, turgente ſupra labrum ſpumâ. Hic Lævinus; vide inquit, Parthenie, quàm ſcitè Puer adhibuit operam! dignus proindè, cui des veniam, ſi quando magiſtellum ſe faciat. Imò, hìc Ego: ſi curaſſit cætera meliuſculè, non parcam nucibus. Interim Cotta, ambaris fragrantiâ permotus: quid jucundius, inquit Parthenie, quàm ſuaviſſimè odorari, quod indè deguſtes labris ſuaviùs? Ita planè,

nè, tùm ego; modò non ſiet odor acutus nimiùm, & acer; quippè qui cerebrum lædit, eorum maximè, quibus amica eſt Minerva, & Muſæ. Hîc Fabiolus: Rumpor, ait, ni verbum loquar. Quid premis? tùm Ego. Effare propalam, nullus oppedo: Et ille: Vos de odorum ingenio diſputatis; & totus intereà meæ ſolertiæ fructus, & gloriola in nihilum recidit. Miſerum me! Oleum, & operam perdidi; jam enim tanto parta labore ſpuma detumuit. Cui Ego: numquam tu ad rem meliùs: nucibus propterea addam paſtillos. Age nunc, & dum Amici ſorbillant ſua, meum tu mihi ſcyphium porrige.

Atque ut porrexit, adjectis de more quinis abſynthii foliis ſorbere avidè occæpi. Ut me ſorbillantem animadvertit Lævinus. Quid iſtuc, ait, Parthenie? Ingenium tibi acre adeò, ac peracutum, & palatum torpens adeò, atque ignavum? Ecquid, quæſo eſt, cur potum, cæteroqui non gratum, & miſces abſynthio, & miſtum lambitas avidiſſimè; cum nihil ſit amarulentius hac herbâ, quam Græci Apinthion, nempè impotabilem vocitarunt? Cui Ego: eruditè tu quidem; ſed audi: Vim Ego amaroris, quàmquimaximè ſentio; quî enim tantum torpeat palatum Coco? At amarities hæc, quamquàm aſpera, placet tamen vehementer; quippè ſtomacho meo imbecilli quadrat perbellè. Corrugat enim, corroboratque ventriculum. Exhauſtis intereà Scyphiis: Satis, inquit, Cotta, & ad volup. pauſavimus. In viam, amabo te, redeamus, Parthenie. Ego, & Lævinus curiosè, quod reliquum eſt, expectamus. Atque hîc tum ipſe: Iſtam vos moram æqui, bonique conſulitè: jam enim & citato deinceps gradu curremus, & mente vegetiori. Qui autem ſuperſunt Heroes, mirum oppidò quantum dignitatis, & gloriæ Collaltinæ Genti, illuſtribus factis auxerunt.

Accedimus, ut videtis, ad Rambaldum XII. Collalti Comitem, & Mecænatis mei Abavum præclariſſimum. (1) Vir planè, ſi primæ notæ Auctoribus fides, *optimæ indolis*, & *ſummæ* (2) *virtutis*: *ſolertiſſimæ ſagacitatis*, *atque prudentiæ*: (3) *egregio à naturâ inſtructus ingenio*, (4) *judicii gravitate*, *literarum peritia*: *Singulari erga omnes* (5) *humanitate*; & *mirâ*, *in gerendis Rebus*, *elegantiâ conſpicuus*. Quid mirum indè, ſi tanta Virtutum leges tot in Familiam proventus ampliſſimos, & facultates invexerit? Hoc Auctore recuperatæ fortunæ, (6) quas Martis ira perdiderat: hoc vindice opes redditæ,

 am-

(1) Erricus Abbas Hiſtoria, & Elogia Collaltæ Gentis.

[2] Idem Auctor in operibus citatis.

(3) Sanſovinus, dell' origine delle caſe illuſtri d'Italia lib. 1. pag. 4.

(4) Henningius, opus Genealogicum par. 2. tom. 2. pag. 1492.

(5) Idem Auctor ibidem.

(6) Hieronymus Priolus Dux Venetiarum Ducales datæ, in Arch. Coll. Com.

amplificatæ ditiones, quas ducentos fermè per annos militaris inſolentia vaſtaverat: hoc tandem Duce, Collaltianæ virtuti, atque exiſtimationi coacta eſt ſervire Fortuna, cui primùm ipſe imperavit, ſibique Sapiens ſubjecit. Cæſarei peritus Juris, & tenax æqui, rectique, ita Rem ſuam, ita Publicam adminiſtravit, ut utrique rei gerendæ, alios nunquam præfecerit Proprætores, (1) niſi Juriſperitorum Eloquentiſſimos, & Eloquentium Juriſperitiſſimos. Illud proindè domeſticis in Commentariis Encomion (2) jure quidem optimo promeruit ſibi: *Rambaldus XII. cùm in regendis populis, tùm in amplificandis fortunis, nemini ſuæ Stirpis ſecundus*. At flocci fermè hæc facienda, niſi quæ una cumulum facit, acceſſiſſet longè præſtantiſſima, & ſingularis in Deum Pietas, & Religio: cujus monumentum immortale præ cæteris, illud reliquit; quod ſtrictioris, ut ajunt obſervantiæ Carmelitis, in Radii Caſtro (3) Baſilicam, & Cænobium poſuit, ditavit, excoluit. At non ſine magno id fœnore factum putaverim: Mirandam enim Antonii Capivaccei, (4) Equitis potentiſſimi filiam duxit uxorem; quæ in Collaltinam Domum maximas (5) opes, ingenteſque divitias importavit cum dote.

Intereà loci Lævinus, ore, atque oculis in Numiſma ſequens directis, quaſi alienatus à ſenſu, vacuus perſtabat; Cùm ego, diſcuſsâ togâ, heus tu, inquam, Lævine: quis iſthic ſtupor! Quandiù te nobis nova iſthæc ſpecies furabitur? Et ille: parcite, inquit; dum enim binos unâ, (quod in hac Principum ſerie inſolens mihi) demirabar Heroas: hærebam, an unum aliquod veterum Imperatorum numiſma foret caſu hîc intermixtum; uſque adeò Imperatoribus Leoni, & Conſtantino vultus perſimiles, ut ovum ovo haud ſimilius dixerim. Atque hîc ego: Aliqua ex parte excuſatum te velim, quod non facilè admodùm ſecerni contingat nominum literas, hinc Oleæ, indè lauri foliis inſcriptas. Adverte, quæſo, accuratiùs. Cùm verò moram adhuc Lævinus veſtigando innecteret; impatiens Cotta: Ecce tibi, ait, Parthenie Heroum Nomina: Scipio I. & Octavianus I. Germani fratres, Collalti Comites. Cui ſubiratus: ò Delphicum, Lævinus inquit, Oraculum! Operoſam ſanè adornaſti provinciam; ſcilicet uncialibus in membranâ literis expreſſa nomina curſim oppidò recitaſti. Parthenie ſtrenam illi porrigito. Solutiſſimum, hoc loco, Cotta riſum ridere; tùm jocari invicem, & cum amico peramicè colludere; Cum iſthæc, inquam ego, ridicularia mittite, & redeamus ad rem. Idque in primis notandum, quàm ſcitè Oleis lauriſque fuerint

[1] Henricus Abbas Hiſtoria Collaltiana.

[2] Anonymus, Elogia veterum Comitum Collalti.

[3] Gualdus ſcena degl'huomini illuſtri lettera R. Sanſovinus Henningn. in cit. lib. & loc.

(4) Bernardinus Scardonius de antiquit. Urbis Patavii li. 3. claſ. 13. pag. 313.

(5) Zabarella Merovea lib. 3. part. 3. pag. 95.

rint eorum inſerta Nomina, ut ſcilicet alter pacis, alter belli artibus præſtantiſſimus oſtenderetur. Scipio (1) quippè, utut acri, ac perpolito inſignis ingenio, ſuaviſſimis tamen imbutus moribus, magnanimus, liberalis, eoque virtutum habitu ad benevolentiam (2) factus, ut vel efferatos ad ſui amorem raperet non invitos. (3) Eleonoram Gonzagam, Joannis Petri, Comitis Novellariæ filiam, Conjugem Heros Heroidem habuit; quam, etſi natura, Fortuna, indoles maximam fecerant; parem tamen virtus perfecit. Hinc porrò ſuſcepti liberi, paternâ in Domo, ut in virtutum omnium lyceo, eruditi Sanctiſſimis inſtitutis, domeſtica ab optimis Parentibus quæ vitæ, morumque intuerentur exempla, habuere ſemper ampliſſima. Pauca jam de Octaviano (4) innuamus, quem ex magnorum Principum Aulâ egreſſum, primò fortiſſimum Veneta Reſpublica militem; mox peditum, Equitumque levis armaturæ ſtrenuum Tribunum, Cataphractorum denique Ducem probavit Eximium. Matrona huic ornatiſſima nupſit Julia Leonia de vetuſtiſſimâ Sanguineti Comitum Gente.

Hîc verò, tàm inſigne facinus, ac memorandum memoriæ occurrit, ut Auctorum nomina turpe ſit percontari. Anno à Virginis partu MDLXX. cum Selymus, Othomanici Imperii Tyrannus, paratâ in Cyprum formidabili Claſſe, ſupremum Inſulæ machinaretur exitium; ſtatim, & Chriſtianæ Reipublicæ, & aviti ſanguinis gloriâ incitati Collaltini Comites (5) Antonius III. Maximilianus I. & Alphoſus I. habito militum delectû, ſuo ipſi ductu, ſuo Ære (6) collectis copiis, inſtructis navibus tranſmiſerunt in Greciam: Et quò majori in perfidos Hoſtes vi, atque impetu irruerent, (7) Hieronymo Zannio, Venetæ claſſis Imperatori affines virtute magis, quàm ſanguine adhæſere. Eâ in expeditione mirùm oppidò, quantâ animi ſtrenuitate in barbaras phalanges irruperint! Mirum, quot per hoſtium cadavera, paſſim manu proſtrata, ad immortalitatem cruentum ſibi patefecerint iter! (8) In difficillima ubique diſcrimina nunquam non ſe immittentes: in confertiſſimos hoſtes nuſquam non incurrentes: pro Aris, Templiſque acerrimè, diùque ſecuri capitis, dimicantes; (9) tandem Fratrum duo, multitudine obruti, non ſuperati virtute diſtrictis enſibus cecidere. Horum triumphale funus non lacrimis modò, ſed literis, & Veneti Patres, & omnis ordo ampliſſimè ſunt proſecuti: loquuntur ſparſim Hiſtoriæ: loquuntur Tumuli, & nulla unquam conticeſcet Poſteritas. Unus è pu-

(1) Nicolaus Maurus ſtoria di Trevifio lib. 1. pag. 31.

(2) Idem Auctor ibidem.

(3) Anonymus Theatro genealogico delle Famiglie Venete Patritiæ, tom. 1. nell'Albero Collalto.

(4) Franciſcus Donatus Dux Venetiarum Ducalis in Archivio Collalti.

(5) Franciſcus Venerio Dux Venetiarum Ducalis in Archivio Collalti.

[6] Henricus Abbas Hiſtoria Collaltiana.

[7] Joan. Bonifacius ſtoria Trivigiana lib. 12. pag. 704. & 705.

[8] Joan. Petrus Contareno Guerra del Regno di Cipri, cujus relatio habetur nella ſtoria dell'origine, & Imperio de Turchi del Sanſovino, pag. 460.

(9) Henricus Abbas Bullarium Collaltianum.

(10) Joannes Bonifacius Iſtoria Trivigiana lib. 12. pag. 715. Zabarella in opere citato, pag. 114.

pugna, decoro ſordidus pulvere, in Patriam remigravit Alphonſus. Hic porrò Olympiam (1) Ferreriam, Beſſi Maſſerani Marchionis, & Camillæ Sfortiæ, Pauli III. P. M. neptis filiam duxit Uxorem; Egregiâ formâ non abſimilem Matri, nobiliore tamen virtute, Viro ſimillimam.

Pauſavi ad hæc parumper; cùm, O' clariſſimum Collaltinæ Familiæ Triumviratum! Exclamavit Lævinus. Equidem dum hoc narrabas, Parthenie, tres illi Horatii Romani fratres fortiſſimi contra Albanos pugnantes obverſabantur ob oculos; eodemque prorſus animo, conſilio, ac fortitudine præditi videbantur: hoc unum diſpar; quòd Romani in tres hoſtes; Collaltini in omnes hoſtium Cuneos conſtanter invaſerint. Cui Ego. Eruditè, & ſapienter tu quidem: laudo, Lævine, aciem ingenii tui. Quid tu interim Cotta? Et ille: dum Fratres geminos Pyrrhum I. & Fulvium I. Collalti Comites in hac Serie deſcriptos ex ordine contemplabar: tribus Horatiis Scipiones duos opponere in mentem venit, duo fulmina belli: Numnàm collineavi Parthenie? Hic Ego: Euge, inquam, Cotta: Id, quod res eſt, putaſti; ambo enim Viri in Martis palæſtrâ adeò verſati, ut Scipionum gloriam non æquarint modò, ſed vicerint: ambo Auſtriacæ Domus felicitati, acerrimè decertando, caput ſuum devovere, (2) Pyrrhus quippè Rodulphi II. Cæſaris pocillator ab Ephæbis: (3) Bellicæ virtutis ab adoleſcentiâ contra Othomanicum Exercitum in Pannoniâ iterum, ac ſæpiùs periculum fecit. Nihil in eo mediocre, omnia excelſi, & conſtantis animi magnitudinem explicabant. In hoſtium aciem plerumque irrupit primus; rediit ſemper poſtremus: alacritèr diſcrimen ſubiit, quod magnum erat; alacriùs, quod maximum. Inclinatas phalanges ſæpè reſtituit ſolus: ſolus fugientes cohibuit: prælium voce, manu, conſilio, cum anceps potiſſimùm, unus ipſe firmavit primùm, tùm ſecundo Marte unus ipſe confecit. (4) In illa demum funeſtâ alternantis Fortunæ viciſſitudine; undè, anno MDXCVI. feliciſſimus Germanis victoriæ curſus eſt interceptus, ultimo in diſcrimine, propè Agriam morti devotus, dignus immortalitate deceſſit. Incredibile dictu, quantum doloris attulerit Maximiliano Auſtriæ Archiduci, cæteriſque Summis Principibus acerbiſſimæ mortis ferale nuncium; Uxori præſertim (5) Fulviæ de Rubeis ex florentiſſima Sancti Secundi Comitum Gente, quam inter Hiſpaniæ primi ordinis optimates, Faſti recenſent. Et ſanè nulli flebilior occidit, quàm

Ful-

(1) Joan. Petrus de Creſcentiis, corona della nobiltà d'Italia, part. 2. narrazione 22. cap. 6. pag. 711.

(2) Antonius Rambaldus Collalti Comes, Raccolta di varie notitie politiche tom. 1.

(3) Henricus Abbas Iſtoria Collaltiana.

(4) Joannes Sagredo, memorie iſtoriche de' Monarchi Ottomani Edit. 4. lib. 9. pagina 513. Otto Spongir, ſtoria delle Attioni de' Rè d' Ongheria, pag. 95.

(5) Albertus Draghi oratione funebre per la morte di Collaltino Conte di Collalto Brixiæ edita Typis comini Pteſegnii anno 1603.

Fulviæ Pyrrhus, quos & amor, & virtus, & animorum indoles eadem arctiùs, quàm vinculum maritale conjunxerat. (1) Fulvius verò, adoleſcentiæ primordia ab Egregio aliquo facto auſpicaturus, in Belgium illicò contendit, cui ſummo cum imperio præerat Alexander Farneſius, Philippi II. Hiſpaniarum Regis Copiarum Imperator. Ibi, armis optimus, animi fortitudine, prudentiâque par Fratri, parem ſibi adeptus nominis gloriam, (2) pari fato occubuit. Eum quippè, jam plurimis onuſtum palmis, alia omnia curantem, perduellis hoſtium manus ex inſidiis oppreſſit; at non inultum: ſtricto enim ferro, quoad potuit, vel ſaucius ſuſtinuit impetum, multitudine tandem obrutus, cruentatam Hoſti victoriam, & luctuoſam reliquit. Tàm præclaræ morti hoſtiles etiam lacrimæ pretium fecere; interque funebres pompas viſum eſt efferri, ipſorum (3) quoque manibus perduellium Cadaver, ne fortiſſimo Adoleſcenti debitus tumuli honor deeſſet.

(1) Joannes Bonifacius Iſtoria Trivigiana, lib. 12. pag. 724.

(2) Idem Auctor ibidem pag. 721.

(3) Idem ibidem.

Vix hæc: cum Fabiolus Muſæum ingreſſus nunciat, foris eſſe, qui oſtium pulſat. Cui Ego: unde, & à quo miſſus, rogaſtin'? Et ille: priuſquam de feneſtrâ rogarem, aperuit ipſe: ſe nimirum Puteolis hùc curſitantem veniſſe; habereque in operta ciſtulâ, quod Poetæ tradat ab ſuo Hero munuſculum. Et ego: benè eſt, i, fores reclude. Quinimò, ait Cotta, advola; Puerumque hùc ad nos ſtatim adducito. Ut autem abiit: quid tibi, Lævinus inquit, Parthenie, de doni genere præſagit animus? Si noſſem, tum Ego, Auctorem: divinarem profectò; at quodcumque illud ſiet, opportunum venit; & ſi fortè aut mulli recentes, aut ſoleæ, etiam ad vota. Tu interim quid conjicis? Selectiſſima, inquit, & quæ id temporis admodùm rara, cum corniculatis vvis, puteolana pyra volema, & regia. Et ego, tum Cotta: utinam, me augur non fallat animus, ſportulam reor pinguiſſimis partim Turdis, ruſticulis partim Perdicibus benè confertam: Cui Ego: an non etiam præſentiſcit animus ſapidiſſimos Phœnicopteros, Romanorum delicias? Vix hæc; cum Puer Muſæum ingreſſus, meque reſpectans: Herus meus, inquit, Lælius Fortunius, te, Muſarum amor, & cura, ſalvere jubet in primis; Et quoniam ad te ſcribere per tempus non licuit, me tabellarium unâ, & Epiſtolium miſit hùc properè. Hæc porrò Epiſtolæ ſumma. *Parthenio Vatum Maximo, Fortunius tenue munuſculum*. Hæc ut accepi, audiſtin' inquam Fabiole, quàm expeditè, quàm bellè heri ſui mandata perſolvit Puer? Quid tu ad

hæc

hæc ſtipes merus? Et ille: extricabo me ocyùs: roga hunc modò, num Poeta, num cocus, num bonus piſtor ſit etiam, ut eſſe me tute ſcis? Hic Ego: abſtine pluribus πολύπραγμων teque in culinam confer citiſſimè, & puero obſonii aliquid ad merendam apponito; ad eumdemque converſus: Ciſtellam, inquam, locato hanc ſuper menſulam; ubi è culinâ redieris, paratam cum ciſtâ tibi ſtrenam habeto; perge jam ſis. Poſtibi, dum curaſſis omnia, hùc te volo, Fabiole. Et Puer: jam jam adero.

Mox verò, ut in Culinam famuli divertere; Lævinus ciſtulam lauro, myrtoque coopertam intuens: benè habet: inquit, Parthenie: Divinavi certè; moræque impatiens, folia utrâque continenter manu detraxit. Ubi autem tetigit, deprehenditque palpitantem adhùc, ſuiſque in ſpiris obvolutam Murænam: Superi: exclamavit penè lymphaticus: proh Superi veſtram opem! Cui ſtatim Ego: Quid iſtuc Lævine? Quid? tum ille: Sine pauxillùm, quæſo te, ut reſpirem. Atque hîc ignarus rei Cotta etiam expalluerat de metu. At Ego ratus quid eſſet; effare, inquam Levine: Et ille: Bone Deus! Ingens fluitat in Qualo ſerpens. Excuſſit hæc mihi riſum falſa perſuaſio. Verum ut inanem metum depellerem, ſurrexi illicò de Sellâ; atque ades hùc, inquam, Cotta, teſtem te volo. Vide ſis peramici Equitis munus, Murænam, baſilicâ cœna digniſſimam; prehenſamque manu utrâque, ne dilaberetur, de Qualo extuli. Ut vidit Cotta: accede, inquit, Lævine, ne dubita; miram oppidò Murænam cernes, ut minimùm Septilibrem; nec fluviatilem, ſed oblongo, quale eſt Anſeris, roſtro obarmatam. Ut ingens, ait, ut pulchra, ut Druſi Vivario, & Antoniæ inauribus digna! Atat, tùm ſtatim Lævinus; motatur adhuc, & ſpirat. Ità ſanè ait Cotta: ſed quid tum poſtea? Et ille: docuit me vel à Murænis, dum vivunt, cavere Parthenius: probè ſiquidem memini, quod ipſe cecinit Halieut II-

Nec te multa puer teneat fiducia, lætas
Viſcere Murænas dum perſcrutaris opimo:
Maxima namque illis audacia. Sæpè cruentis
Piſcantes furioſa petit, cæditque ſagittis:
Æque rati trahit in fluctus, mergitque profundo.
Magna quidem, ſed magna feram facit ira potentem.

Ut recitavit; habeo, inquam, tibi gratiam Lævine, quod tanti facias rem meam. Verum, pace tuâ dixerim, indocilis, qui te adeò perculit metus genuinam, in qua ipſe fui, ſententiam aliò detorſit. Eo quippe in loco, de

Pi-

Piſcantibus ſermo eſt , quibus dum præpingues in mari perſcrutantur Muraenas, cavendum certè ne vulnerentur, neve mergantur . Atverò ubi captæ , ubi contuſum illis perbenè eſt ſaxo caput; quæ ultrà vis , quæ ſupereſt uſquam audacia? Adeon' occupavit mentem formido, ut adhuc non videas, ſaltare te extra chorum? Acceſſerat intereà loci Fabiolus, cui reponendam in lebete Muraenam tradidi, juſſique illicò tepenti aquâ obruendam, ut innataret. Dictò citiùs in culinam ille advolavit, perfecit juſſa , rediitque cum Puero ; cui , ubi ciſtulam , & argenteum dedi: Adverte ſis , monui , ut qui pro Hero tàm benè, idem ipſe, & pro me, cùm redieris, tabellarius ſis pariter, & tabella; ſiquidem pro eo, quod eſt ad manus negocio ſcribere, ut vellem, non vacat. Hoc interim memoriâ tene Heri tui Epiſtolio reſponſum.

Fortunio Equitum humaniſſimo
Parthenius
De amico munere gratias humaniores.

Ut pedem extulit Puer; Quod inſtat, inquam, agamus: nam longè ab inſtituto defleximus, & longa adhùc reſtat via. Eja igitur Lævine, poſito tandem metu, quòd tuî eſt muneris, perfice. Quo ſumus loco? Quem ſignat in Numiſmatis Heroem ex ordine Collaltina Series? Hærebat interim ille; nec quò ventum eſſet, oculis occurrebat. Hîc moræ pertæſus Cotta: non dum, inquit, vacuus à metu es formidoloſus homo: tuâ ipſe dicam vice. Succedit Antonius IV. Comes de Collalto. Ità enim verò, ſtatim Lævinus: Ecce tibi effigiem Parthenie: neque enim me timor, ſed longior ſolito intercapedo diſtraxit. Benè eſt, tum Ego: Sed jam nugæ faceſſant; eò quippè devenimus, ut immorari diutiùs ſine injuriâ non liceat. Nihil patitur ſibi detrahi temporis immenſa virtutum ſeges, & laudum copia, quam ſolito pleniorem exhibet Comes hic, optimi Mecænatis mei Proavus præclariſſimus, de quo vel paucâ delibaſſe pluſquàm ſatis erit ad gloriam.

A' primo pubertatis flore Maximiliani, Auſtriæ Archiducis nobilis Cubicularius, eximiâ morum (1) ſuavitate, oris elegantiâ ſimul, & majeſtate, linguæ facundiâ, mentis eruditione cæteros præſtitit. Belli Paciſque artibus ubique conſpicuus: (2) quantum pro Patriâ, quantum pro libertate Reipublicæ inſudaverit, Eques primùm, ac pugil; mox Cataphractorum Ductor, poſtremò Veneti exercitus Imperator adlectus, teſtatur Adriacum mare, teſtatur Urbis Reginæ (3) plauſus; teſtatur denique (4) Senatus univerſi in eo celebrando conſenſus. Profectò non poterat feliciùs, aut Imperii majeſtas, aut Patriæ di-

(1) Joannes Turrius epiſtola nuncupatoria.

[2] Joannes Bonifacius Hiſtoria Trivis.pag.727.

[3] Paſchalis Ciconia Dux Venetiarum diploma datum 7. Julii 1589. Comes Baptiſta Guarin lettere, p.213. aliq.

(4) Marinus Grimanus Dux Venetiarum, Ducalis data 17. Mart. 1598. aliæq; innumeræ Venetorú Principum volumine integro collectæ.

gnitas, aut Collaltinæ Familiæ amplitudo ſuſtineri, promoveri, atque exornari: quare jure optimo de hoc Duce memoriæ proditum. (1)

[1] Cornelius Amaltheus loc. mox citando.

Quo nec conſilio quiſquam, nec clarior armis.

Sed vincit hæc omnia Pietas, Munificentia, Religio, quarum permulta, atque explorata reliquit Heros veſtigia. Unum, in quo cuncta elucent, perſequar paucis. (2) Templum ſcilicet Sanctæ Cruci ſplendidè exſtructum, expolitumque, ubi Euchariſticum Ferculum, ſingulari admodùm privilegio, ac cultu, aſſervandum curavit. Hanc porrò liberalitatis conſtantiam ingenioſè innuit in altera hac numiſmatis fronte, ut videtis, extenſis alis, atque irretortis ad ſolem oculis Aquila, ſuſpenſum unguibus oſtentans lemma

(2) Henricus Abbas Hiſt. Collat.

Pennas non Animum.

Scitè quidem hoc loco Cotta; neque poterat aptiùs, ut reor, Viri conſtantis animus exhiberi. Siquidem quotquot ſunt aves, Gruem ſi excipias, pennas per ætatem immutant; inditam verò à naturâ indolem retinent ſemper. Cui ego: Eruditè tu quidem Cotta; at congruentiùs certè Lemma explicaſſes, ſi oculos ad ſchæma applicuiſſes attentiùs. Vide ſis, Reginam avem, libratis in aëre alis, immotam adeò oculorum aciem figere in ſolem, ut pennas potiùs, quàm animum ſuo abeſſe officio neceſſe ſit: quaſi dicat, Vires, plumæque quibus ſuſtineor deficere me profectò poterunt; firma tamen acies deficiet nunquam. Quàm bellè, quàm appoſitè ad rem ſubjectam! Pennæ ad fortunas, & opes: immota acies ad conſtantiſſimum beneficentiæ animum referri poſſunt. Ut peracutè, inquit Lævinus, ut dilucidè expoſitum Schæma eſt! Unum tamen addam de meo. Solem nimirùm, in quem acriter Aquila intuetur, perennem, divinæ beneficentiæ fontem adumbrare non abs re opinor. Cui, inquam Ego: Euge Lævine, lubens aſſentior. Sed pergamus porrò. Vir iſte munificentiâ inſignis tres Filios ex Juliâ de Taurellis, ſpectatiſſimæ nobilitatis Conjuge, ſuſcepit; Maximilianum II. Rambaldum XIII. Vinciguerram IV. totidem ex alterâ Uxore, Heliſabethâ de Malvitiâ Stirpe, Bononiæ apprimè illuſtri, Maximilianum III. Ferdinandum I. Petrum Rolandum II. Quos inter poſtremos Ferdinandus, adhùc à teneris veteranus miles, in Germanico bello pugnans acerrimè pro Auſtriaco nomine ſe ſe devovit. At primi germani Fratres à primævo ætatis flore adeò uberem gloriæ ſegetem retulerunt, ut jure meritò rudimenta ipſa virtutum præcinuerit non ignobilis Vates. (3)

[3] Cornelius Amaltheus, liber inſcript. Trium Fratr. pag. 164.

Vos

Vos Genus Heroum, Vos Alto è Colle Propago,
Magnanimi Fratres, quos cœlo vivida Virtus
Evehit à teneris, nec adhùc pubentibus annis, &c.

Et ſane uno Rambaldo prætermiſſo, de quo infrà, ut Seriei ordo poſtulat, plenior redibit ſermo: aliqua hìc de Maximiliano, & Vinciguerrâ curſim attingam. Ambo (1) Patavii literis non vulgaritèr inſtructi, amœnioribus diſciplinis Severiores inſeruere. Ille, emenſo ſtudiorum ſtadio, Belgium (2) contendit; ubi, tamquam in apertâ Martis palæſtrâ eruditus ad pugnam, per vulnera, per victorias, per mille mortis diſcrimina triumphator egregius à Venetâ (3) Republicâ militum legione donatus primùm; tum in graviſſimis bellorum periculis Brixiæ præfectus eſt; mox demum in ipſo adoleſcentiæ flore, magno quidem & Patriæ, & Familiæ cum detrimento, & luctu, acerbo nimiùm fato præreptus. Hic porrò Vinciguerra ille fortiſſimus Hieroſolymitano Ordini adſcriptus Eques, quid Collaltina virtus, quid indoles generoſa, quid valerent manus, & re, & Nomine comprobavit, in publicis Annalibus *Turcarum Terror*, *ac Fidei Propugnaculum jure quidem optimo nuncupatus*. Hæc ubi dixeram, ſtatim ad me Lævinus: Hic ne, inquit, Polenices ille, qui clypeo, & enſe munitus, ſummoque antennæ vertice innixus, tùm ſuo conſilio, ac nutu in turcicum Gaulum demiſſus, hoſtibus improviſus in Turrim mediam, miles idem, idem Dux, & Exercitus, quale fulgur inſiliit? Cui Ego: Ipſus ipſiſſimus. Et ille: Quantum in eo conſilii, quantum virtutis, ac roboris, Deus immortalis! Poſt hominum memoriam factum illuſtrius me legiſſe memini nullum. Gaudeo in ſinu; quod (4) Naumachiæ III. illud tu, egregiè, ut ſoles, ob oculos poſueris: teneoque verſiculos, qui arrident adeò, ut nequeam mihi temperare, quin recitem.

Fortè inter primos Equitum, qui puppe ſub altâ
Prætorem circumſtabant, corpuſque tegebant
Objectis contra palmis, pulcherrimus ore
Unus erat, primoque inſignis flore juventæ.
Tunc etenim teneræ prima lanugine malæ
Cæptabant rarâ floreſcere, vivida mentis
Virtus, & validum formoſo in corpore robur,
Creſcere & audaces animi: ſummum genus olli
E' Collaltiadum deductum Stirpe vetuſtâ,
Grandibus & titulis Majorum, oſtroque ſuperbum.
Magnanimus Puer, & tot Avorum Sanguine dignus,
Et patriâ dignus fortunâ: aucturus & ipſe

(1) Joannes Baptiſta Arrigonus, Miſcugli di Rime, pag. 19. & 121.

(2) Matinus Grimanus Ducalis data 5. Aug. ann. 1600. in Archiv. Coll. Comitum.

[3] Idem Dux Venetiarum ibid.

(4) Parthenius laudato lib. pag. 57.

Familiæ decus egregium, laudeſque Parentum;
Inque novos titulos, magnumque in Nomen iturus;
Nam propter palmas Thracum de gente relatas
Sæpiùs, inſignique actos cum laude triumphos,
Turcarum Terror Polenices nomine dictus.
Hic ubi cum dubio certari Marte videret,
Verſarique ſuos Fati diſcrimine certo,
It cætum in medium confidentiſſimus, atque hoc
Aggreditur ſermone Ducem: liceat mihi, quæſo
Inclyte Dux, tanti in partem certaminis ire,
Laudis & optatæ in partem, partemque triumphi.
Inventum Fortuna novum mihi ſuggerit, & mens
Ipſa mihi mea, ſi tantis modò Juppiter auſis
Atque novis Meliten palmis, clariſque triumphis
Ornabo: in me non virtus ſpectetur ab annis.
Quamquam etiam interdum teneris ſtat magna ſub annis.

Et poſt pauca, ad facti narrationem, ſic preſſiùs.

Ille ſed antennæ demiſſo è vertice, turrim
Inque hoſtes ſaltat medios, ferrumque coruſcum
Hàc, illàc rotat imperterritus; aëre ab alto
Qualis ubi in prædam præceps delabitur Ales
Sacra Jovi, timidaſque fero petit ungue columbas;
Continuò tantis perculſi audacibus auſis
Hærent attoniti, nec ſe defendere Thraces,
Nec ſtatione queunt inſiſtere; Victor at ille
Demittit ſcalas, ſocioſque aſcendere in altum
Hortatur; mora nulla, citi ſuper alta carinæ
Aſcendunt ſocii tabulata, hoſteſque trucidant.
Et tandem læti captâ dominantnr in arce.
Unius, & tantam peperit fiducia palmam.

Quibus recitatis, habeo tibi gratias Lævine, inquit Cotta, quòd illorum mihi memoriam excitaſti, quibus mirificè capior; totoque pectore lætor, quòd eximio Heroi eximius Poeta contigerit. Cui ego; Facis id tu Cotta pro tuâ in me benevolentiâ: Cæterum quàm exucci ſint, & malè tornati, ſatis teneo. Quid enim & malè firmus, & exuccus valeat ſenex? At, ut video, è curru excidimus; redeamus, quæſo, in viam; & quod tui muneris eſt, actutum expedi. Et ille: ſi exporrectæ, inquit, Membranæ fides, ſuccedit Collalti Comes Jacobus II. Ità planè, tùm ego: Vir profectò ter inclytus, eodem virtutis, quo ætatis gradu, & ſuam, & majorum gloriam auxit cumulatiſſimè. Vix ab Ephæbis, Ferdinando I. (1) & Maximiliano II. Imperatoribus nobilis cubicularius, & apprimè charus: vix à plenâ pubertate, (2) Philippo II. Hiſpaniarum Regi militarem navavit operam; ſtrenuitate, an prudentiâ præſtantior, ambiguum.

[1] Joannes Bonifacius in nuncupatoriâ Hiſtoriæ Terviſinæ.

(2) Idem Auctor ibidem, & Joannes Turrius la Barriera, in nuncupatoriâ.

guum. (1) Ab Alexandro Farneſio in Belgio exercitus Imparatore Chiliarcha tribus militum millibus, aucto numero (2), præfectus fuit; quibus copiis fortiſſimus Adoleſcens Arces (3) evertit, urbeſque: ſæpè numero adverſas delevit acies; & ad triumphi cumulum, (4) Duces, atque hoſtium principes viri capti acceſſere. A provectâ demum ætate, bellicâ virtute præſtantiſſimus, per Ducem Maynium, ſacri Fæderis legionibus præfectum, duplicato ſub ejus ſignis priori militum (5) numero, ad bellum contra perduelles Dux accerſitus, mirum quantum (6) Hiſpanam rem Comes, auctis copiis, pugnando auxit! Mirum, quot Proavorum laureis, quot capiti ſuo palmas inſeruit! At mirum magis; quòd Galliarum Reges (7) aureùm quinquies centena millia ex aſſe, Jacobi hæredibus, reſidui ſtipendii nomine, ſoluturos polliciti jampridem ſunt; idque firmatum publicis tabulis voluere. Patriæ reſtitutus, otii tranquillitate vix delibatâ, ad graviora obeunda negotia ſtatim adſciſcitur. Veneta enim Reſpublica, fortiſſimi Viri celebritate permota, Rei terreſtris ſummam ipſi omnem concredidit. Quamobrem adornatâ confeſtim claſſe; marique velis, remiſque tranſmiſſo, (8) Illyricos propugnavit: Jonias, Ægæaſque Inſulas à communi hoſte feliciter vindicavit: tot demùm rebus præclarè geſtis, exultantis Patriæ plauſibus, ac triumphis redux exceptus. Mox, ut piæ etiam Religionis cultu ſe Collaltinum probaret, Divo Philippo Nerio, (9) quod à fundamentis extruxit magnificè, Templum dicavit. Ejus uxor ex Dynaſtis Carpii, & Saxuli, Sacri Romani Imperii Principibus (10) Lucretia Pia de Sabaudiâ, eleganti formâ, eximiâ pietate, morumque integritate inſignis.

[1] Joannes Bonifacius loco cit.
[2] Idem Auctor ibidem.
(3) Idem ibidem.
(4) Idem ibidem.
(5) Idem loc. cit.
(6) Catharinus Davila ſtoria delle Guerre Civili di Francia libr. 10. 11. 12. 13. 14. e 15. Cardinal Bentivolus, della Guerra di Fiandra part. 2. lib. 5. pag. 126.
[7] Petrus Matheius, ſtoria delle Guerre inteſtine di Francia, tradotta dalla favella frãceſe all'Ital'ana, da Geronimo Canini, lib. 7. pag. 568.
(8) Ludovicus Alcardus, il Corſaro Arimante in nuncupatoriâ.
(9) Henric. Abbas Hiſtor. Collalt.
(10) Sanſovinus pag. 4. Heuningius pag. 1491. Zabarella pag. 114.

Cum hæc memorarem, parato ad manus Numiſmate, expectabat Lævinus, ut ſubſequentis Herois nomen rogarem. At, tum ego: te prævertam, Lævine. Succedit Rambaldus XIII. Collalti Comes, cognomento Magnus; cujus res geſtas per otium licuit, nudius octavus, paucis complecti; in eâque, quam intra Ludovici Morerii Codicem habes papyrum, exaratas volui. Tu interim, Cotta, eductam è vicino Codice chartulam, clarâ voce perlegito. Et ille, ſchedulâ ſtatim dimotâ, legere occæpit.

Rambaldus XIII. Collalti Comes, cognomento *Magnus*, & Antonii Rambaldi, Mecænatis mei Patruus ter optimus; Animi magnitudine, gravitate conſilii, militaris potiſſimùm diſciplinæ peritiâ ad prodigium conſpicuus, meritò cùm exteris, tùm domeſticis, vel primæ notæ maximis Imperatoribus præferendus. A teneris, per omnes Aulæ, militiæque gradus ad ampliſſimas dignitates evectus,

ctus, univerſa honorum præmia, uberrimaſque trium Cæſarum remunerationes exhauxit. Tanta gloriæ majeſtas Europam omnem magis famâ, ac triumphis, quàm itineribus peragratam, in ſui admirationem pertraxit; idque diù in ancipiti poſitum, plus ne ſplendoris à ſuâ ſtirpe acceperit, an in ipſam refuderit ex ſuo. Vix quinto, & decimo (1) exacto pubertatis anno, Italiæ vale dicto, in Pannoniam, ubi acerbiſſimum urgebat bellum, conceſſit: Socialibus immiſtus Armis, vel ſuæ ignotus factioni, in hoſtiles acies ſæpè numero irrumpens, infracti roboris, & bellicæ ſupra ætatem virtutis, fecit periculum. (2) A Georgio Baſta, ſupremo Exercitus Duce, aliiſque militum Tribunis in ipſo notatus pugnandi ardore, ac deprehenſus inter arma Rambaldus, iis fuit exceptus honoribus (3) novitius miles, quos Duces veterani vix obtinent. Quid? quod Cæſares, (4) Rodulphus II. nobilem Cubicularium, eundemque à bellicis Conſiliis (5) Matthias I. Aureæ Clavis Equitem, & à Secretis, & Ablegatum, primò ad Paulum V. P. M. (6) tùm ad Hiſpaniarum Regem Philippum IV. (7) qui virtutis æquiſſimus æſtimator Equeſtri Aurei Velleris Ordine voluit inſignitum: Ferdinandus II. (8) Conſiliarium intimum, (9) Politicum, Militarem, Aulici miniſterii Præfectum: In Pannonicis Comitiis Cæſareæ, atque Auſtriacæ Rei Curatorem Supremum: Equitum, Peditumque Tribunum, Mareſcallum, ut ajunt: (10) Omnium inſuper Cæſaris Exercituum Principem Ducem, ſummumque Præſidem Belli, & Imperialem ampliſſimo jure Vicarium meritò renunciarunt. Tot, tantiſque in uno Rambaldo collectis Dignitatis, & gloriæ Titulis, Rambaldus unus non impar, mirum oppidò, quantum laboris, atque incommodi ſuſtinuit; quantum manu præſtitit, & conſilio, ut nutantem (11) Imperii majeſtatem firmaret! Bohemiæ, & Hungariæ Regna, quà ingenii dexteritate, quà fauſto præliorum exitu acerrimè propugnavit; fidemque ibidem orthodoxam, Aſſertor egregius à peſtiferâ hæreſeos labe, quàm qui maximè communivit: (12) Irruentes Turcarum, ac Perduellium phalanges clariſſimis victoriis fregit: Arces, oppida, munitiones vel ab obſidionibus vindicavit; vel ſuo imperio ſubjecit. Hæc tàm multa licet, & ſumma, lubens prætercam; unum tamen illud ad ſingularis gloriæ compendium, memoriâque dignum ſempiternâ, non præteribo: ut enim Caroli Nivernii Ducis, qui Mantuanas ditiones audacter invaſerat, arrogantiam armis coerceret; Mantuæ (13) Urbem à Situ, à Naturâ, ab

(1) Urbanus à Politio Capucin in orat. funebri habitâ Viennæ 1631

(2) Cirus Spontonus ſtoria della Tranſilvania, lib. 11. pag. 279.

[3) Franciſcus Chriſtophorus khevenhiller, Annales Ferdinandi, ubi vita Rambaldi XIII. Collalt. Com.

(4) Cirus Spontonus, ſtoria della Tranſilvania, pa. 279.

(5) khevenhiller, loc. cit.

[6] Juſtus Fontaninus, il Dominio della *Sedia* Apoſtolica ſopra la *Città* di Comacchio, pag. 31.

(7) Jo Bapt. Mauritius, le Blaſon des Armoiries, pag. 400.

(8) Zabarella, par. 1, lib. 3. pag. 102.

[9] Laurentius *Craſ*ſus Elogi de' *Ca*pitani illuſtri, pag. 83.

[10] Diatheca Rambaldi XIII. Joſeph Riccius Cl. Reg. *Congr.* Som, pag. 260.

[11] khevenhillier, Craſſus, Leopoldus Guarientus. Adolphus Brachelius Hiſtoria Univerſalis, pag. 9. Joan. Riſcellius Soc. Jeſu, medullæ Hiſtoricæ ſeptennium 3. pag. 630. 631. & 641. *Craſſus* Elogi, pag. 83.

(12) Alexander Noris lib. 2. pag. 55. & 93. lib. 3. pag. 129. e 130. lib. 4. pag. 168. 178. e 196.

(13] Pappus *Conſtantiæ* Cathedralis Decanus Epitome Rerum Germanicarum, pag. 84.

ab Arte inexpugnabilem denſâ militum coronâ interclu-ſit, & quamquàm non multò poſt eò gravior, quò improviſior peſtilentia Exercitum afflictaſſet, Rambaldus tamen non modò animis non excidit, verum etiam propiùs Arcem adortus eſt, ac moleſtiùs concuſſit. Bellico tandem aſtu, ac ſtratagemate pleno conſilii, inductis per ſilentium copiis, oppreſſit illicò, & ſuorum admiratione militum, ipſorumque hoſtium ſtupore, demum ſubegit. Dignus proindè, quem ſuo hoc Ferdinandus Encomio (1) cohoneſtarit: *Romanii Imperii Dignitatem, ac Salutem, Germaniæ à Bellorum incendiis pacatæ tranquillitatem, aliorumque Auſtriacæ Gentis Regnorum incolumitatem Rambaldo deberi*. Quid ultrà mirum, ſi tanti nominis Princeps in omnibus Bohemiæ, (2) Provinciarumque finitimarum Conventibus à Principibus Primas obtinuit, eandem in Poſteros dignitatem, hæreditario veluti jure tranſmiſit? Si Familiam ſuam nedum ſplendidiſſimo honorum, & gloriæ cenſu, ſed & novâ, & maximâ facultatum acceſſione: egregiæque Pietatis documentis clariſſimis illuſtratam, ad gradus ſummos extra omnem Fortunæ ictum evexit? Cui enim, niſi uni Rambaldo referantur acceptæ in Moraviæ Provinciâ Pirnitzii, ac Teuto-Rudolertzii, ut vocant, ampliſſimæ Dynaſtiæ (3) cum Regionibus longè, latèque diffuſis; quas ipſe ad Collaltinas opes, ac Ditiones adjecit? Cui demum, niſi uni huic Heroum Maximo Pirnitzienſe Oppidum debet, quam ipſe ad Arcem, regio penè ſumptu, excitavit Baſilicam, & dote locupletiſsimâ communitam, alteram veluti Religionis Arcem, ſuâ annonâ, ſuis armis, & præſidiis inſtruxit? O Virùm certè in Collalti Faſtis nulla non ex parte immortalem, cui par nemo; at Similis tantùm Uxor de præclariſsimo Turrianorum Genere Blanca Polixena, quam nominaſſe ad ſummam laudem ſit ſatis.

(1) Ferdinand II. Imperator, Patentes ſignatæ anno 1623. aliæque ejusdem Cęſaris literæ in Arch. Coll. Çom.

[2] Capitolo eſtratto da ſtatuti municipali del Marcheſato di Moravia; confirmati da Ferdinando II. à 1. Lugl. 1923.

(3) Ferdinando II Patenta di conſegnazione della Signoria di Pirnitz, ſegnata in Ratisbona à 20. April 1623.

Ut recitavit de ſcripto, ſtatim ad me Lævinus: habeo, inquit, tibi gratias, Parthenie. quòd tanti Viri Nomen, & geſta brevi, acutoque ſtylo perſtrinxeris. Verùm, ut latinè loquar, unum in Eo eſt, quod audit non benè. Quidnam iſtuc? tum ſtatim Ego. Et ille: apud Bruſonum, (4) inquit, me legiſſe commemini, memoratum illud Mantuæ facinus, nulla vi, nullis armis, ſed fraude, dolo malo, ac proditione confectum. Cui Ego: id quidem Bruſonum ſenſiſſe nullus inficior; imò Nanium, (5) Alphonſum Loſchi, aliosque adde, ſi lubet. Sed quid tùm poſtea? Ut clariſſimo Nomini ſplendoris

vel

(4) Khevenhiller Annales in Vità Rambaldi.

(5) Bruſon. volum. 1. lib. 2. pag. 69.

[6] Nan. lib. 8. pag. 519.

(7) Loſchi comp. pag. 432.

vel minimum detrahatur? Ut vel paululùm ingens gloria adumbretur? Non ne tritum in primis illud.

Dolus, an Virtus quis in hoſte requirat?

Deindè, quot, & numero, & auctoritate, & fide digniores in oppoſitam ivere ſententiam? Præſertim Jacobus (1) Boſſuet; Everhardus Waſſembergius, (2) Ludovicus Aurelius, (3) Brietius, (4) aliique, quos hic recenſere, ne de re tàm apertâ diutiùs diſceptemus, non vacat. Pergamus porrò, & quod tui muneris eſt, Cotta, celer exequere.

Hîc ille præſto ſum, inquit. Ecce, tibi ſuo Nomen ex ordine; Claudius III. Collalti Comes. Scilicet, tùm ſtatim Ego; magni Rambaldi filius, cognomento Heros; (5) imò omnium judicio, Heroum facilè Princeps, (6) & Mecænatis mei Patruelis optimus, quem Sapientia bonis artibus, Innocentia Sanctiſſimis moribus, Gloria ſupremis honorum gradibus illuſtrarunt. Et ſanè ab ineunte ætate manſuetioribus primùm Muſis, mox etiam diſciplinis ſeverioribus ità omnem navavit operam, ut brevi doctrinæ laudibus ornatiſſimus æquales ſuos longè præſtiterit. In florentiſſimâ Lovanii Urbe, facultatum omnium altrice, de Jure civili univerſo publicas Theſes, coram frequentiſſimâ doctiſſimorum hominum panegyri propugnavit, cui id planè mirum, eâ in ætatulâ, ingenium, (7) maturitas, & quod caput eſt, memoriæ felicitas penè ſingularis. Literarum ſtudio acriùs acceſſit, & Pietatis, & vitæ benè inſtituendæ ſtudium, quo ſe, cæterarum etiam virtutum præberet exemplar. A' turpi otio (8) alienus, adoleſcentiæ illecebris operoſum palæſtræ præſidium oppoſuit. Ab omni vitiorum labe immunis, eam tùm maximè, cum in nobilium animos (9) irrepſiſſet, exoſus: illud ſe nobilitati ornamentum præferre, ajebat, incorruptam omninò morum integritatem. (10) Et quamquam ipſa ſibi præmium ſit Virtus, & luce ſatis ſe prodat ſuâ; carere tamen externâ luce, ac præmio non debet. Nec caruit iſta: Claudium enim Cæſares duo, Ferdinandus III. & Leopoldus I. ob tot, ac tanta probitatis, ingeniique ornamenta demirati, Equitem (11) ab aureâ clave, & Aulici conſilii Senatorem meritiſſimum renunciarunt. Mox Peditum Chiliarcha, cùm Pannoniæ Res ad arma ſpectarent Legatus (12) ad affines Principes Brandeburgi, & Saxoniæ Electores jam deſignatus honorificè expeditur; paulòque poſt ad magnæ Britanniæ (13) Regem inſigni legationis titulo miſſum: Eo in munere, acerbo nimiùm fato, ereptum Bruxellis,

ſele-

[1] Boſſuet. tom. 2. pag. 363. & 364. gallicæ Editionis.

(2) Flores Germani pag. 198.

(3) Supplim. alle ſtorie di Torſellino pag. 662.

[4] Briet. tom. 2. par. 4. pag. 544.

(5) Jacobus Petrus Hunterus Apologia Senecæ, & Zabarella p. 102.

[6] Henricus Abbas Hiſt. Collalt.

(7) Gulielmus Beccanus Soc. Jeſu Eleg. 8. in Hoſſchj libris pag. 328.

(8) Gualdus, ſcena degl'huomini illuſtri, litera R.

(9) Henricus Abbas ibidem.

[10] Idem in Elogiis.

(11) Jacobus Petrus Hunter in opere citato.

(12) Gualdus ſtoria di Leopoldo par. 1. lib. 7. pag. 749.

(13) Le Balſon pag. 479. & Anonymus Revolutions d'Ingleterre, pagina 232.

ſeleƈtiſſimum Juvenem indoluit Familia, indoluit Civitas, atque Aulæ Principes complorarunt; at omnium maximè luƈtu, & ſqualore dejeƈta Annibalis Sabulonetæ Principis, atque Heduigis Saxoniæ Ducis Lavemburgi filia Heliſabetha (1) Gonzaga, Herois Uxor. Equidem, hìc Lævinus, cum juvenilem in Numiſmate Principis formam contemplor, vel ipſe lacrymis temperare non valeo. Crudelem dixerim Parcam, quæ cum aureo ſtamine ſpem omnem gloriæ amplioris abrupit. Ità ſanè, tum Ego: verùm quid facias? Quin diù ſatis vixit, qui non ſibi, ſed Familiæ, ſed Patriæ immortalitati vixit.

(1) Joannes Scheffe-rus, Mauricius, Gualdus, Zabarella.

At pergamus ultra pergere; Cedo aliud ex ordine, ſignatum in Ære Herois nomen. Et ille: Sinito, inquit, ut ſcriptum compendio oculis veſtigem. Atat, idem aliàs iàm leƈtum memiui, Petrus Rolandus II. Collalti Comes. Divinaſti, tum Ego: Paternæ ſcilicet virtutis hæres ex aſſe, & Mecænatis mei Avus præclariſſimus, qui acceptam à Majoribus gloriam rependens cum fænore, (2) ingens avitæ laudis Appendix acceſſit: quas enim Natura in ejus animum dotes plenâ manu effuderat, temporis decurſu, in ſuam, ſuæque Gentis, & populorum felicitatem voluit (3) collocatas. Vixit in omnium oculis, & in privatæ, publicæque fortunæ clarum omen, & incrementum; nihilque præclarius duxit, quàm poſſe benemeri de pluribus. Id porrò præſtitit cumulatiſſimè ſummâ animi magnitudine, ſingulari prudentiâ, effusâ largitate, cæteriſque virtutum inſignibus, quæ magnum Principem, maximumque Heroem non decent modò, ſed faciunt.

(2) Jacobus Zabarella Merou. par. 1, pag. 202.

(3) Idem Auƈtor ibidem.

Vix hæc, cum intendens Cotta oculos in Scriniolum, numiſmata, quot reliqua, numerabat. Cui tùm Ego: Heus tu, inquam, quæ tuæ ſunt partes, Cotta, accurato, non quæ Lævini: Membranam in Abaco tuo diligentiùs perquire: cedo ſequentis Nomen. Implicitus interim in explorando cum ille hæreret; ne te, inquam, ampliùs vexes; deinceps monitoris non egeo, & perpaucos, & notiſſimos habeo reliquos in numerato. Jam à Petro Rolando II. ſuccedit Antonius Franciſcus I. Collalti Comes, & Mecænatis mei Patruelis Optimus. (4) Is ſanè Majorum veſtigiis inſiſtens, non modò rebus præclarè geſtis, ſed ſummis quoque honorum gradibus, magnum ſibi peperit nomen; Familiæ decus latiùs extendit; utrique Gloriam reddidit veƈtigalem. Tenet adhùc Fama, quàm ſplendidè ſuam locarit operam apud Leopoldum I. Romanorum Imperatorem: quan-

(4) Henricus Abbas HiſtoriaCollaltiana.

(5) Collaltiſce Baadn. liber Germano idiomate cōſcriptus, Venceslaus Herlichiùs S. Funebris oratio in obitu Maximilianæ, Thereſiæ, Comitis, de Collalto.

quantum in ampliſſimis æquè, ac difficillimis negociis, magnum ſe Leopoldo probaverit, etiam ſi maximis comparetur: quot demùm prærogativis, eximiiſque privilegiis ab uno Leopoldo locupletiſſimè muneratus. (1) Aureæ clavis Eques, & intimus Conſiliarius, Cæſarei Telonii Ybbſenſis ad Danubium Hypothecarius Poſſeſſor: In Moraviæ Marchionatu Tribunalium Primus, ſupremus deindè Camerarius, & ad Provinciæ hujus Comitia principalis Commiſſarius renunciatus. Porrò, his non contentus munificentiſſimus Princeps, ſeque tantæ Virtuti quaſi imparem ratus, Hiſpaniarum Regem, Carolum II. enixè rogat ſuas ut ſubeat vices, atque ampliſſimum Virum Aurei Velleris dignitate condecoret. Extat etiam nunc commendatitiæ Epiſtolæ monumentum, in qua *Altam ſanguinis Comitum de Collalto Nobilitatem, & honorificis candidatum meritis in Auſtriam excellere præclariſſimâ laudatus Imperator teſtificatione declaravit.* Tanto Viro duæ præſtantiſſimæ Fæminæ cum bona alite nupſere: prior, Tereſia (2) Joannis Ferdinandi de Puriliis, Supremi Aulæ Imperialis Præfecti Filia: hac demortuâ, poſterior Maximiliana Tereſia, ex Comitibus ab Althann, & formæ elegantiâ, & omnibus virtutis numeris prædives. Ex hoc Conjugio dulciſſimi duo, ac ſimiles Patri liberi in lucem editi. Major natu Comes Leopoldus Rambaldus I. Equeſtri Alcantarenſi ordine inſignitus, Auſtriæ inferioris Concilii Aſſeſſor, Leopoldi I. Cœſaris Aureæ Clavis Eques, & Joſephi I. Romanorum Imperatoris nobilis Camerarius, quem in Alſatiam, ut Landavium expugnaret, proficiſcentem, magnificentiſſimè, & regio apparatu Pirnitzii excepit; eâque in expeditione ſeſe Comitem ſtrenuiſſimum præbuit. (3) Natu minor, Comes Carolus Chriſtianus, qui nobiliſſimos inter Divi Stephani Equites adſcriptus, vigeſimum annum agens, utut præcoci fato Pariſiis ereptus, vivit adhùc, vivetque ſemper provectæ Virtutis famâ, atque etiam latiùs in memoriâ hominum, ac ſermone verſabitur.

(1) Leopoldus I. Imperator commendatitia ad Hiſpaniarum Regem, ſignata Auguſtæ die 27. Jan. 1690.

(2) Galeacius Gualdus in vita Ferdinandi Principis de Puriliiis.

(3) Henricus Abbas Hiſtoria Collaltiana.

Memoriam æquè apud Poſteros immortalem jure ſibi meruit Pompilius Maria I. Collalti Comes, cujus commemorato Nomine, conſumatæ Virtutis Heros ſtatim oboritur: quippe qui, ſummâ animi præſtantiâ morum gravitate, prudentia, conſilio, integritate, quaſi delapſum Cœlo Sydus, omnium oculis, ſpectatiſſimum ſe obtulit. (4) Ampliſſimam Collaltinæ Hiſtoriæ, rebus præclarè geſtis manus, atque induſtrius materiam ſubjecit, quibus Patriam primùm, Urbem deindè Romam, miracu-

(4) Idem Auctor, in Collaltiana marmora.

lis

liſs licet aſſuetam, in ſui admirationem pertraxit. Ab ineunte pubertate, Narviſiæ Abbas renunciatus, laureâ in utroque Jure inſignitus, ita præ cæteris excelluit, ut id unum difficile judicatu ſit, utra in eo commendatio major probitatis, an ſcientiæ. Tanta virtutis, ac doctrinæ famâ Innocentius XII., & Clemens XI. excitati, in Præſulum Domeſticorum numerum delegere, aliiſque oblatis dignitatibus, Relatoris etiam utriuſque Signaturæ, ut ajunt, munus contulerunt. Officiis hiſce egregiè perfunctus, in Patriam reverſus, continuò ampliſſimam Abbatiæ (1) Diœceſim perluſtrandi provinciam ſuſcepit: latis in eâ Viſitatione ad puriores mores, diſciplinamque Eccleſiaſticam ſtabiliendam, optimis legibus: Collalti Caſtro ad magnum Patriæ bonum, ac decus Divi Franciſci Alumnos reſtituit: Pauperiorum turbam, ut Parens amantiſſimus fovit, atque erexit; miſerorum omnium Patronus, lites diremit, jurgia ſedavit, Paci conſuluit: alia demum, eaque graviſſima munera magnâ cum laude obivit. Quapropter à Clemente XI. P. M. Archiepiſcopus (2) Corcyrenſis, quo melior fingi ne voto quidem poterat, creatus eſt, clariſſimis meritis ad eminentiores planè gradus evehendus, ni in eâ dignitate ſenis vix expletis menſibus, diem clauſiſſet extremum: maximo omnium, quibus tanti Viri probitas perſpecta erat, ſqualore, ac luctu.

[1] Idem Auctor in Hiſtoria Collaltianà.

[2] Additionator ad librum, li pregi della nobiltà Veneta, ſtoria di D. Caſimiro Treſchot, pag. 209.

Hoc loco Cotta: ſine, inquit, Parthenie, ut conceptum animo mærorem, ne medius diſrumpar, expromam. Equidem eximii Præſulis Nomen, ac geſta nolim ex te exaudiſſe, ne Virum pietate inſignem, & communi bono natum, tàm citò ereptum dolerem: Ætas quippè hæc noſtra, difficillimis hiſce Chriſtianæ Reipublicæ temporibus, eo potiſſimum Paſtore, inter bonos optimo, inter doctos doctiſſimo frueretur. Cui tum Ego: vera prædicas tu quidem Cotta; idemque me angor urgebat: at peracerbum jacturæ ſenſum lenivit brevior quidem, ſed longè felicior vitæ curſus, ac ratio (3) Comitis Petri Rolandi III. Mecænatis mei germani Fratris, qui fuit Gentis ſuæ primæ magnitudinis ſydus, & ornamentum. Aurea illi indoles, ingenium auro pretioſius; eximia morum ſuavitas, Manſuetudo, Modeſtia, ac mentis puritas, & innocentia, quæ omnes animi dotes in formâ corporis, Egregiàque vultus elegantiâ, velut auro inſertæ gemmæ, ſplendidiùs emicabant. In ipſo pubertatis flore Virtuti maturus, Ver attulit Religioni novum, quod innexis bellè Pudoris, ac Pudicitiæ Roſis, liliiſque, In-

(3) Henricus Abbas, in Hiſtor. Collat. & Elogiis.

tuentium oculos pulcherrimâ varietate, animos cœleſti quadam fragantiâ mirificè recreabat . Magna quidem hæc in optimo Adoleſcente; illud profectò majus, quòd omni peccati labeculâ caruerit vèl leviſſimâ , ut jure jurando, qui à confeſſionibus fuit, teſtatum omnibus, compertumque eſſe voluit. Tot porrò meritis onuſtus, ætatis ſuæ anno primo ſupra vigeſimum, chriſtianæ virtutis exempla Poſteris immortalia relinquens, occidit omnium amor, ac delicium . Vix hæc; cum ad me Lævinus: gaudeo, inquit, Parthenie, inter tot Collatinæ Gentis decora, illud quoque non inſolens: in hac nempè Familiâ non Heroas modò, ſed, & Angelos recenſeri . Ità prorsùs; tum ego; nec defuiſſe primæ notæ Viros, qui ſingulares ejuſdem virtutes demirati, nulli aptiùs, tam inſignem Virginitatis Alumnum compararunt, quàm unis Angelis; à quibus proindè ſplendido hoc Titulo jure honeſtatus, Petrus Rolandus III, *Adoleſcens Angelicus* .

Intereà loci de ſellâ, quæ proximè feneſtram erat, aſſurrexit Lævinus; per eamque Horologium Sciotericum, quod in atrioli pariete conſtructum, nonnihil ab occidente ad meridiem vergebat, attentâ acie ſpeculabatur: Cui Ego: Num quis fores pultat Lænine? Et ille: non pultat modo, ſed & ſuccedit: An Fannius? tùm Ego: ille verò ſubridens; Succedit, inquit, ſuccedit veſper olympo. Vide ſis, Parthenie, amabo te, quotam ſignet diei horarius circulus, quem in thecâ repoſuiſti; interiecti enim vapores inclinantem Solem obnubunt. Cui Ego: laudo, inquam, Lævine, leporem tuum, quo expectationem meam decepiſti tàm bellè. Quoad reliquum ne dubita; adhùc Soli ſupra Horizontem unius minimùm horæ iter ſuperſit. Et ille: ſi ità, Superis gratiæ; deſino jam in metu eſſe, verebar quippè, ne præceps ad occaſum Sol, te quoque cogeret, quæ narranda ſuperſunt, præcipitem penè evoluere. Cui tum Ego: navigamus in portu. Unus quidem, ſed Heroum maxlmus, (1) Vinciguerra V. Collalti Comes, & Mecænatis mei Parens ter optimus, narrationi meæ finem ſimul, & Coronam imponet; quod eò fiet faciliùs, quòd parata omnia, atque in promptu habeo. Cum enim plæcariſſima tanti Viri facinora non dum per alios commiſſa Typis, Collaltinis Faſtis non exiguum decus acceſſerint, optimè factum putavi, ignotæ rei notitiam ab uno ſcientiſſimo Filio ſcitari. Illum proindè properatis literis enixè rogavi, ut paululùm depoſitâ gnati Perſonâ, eam, quæ integerrimi hiſtorici eſt, lubens indueret, meque de ſingulis quàm-

[1] Idem Auctor Ibidem.

ci-

citiſsimè faceret certiorem. En igitur ipſiſsimum Epiſtolæ exemplar, & perilluſtris laudis ſimul, & geſtorum Epitome, quæ ab ultimâ, Germaniâ, ad me dedit. Tu interim, Cotta, perlege erectâ voce. Audiſtin? Et ille: putabo, inquit, ni tibi ſit grave, Surdaſtrum Lævinum eſſe; acceptâque papyro, ſtatim occæpit.

ANTONIUS RAMBALDUS
Parthenio Giannettaſio, S.J.
S. P.

Perjucundæ nobis literæ tuæ acciderunt. Ex illis facillimè intellexi, quod & ſine illis pro confeſſo mihi erat, ob ſingulare erga nos animi tui ſtudium, noſtram tibi in dies dignitatem majori curæ eſſe. Equidem fateor omni officio, ac potiùs pietate in me, licet cæteris omnibus ſatisfacias, tibi ipſi te nunquam ſatisfacere. Quid enim aliud aviditas illa oſtendit, qua Parentis mei præcipua geſta in præſentiarum flagitas, ut Hyemum Puteolanarum libris, quos avidiſſimè expecto, inſerta velis candidè ut ſoles, & (quod nec ultimum ex calamo tuo beneficium exiſtit) commendata habeas? En itaque quod rogas impensè, tranſmitto ingenuè: parem ſcilicet ingenio tuo, plurimamque laudationis à te pertexendæ materiem. Interea Parenti optimo gratulor, quod ejus virtutum fama ſingularis adeò per te inclareſcet, ut nihil addi commendationis, & lucis ultrò poſſe credatur. Quamobrem ità me, meoſque magis ac magis novis titulis adſtrictos video, ut ſuaviſſimam Parthenii noſtri memoriam nulla temporum ætas à noſtro animo ſit deletura. Vale, iterum Vale Muſarum, noſtrique Amor, & Deliciæ.

Recitatis literis; ſtatim Cotta: O ſingulares, inquit, eximii amoris notas! Quis amicior Amico, quàm Pharthenio Rambaldus Comes? Scilicet, hîc Lævinus, rem putas novam dixiſſe? Id quidam jamdiù vel lippis, & tonſoribus notum. Quod aveo maximè illud eſt, miſſam, nimirum Parentis inclyti illuſtrium factorum Epitomen, Parthenii ſtylo eleganter expolitam reſcire. Cui tùm Ego: Et hæc ad manus eſt; quam tu Cotta, ſi lubet, en ipſam legito. Ille vero: imò, inquit, lubentiſſimo animo, unoque ſpiritu perlegam.

Vinciguerra V. Collalti Comes, aç tot retrò inſignium Heroum Nepos præclariſsimus. Vir, omnium judicio, tùm in adverſis, tùm in ſecundis rebus, ingenio, probitate, prudentiâ, conſilio, animi firmitate cùm primis illuſtris. Eximiis virtutibus, quàm

quàm Dynaſtiis clarior. Magnum ubique Fama ſjactavit; major factis inventus eſt: jure igitur, ac meritò à Joſepho I. Romanorum Imperatore Viennæ, à Ludovico XIV. (1) Galliarum Rege, Pariſiis ampliſſimo Encomio decoratus. Proh! quanta illi inerat mentis celſitudo! Qualis Indoles ad grandia quæque expedita, magnorum operum Artifex! Mira hæc in optimo Principe; illud tamen mirabilius, quòd acceptam à Majoribus gloriam non cuſtodivit modò, ſed ampliorem fecerit de ſuo: Quod ad ſeveriſſimas Pietatis leges ita Adoleſcentiam examuſſim exegit, ut nihil in eâ, ætate maturior, excuſandum habuerit. Quòd aviti Nominis ditiſſimus hæres Summo Regii Generis faſtigio incubuit, ſine faſtu; nihilque præclarius duxit, quàm ſuaviſſimâ morum elegantiâ ab omnibus amari, idque mereri potiſſimùm, ut amaretur. In re familiari adminiſtrandâ ſolertiſſimus: in publica Re promovendâ Togæ, ac Pacis otia potius, quàm Arma, in quæ propenſus licet, at ſui tamen victor, ſectatus, communi omnium felicitati ſemper addictus. Lenioribus hiſce ſtudiis maximoque opum, & gloriæ incremento Familiam auxit, exercuit imperia; ſuorumque temporum invidiam non deterſit minùs, quàm vicit. Tanto Viro par Fæmina, nempè Eleonora, clariſſimi Generis Comitum de Turre, & Taxis, auguſto ſtellatæ Crucis ordine inſignita, addicentibus Avibus, nupſit. Hoc Cotta loco: O qualem, inquit, Parthenie, Heroem, omnibus virtutum numeris divitem, Attico ſermone depinxiſti! Et Lævinus: Utinam licuiſſet, ætatis noſtræ Sapientiſſimum Virum non contemplari modò, ſed propiùs etiam intueri, atque affari! Quibus Ego: neque adhùc omnia præclarè facta Vinciguerræ audiſtis. Ita ne vero? tùm ſtatim Cotta; quid ſiet reliqui? Quid? tùm Ego: Filium procreavit, Antonium Rambaldum I. Paternæ Virtutis, ac laudis hæredem, priſci candoris, & humanitatis exemplum, maximum denique Collaltinæ Gentis Decus, atque Incrementum: in quo exornando, Virtutum omnium Chorus ſummo ſtudio certaſſe videtur; At Summi certaminis is fuit exitus auſpicatiſſimus, ut omnes vincerent, nulla vinceretur. Hîc ſtatim Cotta: Ampliſſimum, inquit, bellèque paucis tornatum Encomion! at pace tuâ dictum volo, Parthenie, Mecænas optimus, tuique amantiſſimus, paulò ſe longiùs poſtulat commendari. Cui tùm Ego: facerem lubentiſsimè, ni à Fannio, Rambaldi familiariſsimo, pleniori manu abſolutum haberetis. Quòd ad me, non adeò ingratus ſim, ut linguæ

(1) Tiberius Tiſardius la Damaride del Veſcovo di Belley tradotta dal Franceſe in Nuncupatorià Hieronymus del Giudice, Fiori Epiralamici in Nuncupatorià liber editus Cęneтæ 1716.

guæ parcam, & ſtylo, quandocumque ſe dabit occaſio. Quoniam verò cùm temporis anguſtiæ, tùm audiendi perurget aviditas, eccum ipſum è forulis, Fannii manu conſcriptum. Tu interim Lævine, ſuaviori quàm ſoles voce, lector eſto: Nec dubito, quin ſtylus abundè parcus, & multò magis res ipſa ſtylo ſubjecta, maximum apud vos, & leporem, & gratiam ſint habitura; cùm apud Rambaldum ingenio præſtantiſſimum, habuerint omnem. Age jam: recita. Et ille: preſto ſum, aures date.

Antonius Rambaldus I.
Collalti Comes,
Ampliſſimarum Ditionum Dominus;
Vinciguerræ V. ornatiſſimi Viri Filius;
Paternæ Imago Probitatis, & Gloriæ.
Apud Joſephum I.Rom.Imp.meritiſſimus Aulæ Cubicularius:
Apud Carolum VI. Aureæ Clavis Eques:
Apud Omnes Collaltinę Regię Stirpis Reparator,& Colume.
Ipſe Familiam ſuam,
Ex Italiâ in Germaniam denuò translatam
Feliciſſimè conſtabilivit.
Comitatum Collaltinum
Temporum injuriâ everſum;
Æmulorum invidiâ oppugnatum;
Hoſtium conſpiratione direptum;
Fortitudine, Conſilio, Induſtriâ,
Recuperavit, Refecit, Amplificavit.
Præclaras Avitorum Heroum Icones
Ut Poſteritati redderet præclariores,
Magnificè diſpoſuit,
Magnificentiùs ornavit.
Quorum Exempla
Ita demiratur ſingula, ut imitetur omnia:
Ita imitatur,
Ut, qui unus inſtar omnium habetur,
Omnium laudes exhauriat.
In politioribus Diſciplinis
Nemo plùs ingenio ſuo imperavit:
Nemo plus indulſit.
Literis clariſſimus,
Literarum Amplificator egregius;
Literatorum Aſſertor idem, & Auſpex;
Ne tamen
Poëtarum noſtro Ævo facilè Principi
Suus deeſſet Mecænas;

Nico-

Nicolao Parthenio Giannettaſio,
Libentibus animis,
Patronum ſe præbuit, & Præſidium:
Suoque erga ipſum Amori
Illud voluit auctarium;
Ut, quem adhuc viventem
Inter chariſſimos habet chariorem,
Vel poſt Fata velit Immortalem.
Cujus opera,
Communi jam plauſu excepta,
Literariæ Reipublicæ univerſæ ratus conſulere,
Typis iterum excudenda, ſuo ære jubet.
Quo uno nomine affluentiſſima Rambaldi gloria
Ni foret jam incrementi neſcia
Creſceret cumulatiſſimè,
Ipſoque perennius Ære
Sibi monumentum pararet:

Ut recitavit; ſtatim uterque gratulari mihi de Sapientiſſimo, meique amantiſſimo Mecænate. Et Ego: Gratiæ Fannio, quòd conciſo ſtylo, & candidulo tàm bellè rem concinnarit, vobis agendæ ſunt, ut non modò actæ, ſed & relatæ à Rambaldo ipſo. Hic Lævinus, more ſuo curioſus, quodnam, inquit, præmium, tanto dignum Principe, Fannio repenſum? Cui tum Ego: quod expectari ab Excellentiſſimo Viro maximum poteſt: Placuiſſe. Ita enim verò: tùm Cotta; Hoc quippè præmii genere literato Viro, & ingenuo nihil ſuavius. Intereà, cum hæc diceremus de Fannio, Ecce tibi idem ipſe, Ciſiis advolans, Fabiolum inclamat de viâ. Nos ad Amici vocem ſurgentes illicò, feſtinantèr obviam proceſſimus; datâque mutuò, acceptâque ſalute: quid iſtuc moræ, inquam, Fanni? Ultrà expectari te voles? Et ille: Cui, inquit, vertendum culpæ, te Judicem opto. Titus Benanius, diligentiſſimus Rei domeſticæ Curator, Puteolos, negotii causâ, divertere coactus, me invitum plus juſto detinuit. Propterea dedit in mandatis: ſalutandum te meis verbis primùm: deindè ut eodem, quo hùc ſum vectus Ciſio, Cotta, & Lævinus, quibus frugalis adornatur jam Cæna, illùc iter feſtinent. Benè eſt, tum Ego. Quinimò vehementer gaudeo, & quòd te mihi purgatum habeam, & quòd apud Titum Lævinus, & Cotta opſonabunt opiparè, non enim frugales dixerim Cænas, quæ communi ære apparantur, ſed lautas, opimas, quin etiam pollucibiles. Ad hæc Lævinus, quod ad me, inquit, Parthenie, quaſcumque vel regias Perſarum dapes

cum cœnulâ tuâ commutarem lubentiſſimè; in qua tecum omnes accumbunt Muſæ. Annuit hîc Cotta; ſtatimque ſubjecit: Pluſquam baſilicum igitur apud te prandium adornatum fuerit craſtinà, cùm, quod pollicitus, Collaltinas Heroides, ſermone illo tuo, qualibet ambroſiâ ſuaviore, luculenter expedies. Quibus Ego: lubens hunc vobis morem geram; eoque lubentiùs, quòd in Collaltinis Faſtis verſatus non parùm Fannius, multùm minuet oneris, ac laboris. Ubi autem ab omnibus aſſenſum eſt, hoſpites jucundiſſimi Ciſio invecti abiere.

CAPUT VII.

Nonnullæ Collaltinarum Heroidum coram Amicis obiter recenſentur.

SUrgebat ſolito nitidior dies, cùm ad me Fannius (erat enim in eâdem contignatione à Muſæo proximus.) Quid ni, inquit, Parthenie, tàm tenui, puroque Cœlo amicis adventantibus occurramus? Cui Ego: Occurramus, non oppedo, quamquàm grave eſt, faventibus hoc mane Muſis, nuntium remittere; at hunc tibi morem ut geram, lubens remitto. Pileum, & baculum ad manus habeo: mane tamen pauxillùm, dum veſicam exonerem: jam jam præſtò ero. Ad hæc ille: Aſparagi, quos heri ad cœnam conditos perbenè comediſti, urinam cient; ſolent enim & id incommodi dormiturienti mihi afferre, ut plus juſto etiam alvum emolliant. Quid, tùm Ego, quid ais incommodi? Illud ſanè accidit corpori perutile, & perquàm commodum: ſic nempè & ſtomacho ſatis firmo, & mente utor promptâ, atque alacri; ſed iis ingurgitari, ac ſupra modum comeſſe, id quidem nocet. Intereà loci Ego ad Matellam, Fannius ad oſtium, imus. Vix expeditus amico opperienti me adjungebam; cum ecce tibi cantillantem de viâ Fabiolum audivimus Puteolis cum ſportulâ redeuntem: Is, ut me vidit, continuò occurrens, apertoque capite admonuit, binos è noſtrâ Familiâ homines ciſiis advolantes ex Aniano hùc iter tenere. Hîc Fannius; Advertiſti ne, an rufus eſſet Equus curulis? Ita, tùm ille; quin ex oblongo naſo Cottam, conjeci: ex patulo ore Lævinum. Næ tu ſemper argutulus, tùm Ego; perge ſis in culinam Maſtigia, & penſum tuum benè accurato. Hinc ad Fannium converſus: Ad ſepem uſque ſtructilem, quæ, ut noſti, eſt in proximo Collis declivio, ob-

obviam eamus: ibique ad amæniſſimum maris proſpectum, odoras inter violas, conſidentes, præſtolemur Amicos, placet conſilium? optumum, inquit ille, & geniale: Convenimus itaque in locum, quo quid ſuavius Natura finxerit uſquam, haud equidem novi. Pauxillùm hìc temporis commorati, appropinquantes Amicos, atque alia omnia cogitantes, oppreſſimus. Poſtquam verò perhumaniter ultro, citroque datæ ſalutationes; ut, inquit Cotta, opportunum hìc, Parthenie, pauliſper gradum ſuſpendere, & placidiſſimâ confabulatione, ſi placet, etiam promiſsâ heri narratione, horam unam, aut alteram tranſigere. Pergratum ſanè continget omnibus, ut & pro cæteris ſpondeam, dulci morâ Collaltinarum Heroidum ſyllabum recenſere. Hìc Ego; quoniam ſic lubet, do manus.

Ubi autem ſeſſum eſt: Nullum, inquam, hìc mihi in narrando ordinem ſuppetere memoria poteſt; tot quippè ſunt è Collaltinâ Familiâ Heroides, quot in eâ præclariſſimæ ſemper Fæminæ; aliquot tamen è præſtantiſſimis ſeligam præſtantiores. Et primò Rolandam, (1) Vangerii Terviſii Comitis Uxorem, quæ Sacro Divi Zachariæ Venetiarum Aſceterio ingentes facultates munificentiſſimè contulit. Quid de (2) Metilde, Raymbaldi III. Filiâ, & Hugonis Comitis Uxore præclariſſimâ, quæ propè à Lepidi Regio Cœnobium, cui pridem à Divo Proſpero, in præſenti à Divo Petro nomen eſt, profusâ largitate locupletavit: Hoc loco Cotta: Nimirum Chriſtianæ Pietatis cultum cum ſummâ munificentiâ conjungere; fuit huic Genti ſolenne ſemper, & proprium, & ſingulare. Ità enim verò, tum Ego; Et quis eat inficias? Dicam tamen majora; atque audite: (3) Sophia Collis Fuſci, Gemmellarum, aliarumque ditionum Domina, Gualfredi Terviſii Comitis Filia, & Guecelli de Camino Reguli lectiſſima Conjux; cujus apud Hiſtoricas perhonorifica mentio, omnium coronâ virtutum ſplendidè inſignis, plurima, & maxima omnium monumenta Poſteritati reliquit. Nihil vulgare, breve nihil molita, quod ſibi adjungeret gloriæ, in Terris ultrà non habuit. At inter cæteras ea renidet coronæ gemma præſtantiùs, quam voluit pretio ſingularem, quòd ſanguine ſignatam ſuo, Pietatis, ac Religionis Munificentiam. Cum enim ſolvendi voti causâ Compoſtellam verſus profecta, Navarræ in Regno adversâ valetudine afflictaretur, ut expeditiùs evolaret ad Superos, divitiarum ſoluta vinculis (4) Teſtamentum condidit, quo Antiſtiti Cenetenſi, ejuſque Succeſſoribus, Serravallum oppidum, & Bellunenſi Epiſco-

[1] Dominicus Bozzonus, il ſilentio di S. Zaccaria Inodato, pag 59.

[2] Cornelius Margarinus, Bullariũ Caſinenſe, tom. 2. conſtit. 110. pag. 112.

(3) Sertorius Urſatus ſtoria di Padova, lib. 4 par. 1 pag 319. Jo: Bonifacius ſtoria Trivigiana libr. 3. pag. 133. e 151

(4) Idem Author in opere cit. lib. 4. pag. 164 Georgius Pilonus ſtoria di Belluno, lib. 3 pag. 89.

ſcopo Gemmellarum Caſtrum ſolenniter legavit. Cùm hæc dicerem: da veniam, inquit Cotta, ſi te interpellem Parthenie; dum iſthæc narras, obverſantur ob oculos Matronæ quædam ex Romanis clariſſimæ, quæ ut votum Apollini ſolveretur, cum publicum ærarium ſolvendo non eſſet, aurum, omnemque muliebrem ornatum, Religionis causâ, celerrimè contulere; atque hæc, ſi benè memini, verba ſunt Livii. *Cujus* (1) *auri cùm Copia non eſſet, Matronæ cœtibus ad eam rem conſultandam habitis, & communi decreto pollicitæ Tribunis militum aurum, & omnia ornamenta ſua in Ærarium detulerunt. Grata ea res, ut quæ maximè Senatui unquam fuit; honoremque ob eam munificentiam ferunt Matronis habitum, ut Pilenta ad ſacra, ludoſque, Carpentis feſto, profeſtoque uterentur*. Cui Ego: Eruditè tu quidem, & ad rem, Cotta: Neque infirmâ adeò, ut tute quereris, memoriâ inſtructus, qui lactea Scriptoris verba omninò recitaſti. Nempè, ſtatim Lævinus; Id mirum oppidò quod memoriter repetat, quæ recenti lectione hauſit de Livio: hunc enim benè manè ad Titi Curatoris faſtidium, erectâ voce, in proximo cubiculo lectitabat. Cui tum Ego: næ tu invidioſâ ductus Cottæ laudibus detrahis? Utcumque ſiet, ſolertiæ iſtuc certè tribuendum. Sed hactenus de iis, ut ad propoſitum redeamus, quæ fortunis ſuis, & ampliſſimis opibus Templa, & Pietatem locupletarunt: Jàm nunc dicendum de aliis, quæ Animum nobilioribus virtutum ornamentis ſplendidiùs cumulaverunt.

(1) Livius.

(2) Et jure quidem optimo, principem locum ſibi vendicat Heroina Cœleſtis, Juliana Rambaldi VI. Comitis de Collalto nobilis filia, quæ ad Sanctimoniæ culmen evecta, Generis ſplendorem meliori lumine ampliſſimè auxit. Ab ipſa primâ infantiâ divinis rebus addicta, Salarolam in Divi Benedicti Cœnobium convolavit; ibique omnigenæ virtutis tyrocinium poſuit. Mox, ut ab armorum ſtrepitu longiùs recederet, divinarumque rerum contemplationi vacaret tranquilliùs, in aliud ad Gemmulæ collem ſeceſſit, ubi multa, eaque maxima probitatis, atque integerrimmæ Vitæ dedit exempla. Admonita demùm, ut perhibetur, à Divo Blaſio, confeſtim Venetias appulit, ac deſtitutam, penèque dirutam Divi (3) Cataldi Baſilicam inſtauravit, auxit, exornavit; ſacrumque Aſceterium à fundamentis erectum Divis Blaſio, & Cataldo, omnium officiorum obſervantiſſima dicavit. Tantus indè brevi tempore ſanctitatis fulgor per Julianæ Virginis famam longè, latèque diffu-

(2) Virginius Fortunius Cenetenſis, Genealogia Collaltiana.

(3) Jacobus Philippus Tomaſinus, Vita della B. Beatrice capit. 13. pag. 31. Angelus Portinarius Felicità di Padova lib. 9. capit. 4. pag. 480.

diffuſus, ut confeſtim undique nobiliſsimæ Puellæ, tanquam ad tutiſſimum Innocentiæ domicilium, atque perfugium convolaverint. Hìc, vel invitam, unâ omnes voce, ſibi Antiſtitam (1) voluere, ad cujus religioſiſſimæ vitæ normam ſuam ipſæ vitam exigerent: atque ad Summum Sanctitatis faſtigium proveherentur alacriùs. Tandem Kal. Sept. anno à Reparata Salute MCCLXII. maximis in Deum meritis affatim dives, emigravit ad Superos. Poſt obitum crebris, magniſque miraculis clara, præſertim (2) erga Cephalalgiâ laborantes præſenti auxilio clariſſima. Virgineum Corpus, nocturni ſplendoris (3) indicio, integrum, intactumque repertum, tot poſt ſæculis, Incorruptum (4) adhùc perſeverat, idemque Sacrâ in Urnâ ſuper Altare, Julianæ Nomini dicatum Chriſti fidelium veneratione religioſiſſimè colitur. Hoc loco Fannius: benè eſt, inquit Parthenie, illud ex te audire gaudeo, quod jamdiù me legiſſe memineram: at, fateor ingenuè, aliqua ex iis, quæ modò accepi, nova prorsùs mihi acciderunt: Quæ iſthæc? tum Ego. Et ille: unum eſt, ait, ut cætera omittam, inauditum hactenus mihi, præſentiſſimum nempè erga Cephalalgicos perfugium, ac ſalutis præſidium. Cui Ego: haud equidem miror, ſi curioſus unquam in (5) Anonymum, primum vitæ Scriptorem, offendiſti: Is quippè ampliſſima Heroidis geſta cæſuratim adeò perſtrinxit, ut non pauca, ſcitu digna, prætermiſerit. Et ille: divinaſti, inquit Parthenio; in hunc ipſum ipſiſſimum incidi: nec paſſus è manibus labi, quin continenti ſpiritu, totum exhauſiſſem. Quid mirum, tùm Ego: ſi nova tibi obvenerint, quæ Scriptores deindè numero ferè ſexaginta Typis conſignarunt, quibus ſubindè in unum collectis, Henricus Abbas hiſtoricam (6) Julianæ Narrationem, graviori ſtylo latiùs concinnavit? Læti ad has voces Lævinus, & Cotta: Divam hanc, inquiunt, oramus, rogamuſque ut te ſuos inter clientes apprimè charos optet; tuumque chariſſimum Muſis caput, quod ſæpè dolet acerbiſſimè, in literariæ Reipublicæ bonum ſervet incolume. Quibus tùm Ego: Pro ſummâ hac, erga me, benevolentiâ ampliſſimis verbis promeritas gratias agerem, niſi plus juſto ab inſtituto deflecterem. Quamobrem ad me redeo; atque hunc ſibi poſtulat locum Blanca, inter Collaltinas Heroides non ultima; de qua illud in primis ingens numeroſæ laudis argumentum eſto, quod communi omnium conſenſu receptum eſt, nullum ſcilicet ipſius meritis reſpondere poſſe pro dignitate præconium.

[1] Franciſcus Sanſovinus lib. 6. pa. 251.

[2] Jacobus Salomonius Agri Patavini. Inſcriptiones, pag. 177. Bartholomæus Burchejatus cōmentarii memorabilium Hiſtoriæ Tarviſinę lib. 4. pag. 590.

(3) Antonius Arcoleus, Riſtretto della Vita della B. Giuliana Conteſſa di Collalto, pag. 21. e 22.

[4] Benardinus Scardeonius de Antiquitate Urbis Patavii, part. 6. lib. 2. pag. 119. Nicolaus Doglionus le coſe notabili di Venetia lib. 2. pag. 366.

(5) Anonym. Capellanus Monialium S. Blaſii, & Cataldi, Vita, Morte, e Miracoli della B. V. Giuliana.

(6) Henricus Abbas Ragguaglio ſtorico della Vita della B. Giuliana colle oſſervazioni, &c.

Et

Et ſanè, non modò ſi numerum, verum etiam ſi virtutum pondus exquiras, in ſingulis plurimùm habes, quod demireris. (1) Pudor, modeſtia, animi magnitudo, Prudentia, Liberalitas, & quod caput eſt, Virtutes cæteræ, quæ Sanctiſſimam Fæminam decent potiſſimùm in hac una (2) omnes ad miraculum emicabant. Neque ea tantùm virtutum complexio, quæ induſtriâ, ſummoque ſtudio comparantur, ſed etiam, quæ Parentis Naturæ dotes ſunt, atque ampliſſima dona, in eâ ſedem poſuiſſe videbantur. Eximius corporis decor, & gratia cum quadam majeſtate ſine faſtu; cum quadam ſuavitate ſine abjectione compoſita. Singularis ingenii vis, & acumen nihil invenit abſtruſum adeò, ac perdifficile, quò, & celeriter, & de facili non pervaſerit. Quæ dotes duæ inter ſe adeò de excellentiæ laude certarunt, ut illud in dubio poſitum; majori ne corporis venuſtate, atque elegantiâ, an excelſæ mentis dexteritate, & perſpicaciâ omnibus antecelleret. Quod porrò in Blancâ, me judice, mirandum magis, id ſanè eſt, ut in Domo tàm opulentâ, ætate quàm florentiſſimâ, ſexu per ſeſe ad blandimenta extra modum propenſo, omne illecebrarum genus, non ſecus ac Innocentiæ peſtem, (3) peroſa, ita inceſſum, actiones, vitamque univerſam ex ſolâ honeſtatis Regulâ compoſuerit, ut nihil egerit, nihil cogitarit omninò, quod ſemper non eſſet ſummâ cum laude conjunctum. (4) Hoc Fannius loco: Beaſti nos, Parthenie, quòd abſolutiſſimam vitæ integerrimæ Synopſim confeciſti tàm bellè. Atque utinam, hîc exclamavit, Lævinus: noſtris hiſce temporibus, per quæ luxus, impudentia, faſtus, atque improba voluptatum lenocinia ingenuas domos, & Familias fœdè deturpant; hinc omnis probitatis ſumerentur exempla. Quàm multa, & nobiliſſimæ Virgines, & Matronæ ex hac unâ, quæ addiſcerent, ob oculos, abundè ſatis haberent? Cui ego: ſapienter tu quidem Lævine: verùm quid facies? Nec ubique, nec ſemper redivivus Phœnix. At quamquam illa ſuo deliteſcat in cinere, Poſterorum tamen memoriam fragrantiſſimo virtutum odore perfundit; & ſilens licet, inciſis hiſce in ſepulcrali lapide notis, inſignis adhùc morum magiſtra, loqui videtur. (5)

Nobilitas, & Forma, Pudor genuere Colaltam
Re, Famâ, exemplo, Nomine Blanca fui.

Sed pergamus porrò: & quoniam ire per ſingula infinitum eſſet, (ne oblatrantem Lævini ſtomachum ultrà irritemus) compendio utamur. Et primò, Anna Maria,

Co-

(1) Bartholomæus Burchelatus Epitaphiorum Dialogi ſeptem, ſermon. 1. pag. 30.

(2) Joſeph Betuſſius de Fæminis illuſtribus Edit. Veneta cap. 35. pag. 206.

(3) Idem Auctor in cit. opere.

(4) Idem Auctor, in cit. opere, ubi Blancæ vita perlegitur.

(5) Burchelatus loco citato.

(1), Comitis Marci Caroli II. de Collalto Filia, luce ſe prodit ſuâ. Hæc præter egregias corporis, fortunarumque dotes, meliores in thalamum invexit virtutum opes. Quamobrem ſpectatiſſimam ſupra fidem, & famam, Rolando II. Comiti parem Fæminam, tantoque viro digniſſimam ſe præbuit uxorem. Marito demortuo, omnes cum eâ exſtinctæ humanarum rerum, & fluxæ gloriæ cupiditates penè ſimul ſunt viſæ; utque arctiùs Deo ſe manciparet, divitias in Dei cultum munificentiæ largitate protinùs effudit. Nec ſine ingenti Pietate munificentia enituit, quam domeſticis exemplis fecerat ampliorem. Nam ubi ampliſſimum (2) Coneglani, pro Puellarum cuſtodia Cœnobium, ſub Divæ Thereſiæ legibus excitavit; mox, in Divi Hieronymi (3) Aſceterium Baſſani ipſa advolavit; ubi reliquum integerrimæ vitæ maximâ cum religione traduxit. Jamverò Matronæ tàm peregregiæ, par Pietatis, & Munificentiæ laude ſeſe offert Richelda, ter inclyta; Antonii IV. de Collalto Comitis Filia (4). Hæc enim Mantuæ, ab ineunte ætate, Divi Benedicti Familiæ adſcripta, Deo ità vacavit, ut ſuorum, ſuique oblita agitaret nihil in animo, niſi cæleſtia; perindè quaſi, exul à terris, beatam inter ſuperos viveret vitam. Eo etiam nomine commendata, quòd ſacrum, ut ajunt, *Capucinarum* Aſceterium à fundamentis magnificè erexit. Verùm in ſimillimâ vitæ ratione illud diſſimile, quòd Richelda, perpetuæ tenax virginitatis, nulli, niſi uni Virginum Regi, ſe ſponſam voluit. Quid poſteà admirer primùm in Ignatiâ, Franciſci I. Comitis de Collalto præſtantiſſimâ Filia? ſingularem ne animi integritatem, (5) an effuſam in jacentes pauperes largitatem? Quæ dotes duæ inter cæteras adeò eminebant, ut quamquam extet de ipſius ſanctimoniâ Octavii Berſellii volumen, poſterorum memoriæ conſignatum, (6) utraque tamen ſibi primas vindicare meritò videretur. Mitto hîc ſpectatiſſimæ famæ Hippolyten Alberto I. Goritiæ Comiti nuptam, ex quo feliciſſimo Thalamo numeroſam Auſtriacorum ſobolem, per contracta matrimonia deductam, Bracellus (7) Auctor oſtendit. Mitto (8) Metildem, Antonii IV. Filiam Alberto Scoto, Fumbii Comiti, generoſiſſimo Viro deſponſatam; de cujus laudibus, etſi multa, eaque præclara vulgavit Fama, plura tamen, & majora reticuit. Mitto demùm, & hujus Sororem Victoriam Jacobo de Malvitiis, clariſſimo Equiti nuptam, & (9) Victoriam alteram Horatii II. Comitis Filiam; quam Comes Philippus de Latrone, Vir illuſtri famâ notiſſimus, duxit Uxorem; & (10) Dorotheam, ex

hoc

(1) Jacobus Zabarella Merovea, part. 1. lib. 3. pag. 102.

(2) Hortenſius de Burgo, la clauſura delle Monache di Santa Tereſa in Conegliane, pag. 15.

(3) Henricus Abbas Hiſtoria Collalt.

[4] Idem Author opere citato.

(5) Lelius Mancinus Politianus, Relationi di S. Antonio di Padova, pag. 179.

(6) Spenerus, Theatium Nobilitatis Europæ, part. 3, pag. 18.

[7] Jacobus Bracellus, Genealogia Comitum Goritiæ.

[8] Joannes Turrius la Barriera fatta nel Caſtello di San Salvatore liber editus Terviſii anno 1599. ubi recenſentur nuptiarum ſolennia vel Trojanis ludis magnificentiſſimè celebrata.

(9) Zabarella Merov. part. 1. pag. 76.

(10) Idem Author in cit. opere.

hoc conjugio natam, quæ Matthiæ Galaſſo Comiti, ſupremoque Auſtriaci Exercitus Duci feliciſſimè nupſit. Hæc, aliaque in Collaltinis Faſtis inſcripta decenter Nomina, per ſeſe pulchriùs nitent perenni luce, quàm ut oratione licèt ampliſſimâ valeam illuſtrare. At unam Mecænatis mei Amitam præſtantiſſimam ſilentio præterire non patiar. Hoc Fannius loco: habeo te, inquit, Parthenie; teneoque Heroidis præclarum Nomen. Ipſum eſt, Juliana, Petri Rolandi II. Filia. Cui tum ſtatim ego: dixti, id, quod res eſt. Perge igitur, ejusdemque mira geſta candidè, ut ſoles, ediſſere. Et ille: An Graculus cum fidibus? Apage ſis, inquit: Ego, ut par eſt, audiam attentè; Tu ſtylo hocce tuo lacteo coronidem narrationi imponito. Cui ego: modeſtè tu quidem Fanni; at quantum ingenio valeas, quàm politulus tibi, ac limatus ſit ſermo, probè calleo. Ad hæc, dum ſpartam Fannius detrectat, Lævinus illicò, & Cotta, unâ me voce opprimentes, ſi quid, ajunt, tuus in Mecænatem optimum valet amor, qui certè plurimùm valet; ejus te nomine etiam, atque etiam rogamus, ut quam bellè hactenus texuiſti telam, conficias. Quibus ego: dulciore capi hamo non poteram: do manus, audite.

Quam à Majoribus hauſit Generis nobilitatem (1) Juliana, Heroum Soboles, Virtute fecit nobiliorem. Septennis adhùc in religioſo Virginum Aſceterio Cenetæ Urbis, vix compos animi, vix potens ſui, & Animum, & totam ſeſe Divino Amori dicavit. Hîc, inter exercitamenta Pietatis, menti cælitus illapſum Numen Virginem adeò flammâ corripuit, lumine circùmfudit; ut non alium optaret ſibi Parentem, ac vitæ Ducem, niſi unum puriſſimi Amoris Prodigium, Antiſtitem Auguſtinum; cujus Familiæ cor daret, & nomen. At unus obex, effuſus Parentum amor in filiam. Quid interim conſilii? Puella primùm aſſiduis cœlum votis implere: illacrymari: ſuperos urgere. Tùm ſociæ virgines fletu, ac precibus fovere ſpem, atque erigere. Tandem ex inopinato, confluentibus, arcano quodam conſilio, ad tàm pia vota, ipſorum etiam Parentum placitis, quos anteà agebat adeò tranſverſos innatus amor, in religioſum cætum adſcribi. Mirum oppidò quantâ celeritate, quantâ lætitiâ optatiſſimum Innocentiæ Aſylum nacta, virtutum omnium ſtudio adjecit animum! Morum gravitas ætatem longè antevertit: vultum illi divina quædam afflabat Charis: nunquam non mitis, nunquam non ſuavis omnium ad ſe oculos, amoresque rapiebat. At quò tandem eminentiæ putem, adul-

(1) Henricus Abbas in Hiſtoria, & Elogiis.

tâ

tâ ætate ; adoleviſſe virtutem ? Teſtes locupletiſſimi Ce-neteñſes , quorum unanimis erat de ipſius eximiâ ſanĉti-tate conſenſus . Teſtes egeni , ac mendici ; quorum una erat vox omnium , Juliana pauperum Mater . Teſtes de-nique Virgines ipſæ contubernales , quarum etiam in id vota incumbebant , ut quam ſibi omnes prudentiâ , dexte-ritate , conſilio , ſingularique in Deum pietate , noverant præſtitiſſe , quàmcitiſſimè authoritate Antiſtitam quoque renunciarent : neque hoc ſemel , ſed iterum , atque iterum, omnium ſuffragio , obire munus debuit , quamquàm invi-ta . In eâ authoritatis amplitudine , nemo plus imperium cum ſuavitate temperavit ; nemo plus exemplo ſuo reli-gioſæ diſciplinæ cultum promovit . Rem domeſticam auxit, implicata negocia expedivit : Sacras Ædes , & Templum inſtauravit magnificè , aliaque quàmmulta matura Cœlo heroicæ , univerſæque virtutis monumenta Terris reli-quit .

Vix hæc , cùm ad me Fannius : O' planè miram Vir-ginis Heroinæ commendationem concinno hoc , & ſuaviſ-ſimo ſermone tuo illuſtratam , Parthenie ! Quid me urge-bas , ut dicerem ? Egon' , ut coram Roſcio manus move-rem ? Quis te preſente magiſtro , amens adeò , ut mutiat ? Cui tùm ego : næ tu mihi caput demulceas Fanni . Non is ſum ego , ut placeam mihi de meo , ubi quantum quan-tum eſt laudis , totum id ſibi Materies vindicat . Hîc ſta-tim Lævinus : Modeſtiſſimè , ut ſoles , Parthenie : At mo-deſtiam iſtam tuam nunc amem potiſſimùm , quòd in Me-cænatis tui , ejuſque commendatiſſimæ Familiæ laudem re-cidat ſummam , ut cæcus ſit , qui non videat . Equidem poſthàc , Pirnitzienſi Aulæ haud invideam : in eâ enim , utut affabrè depiĉtæ , mortuæ tamen Heroum Icones ocu-lis exhibentur ; hîc verò Heroes ipſos , vivis eloquentiæ coloribus , voce ipſe tuâ , pingis in animis . Quid ſi dein-ceps etiam in chartis ? Hanc abs te Poſteritas , hanc Pu-teolanæ Hyemes , hanc denique Mecænas tuus , æternùm viĉturam , enixè ſibi poſtulant operam . Atque hanc , me reſpeĉtans , ſubjecit Cotta , omnium nomine , tibi de erudito labore gratiam habeo : itàque fiet , ut non una tantùm Europa , ſed orbis univerſus Collaltinam Domum noverit aliquando fæcundiſſimam Heroum Parentem . Cui tum ego : Antevertiſti me , Cotta : Iſthùc jam ibam ; ut multa uno fine concluderem . Eò nimirum Collaltinæ Gentis gloriam , planè ſingularem evectam , ut ex eâ exiſtat nemo , niſi Heros , & multis quidem nominibus Heros ; quod videtur anſam dediſſe non imi ſubſelii Vi-

ro (1), ut luculentiſſimo Anagrammate eandem, quam modò expoſuit uterque noſtrum hac in re ſententiam, declararet. Ecce tibi Programma *Collalta Domus*: audi nunc numericum Anagramma puriſſimum, *Heroum Mater*. Quo vix audito, unanimi omnes plauſu eò lubentiùs aſſenſere, quòd rem ipſam tangeret acu. Intereà loci adeſt Fabiolus, monetque veniſſe Neapoli Collegii noſtri moderatorem, & de Parthenio Vate rogaſſe, ubinam locorum detinerent Muſæ? Velle ſe, ſubjecit, ut aliquod ſibi eruditi laboris penſum reddatur, quo frui optat magis, quàm adornato jam prandio. Ad hæc illicò: maturemus, inquam, ut meritiſſimo Hoſpiti morem geramus; nullàque interpoſitâ morâ, domum rectâ perreximus.

(1) Tomas Epis, Opus variorum carminum generibus refectum.

HYEMUM
PUTEOLANARUM
LIBER III.
CAPUT I.

Dum in Editiore Aniani Colle ad Bajani ſinus proſpectum conſiditur, multa de illo, non nulla de Caligulæ Ponte perquiſita.

VIII. Kal. Jan. in Aniano Rure, unà cùm Fannio, imprimis familiariſſimo, de more ruſticabar. Dum autem ſecundo à feſtivis die tres continentèr horas cum Muſis tranſegiſſem, me Fannius adit; ingreſſuſque Muſæum, eja age, inquit, ſatis ſuperque Muſis datum eſt; velim tandem, ne tenſus diù frangatur arcus, manum de tabulâ. Cui tum ego: peropportunè tu quidem mones; jam iſtuc meditabar; teque, poſtremis hiſce verſibus expolitis, accerſiturus eram. Et ille: ſi ità, inquit, ſurge igitur, & ut animus ſtudiis infixus relevetur, abeamus ambulatum. Præſtò ſum, tum ego: At quò nos, Fanni, pedes? Et ille: ni grave ſit, in eum cenſeo editiorem Collem, ex cujus apice omnem te Bajarum ſinum circumſpicere, & Puteolanam ſpectare Urbem, jucundiſſimè datur: Eò ſiquidem nitidiſſima hæc dies, & placidiſſimus hic aër non alliciunt modò, ſed etiam invitant. Cui ego:

utut longulum ſit iter, æquiſſimum tamen eſt, hunc tibi morem gerere, eamus. At mane tantiſper, ut binos, qui modò injuſſi proſiliunt, ne memoriâ excidant, verſiculos adnotem. Mox, ubi calceos induimus, accepto pileo, & baculo, per compendiariam incedentes, rectâ in ſylvam, Regiæ venationi ſervatam, evaſimus. Hîc perpauxillùm immorati, ut eodem tempore & oculus viſu, & auris avium cantu, & voluptate animus paſceretur, iter reſumpſimus, lentoque gradu ambulantes ad collis apicem direximus. Hùc ut perventum, ad Bajani ſinus proſpectum conſedimus; quem Fannius, poſtquàm avidiſſimis oculis luſtrare deſiit; me reſpectans, eja, inquit, Parthenie, dic amabo eâ ſynceritate, quam ego inter cæteras tuas dotes primam numero, ſit ne hoc, quo fruimur, aſpectu in toto orbe alius jucundior? Iſto enim, ni me fallo, neſcio quid pulchrius inveniri detur. Cui tùm ego: Dicam, ut jubes; eòque lubentiùs, quòd res ipſa oculis loquitur, ſibique fidem mirificè conciliat. Tres, ut nunc memini, extant oppidò miri, & quaquaverſus jucundiſſimi proſpectus. Alius ex Babylonicæ cujusdam Pyramidis vertice; undè Ægyptus omnis, totuſque Nili alveus, maximè id temporis, quo regius ille amnis inundat, circumſpectatur. Alius verò ex campis, qui ſuprà Thermopylas ſunt, quoſque magnifico nomine Thaumacos appellarunt Græci; undè Theſſalicæ amœnitatis gratia, uno veluti obtutu, colligitur. Alius denique, & longè jucundiſſimus, quem ipſe, cum Rhegii Julii Philoſophiam edocerem, ex noſtrâ villâ, contra Meſſanam ſitâ, admiratus ſum crebrò, diùque, at nunquam ſatis. Tenes, Fanni, in meis libellis mentionem de his aliàs incidiſſe? Et ille: teneo, inquit; imò & verba penè ipſa ex Veris Herculani lib. 1. cap. 9. recitarem, præſertim quæ fuſiùs, atque elegantiùs, cap. 3. de Mamertino portu, ac Theatro ſcripſiſti, ſi ſupervacaneum non eſſet. Benè eſt, tum ego; at ades dùm, atque audi: utut admirabiles, æquè, ac jucundi ſint modo memorati proſpectus; hunc tamen non meo, ſed aliorum judicio conſultiùs admirabiliorem multò, multòque jucundiorem definiam. Mitto Dionem, qui in Auguſti Cæſaris Vitâ, Bajarum Urbem, & ſinum Thermarum copiâ, Templorum magnificentiâ, Terræ ſolo calidis aquis irriguo, non ad luxum minùs, quàm ad morborum curationem idoneis, & naturæ, & artis miraculum jure deprædicat. Mitto breve illud, maximèque ponderoſum teſtimonium Volaterrani: *Apud Bajas amœnitas illa prædicata, & receſſus Romanorum.*

rum. Inſtar omnium ſit Blondus, magnæ fidei Auctor, qui ſinum hunc vivis, ut ſolet coloribus depingens, *Terram*, inquit, *omnium Italiæ pulcherrimam ambit, in qua Bajæ fuerunt, Civitas opulenta. Idque omne ſolum, & ſi quinis productum eſt millibus; latitudine tamen parum variata, duo alicubi, & minus alibi millia explet, ut digiti unius ſpeciem præſeferat. Quo in terrarum, ut ita dicam, Digito tàm multa cernuntur partim integra in ſubterraneis, partim ſuperiùs ſemiruta, partim in ruinas collapſa veterum operum monumenta, ut extrà Vrbis Romæ mœnia, nihil illi, toto orbe terrarum, Ædificiorum magnitudine, & pulchritudine par credam, exiſtimemque fuiſſe, ut non injuriâ dixerit Horatius.*

Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis.

Ad hæc ſtatim Fannius: Nihil, inquit, aut elegantiùs, aut ad rem accommodatiùs dici poſſe, reor: nec quempiam puto inſanum adeò, qui teſtimonio tàm luculento refragetur. Cui ego: Sapienter tu quidem Fanni: cætera quippè ſi fidem impetrant, iſtuc extorquet. Et ille: aſſentio, inquit: Tuam verò, Parthenie, tàm inſignem modeſtiam cum ſingulari eruditione conjunctam, nequeo, quin mirer. Quid enim alieno potiùs, judicio, quàm tuo rem conficere maluiſti? Cui tum ego: mirari jam deſine; id factum puta, ne Patriæ amore, quem cum lacte hauſimus, falli me de facili incuſares. Et ille ſcio, inquit, inditum à Naturâ ipsâ ſtudium in Patriam at ſcio etiam complures, quos non niſi externa delectant, maximèque tenentur (quod vix credas) nativi ſoli faſtidio. Atque hi, certè, tùm ſtatim ipſe, in ultimam eſſent barbariem jure amandandi. Non is enimverò ſim ego, ut ſuaviſſimis hiſce Pietatis, ac benevolentiæ ſtimulis urgeri me nullus ſentiam: hinc ideò exterum ſelegi Auctorem, cui nuda veritas placuit; quam nec livor, nec cæcus Amor valeat unquam obtegere, valeat adulterare. Non negaverim tamen, duo ſcitu digna, quæ quidem Baiis florentibus ad laudis cumulum faciebant, ſilentio Blondum involuiſſe. At quænam iſthæc? tum ille. Cui ego: amænam ſcilicet, ac ſinuoſam tot anfractibus oram, lectiſſimis diſtinctam hortis, frequentibus interpictam villis, tot demum apricis præcinctam collibus, undè tàm mira ſpectantibus creabatur voluptas, ut jure cecinerit Martialis.

Litus beatæ Veneris aureum Bajæ.
Bajas ſuperbæ blanda dona Naturæ,
Vt mille laudem, Flacce, verſibus Bajas,

Laudabo dignè non ſatis tamen Bajas.

Jam verò Bajanos inter luxus Villas potiſſimùm adnumerandas, qui inficias iverit, puto eſſe neminem. Et ille: nemo, inquit, ſiet, niſi fortè cæcutiat: maximè autem ſi multæ fuerint, ſi ſumptuoſæ, ſi Conſulares. Cui Ego: Quid ſi plures etiam Imperatoriæ, & ſpectabili loco poſitæ? Quid? tùm ille: Nihil oppidò ad voluptatem fingi poſſet accommodatius. At quæſo te, ut hinc liceat perſpicua ſaltem loca dignoſcere, ubi erant præcipuæ Cæſarum Villæ; nunquam enim ex Auctoribus aliquid hac ſuper re certi potui colligere; variant plerumque. Atque Ego: ita ſanè: Res eſt non parùm implicita; neque hinc valdè commodum diſcriminatim omnia commonſtrare: Oram phaſelo legere eſt opus, & luſtrare ſingula, atque ex iis, quæ extant adhùc, ruderibus plura deprehendere. Neque, ut benè multa ſcrutemur, dies ſufficiat. Hìc ille: Hanc, inquit, curam in longiuſculos dies reiiciamus; modò, ſi lubet, quod potes, editiore ex hoc loco nonnihil innue, ne opportuna fugiat, aliquid ex te addiſcendi occaſio. Cui Ego: Amico ut obſequar, anſam en teneo. Intende oculos: Eum, qui Baiis imminet, Montem jam vides, cujus in vertice Dictatoris Julii Cæſaris Villam fuiſſe magnificentiſſimè extructam, ſatis perſpectum omnibus eſt, quæ quidem non modò ſubjectam Urbem, ſed etiam, ut ſcribit (1) Tacitus, Subjectos Sinus editiſſima proſpectabat: eòque mihi certius, quòd inibi pervetuſta præ cæteris reperta Statua Julio Cæſari locum fuiſſe Sacrum deſignat: atque hoc indubitatum prorsùs penes me facit, ad ſimulacri baſim, uncialibus notis, Inſcriptio hæc: *Gen. C. Jul. Cæſ.* Nunc quæſo, deiice tantiſper oculum, atque aciem dextrorsùm perpauxillùm inflecte; Supinum ne collem, qui medius inter Avernum, & Trituli Thermas patet, ſecernis? Ita, tum ille, & quidem clariſſimè. Benè eſt, hìc Ego: In Collis parte elatiſſimâ, magni olim Pompeii Villa, urbani nitoris, atque elegantiæ plena, Cæſareis opibus æmula, conſurgebat. Neque hinc multùm diſſita (ut ab hiſtoricis monumentis licet colligere) C. Marium, auſteris moribus Virum, excipiebat Villa clementior. Hìc Fannius: laudo equidem, Parthenie, Romanorum induſtriam: omnes enim, ut vides, præſtantiſſimi Viri in ſummis jugis, & Collibus Villas ſuas, atque Ædes poſuere, ut ſalubriori fortaſſis Cœlo, atque apertiori aſpectu volupè fruerentur. Cui tùm Ego: non malè conjectas Fanni; at non eâ tantùm de causâ factum id puta; verùm, ut ſeverio-

(1) Lib. 14.

riores Viri Ambubajarum illecebras, Nautarum ſtrepitus, omneſque Bajanæ Urbis, ac litoris fœdiſſimas, in receſſu veluti ſanctiori, voluptates deſpicerent. Atque hinc opportunè in mentem venit celeberrimum illud Senecæ monitum: *aſpice, inquit, quam poſitionem elegerunt, quibus Ædificia excitaverunt locis, & qualia, Scias non Villas eſſe, ſed caſtra.* Epiſt.51. Hoc Fannius loco: Habeo, inquit, tibi, Parthenie, gratias immortales, quòd tantâ me eruditione ditaſti. Nec ultra miror, maximas operum moles in eâ, quam cernimus altitudine, imperatorio ſumptu, extructas: illud profectò mirandum magis, quòd antiquæ ſeveritatis Heroes inter delicias, contrà delicias ipſas, munitiſſimam veluti Arcem locaverint, ne luxu, & voluptatibus frangerentur. Atque hanc puto ſummam animi altioris induſtriam, illecebras omnes, quibus vires turpiter enervantur, quàmlongiſſimè arcere; ut ad rem Lib.3.Georg. aptè Mantuanus.

.... Non ulla magis vires induſtria firmat,
Quàm Venerem, & cæci ſtimulos avertere Amoris.

Cui Ego: Bellè tu quidem, Fanni, animadverſionem hanc tuam Poetarum Principis ſententiâ obſignaſti. Atque utinam aliæ, quas ad ſuperbiam Bajæ oſtentabant, imperatoriæ Villæ eâdem fuiſſent poſitæ induſtriâ; non eò planè, ſine ullo pudoris fræno, irrupiſſet libido, ut turpiſſimâ infamiæ notâ Bajanum ſinum coinquinaſſet. Et ille: laudabile quidem certè; ſed irritum nunc omninò votum. Quamobrem perge reliqua. Cui tum Ego: Clementiſſimam, ut cernis, oram frequentes paſſim ædes, Villæque cingebant. Domitiano Cæſari, non procul à Litore, inſtauratam cum Vivariis Villam ex Plinio eruimus; ubi inter cætera regifico luxu ad voluptatem parata, illud memoriâ oppidò dignum, quòd è Vivario, ipſius Domini voce, acciti Piſces, ſponte ad manum venirent, Hìc ſtatim Fannius: Si benè, inquit, memini Parthenie, Martialis extat Phaleucium, quod fortaſſis ad argumentum eſt. Imò, tùm Ego: ipſiſſimum hoc, quo de agimus: Si tenes, recita acuti hominis Epigramma: Et ille: Eccum ipſum. Lib.5.Ep.4.

Piſcator fuge ne nocens recedas;
Sacris piſcibus hæ natantur undæ,
Qui norunt dominum, manumque lambunt,
Illam, qua nihil eſt in orbe majus.
Quid? quod nomen habent; & ad magiſtri
Vocem quiſque ſui venit citatus.

Ab hac porrò diſtare parùm crediderim, quam Lampridius in-

innuit, Juliæ Mammeæ Villam celebratiſſimam à Severo; amantiſſimo filio Matri ſuæ ad pietatis ſingulare monumentum ſplendidè erectam: ne verò ulla ibi ad ſuaviſſimum ocium deſideraretur voluptas, per ſumptus ingentes, admiſſo etiam mari, ſtagna adjecit. Denique, miſſis aliis, haud procul à Tritulis, cultiſſimam Piſonis Villam amænitate ipsâ amæniorem, Tacitus ponit; ubi omnia ſummo pretio comparata, atque ad animi mollitiem exquiſita diligentiſſimè. Thermæ ipſæ, quà amplitudine, quà artis elegantiâ adeò commendatæ, ut Nero Cæſar non aliò divertere ad balnea ſoleret. Hoc loco Fannius: Maximum, inquit, iſtuc amænitatis argumentum, placuiſſe Neroni; cui nauſeam frequentiſſimæ creabant deliciæ, & Domus niſi aurea, ridebat nulla. Ita planè; tùm Ego: *tantâ*
Tacit. libro 5. *enim loci amænitate captus Cæſar* (verba penè ipſa ſunt Taciti) *crebrò hùc ventitabat, balneaſque, & Epulas inibat omiſſis excubiis, & fortunæ ſuæ mole*. Nec cæteroqui illi deerant aut liquidiſſimæ Thermæ, aut facta in
Idem lib. 13. & 14. litore ad ſolutiſſimam voluptatem palatia, ut ea omittam, quæ vèl in hoc ſinu impius invaſerat Domitiæ Amitæ ſuæ, per venenum ſublatæ. Quis porrò, Fanni; reliquas numeret equeſtri luxu & conſulari moles pulcherrimas, quas paſſim temporis vetuſtate, & maris obrutas fluctibus invenimus? Quàm profectò ſapiens Judæorum Rex ille Ariſtobulus, qui Romanorum Villas in Bajano magnificentiſſimè exornatas, & periſtyliis ingentibus, & ſimulacris, & pavimentis, & pretioſiſſimo e marmore parietibus diù contemplatus, quanta eſſet Romæ amplitudo, quanta majeſtas, indè conjecit! Hîc ſtatim Fannius: Quàm bellè, inquit, quàm copiosè, quæ præteriit Blondus, politi ſermonis melle, ſupplèſti, Parthenie! Nec levia ea eſſe crediderim, quæ audita tantùm ingenti animum voluptate perfundunt. Ità planè, tùm Ego: at quota hæc Bajanæ magnificentiæ pars eſt? Quid ſi etiam (quod & Blondus omiſit) naturâ jucundiſſimum, tutiſſimum ab arte contigiſſet videre Bajarum Portum? Et ille: Numquid amabo te, Parthenie, præter id, quod in præſentiâ cernimus, in eum munificè Natura contulit? Nam quod voluptatis, & commodi etiam ab arte multùm acceſſerit eâ tempeſtate, conjectare mihi ex aliis facile eſt. Cui Ego: Ecquid Fanni, ſi, quem modò portum videmus, conferas cum antiquo; Ecquid, inquam, nunc vides, niſi, ut ità dicam, Cadaver merum? Nonne, & ipſa naturæ dona paulatìm in dies minui, ac dilabi penitùs, ſi non certum aliundè, hinc certo certius conſtaret? O' hu-
ma-

manarum rerum viciſſitudinem! Ubi jam hoc loci clementiſſima illa Cœli clementia? Ubi in ſinu ipſo dulciſſimo dulciores ſinus, nativis ſcopulis intercluſi? Ubi piſcoſi lacus? Ubi maris reductus, aliaque omnia, quæ ibi ad lenocinium Natura concluſit? Vix præſens figuram ſervat lunatam vetuſti portus. Quid non hoſtium, quid non maris, quid non denique ignis ira turbavit, perdidit, ac peſſum dedit? Iidem ſanè qui modò, at quantò jucundiores portuoſum Sinum coronabant Colles gratiſſimi nemorum umbrâ, qui modò ſqualent ambuſti. Adde in pulcherrimi Theatri formam diſpoſita circumquaque Ædificia, quæ ſuperbam adventantibus Scænam, procul etiam exhibebant; nec tot ſparſim jactæ in hunc Sinum moles adimebant quicquam, quin potius venuſtati pretium adjeciſſe putaverim. Accedit denique ad cumulum externarum navium frequentia. Hùc enim onerariis navigiis, ſine numero confluentibus, omnium gentium merces exportabantur. Meritò igitur nullam amæniorem, frequentiorem nullam, quàm Bajarum ſtationem aſſeveranter pronunciavit Petrarcha. Et ille: Tanto viro ſubſcribo quàm lubentiſſimè. Quid enim voluptuoſius fingi poteſt, quàm uno, eodemque intuitu, & in montibus fixas, & nantes in mari ſylvas perluſtrare? Imò tùm Ego: Quid commodius, quàm immensâ penè mercium omnis generis multitudine hùc etiam peregrè advectâ, venumque expoſitâ uti facilè poſſe, atque frui? Atque hìc ſtatim ille: non oppedo, quin aſſentior prorſus: utrumque ad ornamentum facit, & publicæ Rei utilitatem. Quid Ergo ad plenam, abſolutamque Urbis felicitatem poterat ulterius expeti? Quid? tum Ego: Quid? ais: illud ſcilicet, ne tot luxus, tot illecebræ, tot una in Urbe ad amæniſſimum ſinum congeſta voluptatum genera, Civium, atque incolarum mores animoſque fœdiſſimè corrupiſſent. Et ſanè, Bajas multò vitiis celebriores, quàm ſitus amænitate fuiſſe peſtifero præſertim effrenatæ libidinis Cœno, quis peregrinus adeò eſt, qui ignoret? Nec verò neceſſe eſt, innumeros penè, hac ſuper re, Auctores, à me recenſeri. Ibi Tullius turpiſſimas Clodiæ libidines inſectatus, meretriciam collocat vitam: ibi Ambubajarum Collegia Horatius ſtatuit, Apuliæ tuæ decus, atque ornamentum: ibi denique longo ordine per litus, & ripas diſpoſitæ ganeæ turpiſſimæ, ubi Scorta, & pellices Nautas, hoſpites, imò Neronem ipſum, teſte Svetonio, præternavigantem, per ſummam impudentiam circùm undique orabant, ut appellerent. Hîc Fannius: Quid, inquit, excogitari unquam

Lib. 5. Ep. 4.

Oratio pro M. Cælio.

Saty. 2.

quam poteſt vel in ipsâ impudentiſſimâ Clodiâ impudentius? Mirari jam deſino tàm præcipuo hìc habitum in honore Veneris nefandum Numen, cui Bajano hoc ipſo in litore Templum eâ tempeſtate poſitum memini. Cui tum Ego; nolim putes, Fanni, unum hìc Veneri dicatum templum, ubi quot Domus, quot balneæ, quot Thermæ, totidem ſcito probroſo Numini Delubra, totidem Ædes olim devotas: Etenim preſſiori, ut ſolet, ſtylo Seneca ſcribit: *Illic ſibi plurimum luxuria permittit. Ibi tanquam aliqua licentia debeatur loco, magis ſolvitur. Videres Ebrios per litora errantes, & Comeſſationes navigantium, & Symphoniarum cantibus perſtrepentes lacus, & alia, quæ velut ſoluta legibus luxuria, non tantùm peccat, ſed publicat.* Jamverò quæ tot illecebris, hominum indoles, quamquam aſperitate ipsâ aſperior, non frangeretur? Ipſum equidem puto Catonem cum omni ſeveritate vincendum, *Si*, ut idem Auctor addit, *præternavigantes adulteras dinumeraret, & aſpiceret tot genera cymbarum variis coloribus picta, & fluitantem toto lacu roſam, & audiret canentium nocturna Convicia.* Quid mirum ſi Annibalem, (1) ut Florus memorat, invictum Alpibus, indomitum armis, ſubegerunt tepentes fontibus Bajæ? Uſque adeò verum, Fanni, quod didici ex Tullio puer: voluptatem eſſe capitalem peſtem, & malorum omnium matrem, atque altricem. Ità enimverò, inquit Fannius; at eandem iſtam, amabo te, Parthenie, obſcænitatis memoriam, imaginemque ab oculis, ab animo depellamus. Faceſſamus hinc properè. Quæ verò abs te reſcire vehementer aveo, de via, ni grave ſiet, vel domi commodiùs ediſſeres. Cui tùm Ego: Hanc tuam, Fanni, eximiam animi honeſtatem laudem ne potius an mirer? Abeamus. At quænam ſciſcitari à me modò innuiſti? Et ille: reſpirare, inquit, te ſinam aliquantiſper, donec ad declivis, ac tortuoſi collis radices lento gradu, ac difficili tandem venerimus. Ubi autem ad ſubjectam regiæ olim venationis planiciem, non ſine aliquâ corporis defatigatione, perventum eſt: hìc tantillum ſedeamus, inquit, Fannius: Te quippè reliquum viæ, uno continenti ſpiritu, conficere minimè patiar; & me quoque intermiſſa mora opportuniùs rogantem juvat. Tùm Ego: benè habet, Fanni, conſidamus. Dic jam ſodes, quæ nuper ſcitari erat in animo? Et ille: tria, inquit, rogo, planiùs exponas ab ovo, ut dicitur, ad mala: Primum, quæ de celebratiſſimo C. Caligulæ Ponte prodierunt in vulgus, quam ſibi fidem merentur?

Epiſt. 51.

[1] Luc. Flor. lib. 2. cap. 6.

Alterum porrò de mirabili novi Montis origine, quem noćte unâ è parturientis veluti Telluris ſinu emerſiſſe, conſtans eſt omnium rumor. Tertium denique: quot, & quàm congruæ ſuper lucrino lacu ſint conjecturæ, ubi fuerit, cur defecerit, quid tantum apud veteres celebratus? Cui tum Ego: Uno curſu vin' tria ſtadia conficiam, Fanni? Vix modò explere primum liceſſit per tempus: reliqua duo ſtatim à prandio, ut enarrem, fore promitto.

Quoad primum igitur, ut compendio utar, id mihi certum, exploratumque eſt, Pontem hujuſmodi ter mille, & ſexcentorum ferè paſſuum longitudine, quantum eſt interceptum maris ſpatium Puteolos inter, & Bajas, a Puteolano litore ad bajanum uſque extructum fuiſſe. Tantundem verò in longitudinem protendi rectâ potuiſſe, niſi plurimi cum (1) Svetonio affirmarent Auctores, mihi periculum non ſemel factum certiſſimè comprobaret. Hinc tamen puto, non continuò reprehendendum Dionem in Claudio; cum interjectam diſtantiam ferè trecentis, & quinquaginta paſſibus facit minorem; ipſe enim Baulos inter ac Puteolos ſtadia tantùm numerat ſex, & viginti; quod conſtare adamuſsim, nec veritati adverſari quicquam videtur; nam ut ex Dionis ipſius verbis apertè liquet, ad proximiorem continentis partem injectus Pons pertingebat, eamque Baulos appellat, locum contrà Urbem ſitum ad mare, quod Puteolos intercurrit, & Bajas: *διὰ γὰρ*, inquit, *τῆς θαλάσσης τρόπον τινὰ δὲ ἱππεῦσαι γεφυρώσας τὸ μεταξὺ τῶν τε πουτεόλων, καὶ τῶν Βαύλων, τὸ γὰρ χωρίον τοῦτο κατ' [ἀντιπέραν τῆς πόλεως ἐστὶ, διέχον αὐτῆς σταδίους ἕξ, καὶ εἴκοσι*, Neqne id mirum, hâc ſuper re variare aliquantulùm ſcriptores: cùm enim ex recurvi litoris tractu alia ſit ad punctum aliud longitudo; indè factum, ut modò brevior, modò productior ducta ſit linea; quatenùs compacti Pontis excurſum nunc ad paulò remotiorem, nunc propiorem litoris terminum rati ſunt pertinere. Affatim, inquit Fannius, de longitudine hactenùs viſum eſt; nunc, ex qua potiſsimùm materiâ opus tàm ingens, tàm mirum conſtructum fuerit, ſi lubet, ediſſere; non enim in aperto rem eſſe, omnique à lite ſepoſitam ipſe crediderim. Cui tum Ego: Divinaſti; hùc tamen ibam; atque audi. Sunt qui ex ſuperbâ Pilarum mole, quarum adhùc reliquias ad Puteolanam oram videmus, conſtratum fuiſſe opinantur: eo præſertim ducti argumento, quòd Pilis etiam hujuſmodi, quadrato lapide, Trajanus, cum in Dacos bellum inferret, in Da-

Pontis, quem Caligula conſtruendum juſſit, longitudo.

[1] Svetonius cap. 19.

Non mirum, quod in eà definienda variant Scriptores.

Ex Pilis, quarum extant reliquiæ, conflatum Pontem, putant nonnulli.

nubio Pontem, juſsit extendi, Eâ quoque conjecturâ moventur, quòd Pilarum intervalla arcubus concamerata ad Pontem potiùs, quàm ad Portum efficiendum accommodata videntur; neque enim, inquiunt, Stationem reddunt navibus tutam apertæ Pilæ, quæ maris æſtum defacili ſævientem admittunt. Hæc ipſi. At non auctoritate tantùm, verùm etiam multiplici rationum momento, toto convincuntur cœlo aberrare. Et ſanè Puteolanam Navium Stationem vetuſtiſſimam eſſe, ipsâquè cum Dicharchiâ conſtitutam, prætermiſſis aliis, unus inſtar omnium, teſtis eſt Livius. Hìc, anno ab V. C. DLXXV. M. Junio Bruto, & A. Manlio Volſone Conſs. *In portu Puteolano, duas Naves*, inquit, *de Cœlo tactas.* Jam verò Stationem hanc hujuſmodi ex pilis tùm primùm factam, Strabo (1) affirmat luculentiſſimè, dum productas memorat in mare Pilas, quibus apertiores litoris partes anguſto ſinu ità concluſæ, ut ſubduci tutò onerariæ Naves commodè poſſent. Hùc facit, quod clariùs in Epiſtolis (2) Seneca, de Alexandrinis navibus ſcribit: *quarum gratus campaniæ* (verba ſunt Auctoris ipſiſſima) *aſpectus: omnis in Pilis Puteolanorum turba conſiſtit.* At, ne diutiùs in re tàm certâ immoremur, ſcito; longè antiquius Caligulæ Ponte Pilarum opus ab Antonino Pio, Adriani Filio reſtitutum eſſe; quod teſtibus cæteris certior vetus lapis, inciſis notis, commonſtrat. Hoc Fannius loco: Eruditè tu quidem, inquit, ut ſoles, Parthenie; nec rem puto meliori in lumine collocari potuiſſe. Pergè nunc, ut cæpiſti; & tot probatæ fidei teſtimoniis rationum pondus præſidiumque adjungito. Præſto ſum, tum Ego. Sit primo loco argumentum, quod Pilæ ipſæ exhibent; idque, ni me fallo, ſolidiſſimum. In ipſis quippe lapidea viſuntur ad hoc uſque temporis Retinacula. Hæc porrò, Fanni, amabo te, ulli ne fuiſſe uſui credendum? Et ille: ità planè; ni fatuos, quin etiam ſtultos putem Auctores. At cui? tum Ego: Num ad Pontis ſtructuram? Sed, quæſo te, quid Retinacula ad Pontem? Et Fannius: ad Portum ſcio Retinaculis opus; quippe quæ anchorariis funibus retinendis deſerviunt. Hinc oppidò Straboni aſſentior, ſinuatam hanc molibus hiſce litoris partem fuiſſe, ut tutiùs onerariæ Naves ſubducerentur. Cui Ego: tenes jam omnia Fanni. At, ſi qua animum dubitatio percelleret, hoc uno, quod rem conficiat, argumento, velim abſtergas. Quinque, & viginti omninò ſubſtructas ab initio Pilas, eâ latitudine, quam quæ ſuperant quatuordecim, noſtrâ hac æta-

Puteolani Sinus Pilæ ad Navium Stationem multo antè Caligulæ tempora accommodatæ.

(1) Strabo libr. 5.

(2) Seneca Epiſt. 58.

Præter authoritates, rationum etiam momento id ſtabilitur.

ætate, præſeferunt, compertum quàm quòd maximè eſt. Hic porrò numerus, & ordo, quo ſuperſtites Pilæ ſitæ, ac diſpoſitæ videntur, poterant ad Bajas nullo modo tendere, ac pertinere. Et quidem ſi ad numerum ſpectes, fieri neutiquam credas, ut tanta diſtantia tàm paucis arcubus clauderetur; quæ nâmque trium millium, & ſexcentorum paſſuum cum Pilarum quinque, & viginti, ut ut maximâ intercapedine, comparatio? Si ad ordinem, quo diſpoſitæ; Cæcus enim verò ſit, qui non videat ad eum ſanè locum; quem Tripergulas vocant indigenæ, non ad Bajas rectà collineare. Quid ergò aliud modò ad coronidem deſideretur, niſi ut potiſſimam contrariæ ſententiæ, quam initio rationem propoſui, plumbeam omninò eſſe, atque elumbem paucis oſtendam; quod facili negocio fiet. Neque enim quod vacui relictum eſt inter Pilas quicquam incommodi navibus afferret; tum quia, ſi quis ferveret æſtus, hunc frangerent Pilæ frequentes: tùm etiam, quòd Moles iſtæ, quà parùm apertæ ſunt ad Septentriones, vicinis Collium jugis teguntur: quà verò ad Auſtrum, undè majores in eo ſinu tempeſtates ingruere ſolent, eâ veterum prudentiâ in altum jactæ, ut ventis immotæ, & fluctibus, obliqua latera obvertant. Illud quinimò accedit ad commodum, quòd maris acceſſu, ac receſſu ſordibus, aggeſtiſque perſæpè arenis portus purgatur. Quo fit, ut omnis abigatur cæni odor gravis; & promptior ad recipienda navigia aditus pateat. Hoc Fannius loco: ne te ampliùs, inquit, vexes Parthenie: teneo ad unguem omnia; & quidem per te enucleata diſtinctè. Quod ſupereſt aperiendum, illud eſt; quonam opere, & qua materie tantam Caligula componi, firmarique Molem voluerit? Ità planè, tùm Ego; & ad manum res eſt, inquam: in qua nihil, quod demam, nihil, quod addam Svetonio; cujus in hoc fides, eò mihi probatior, quod ab Avo ſcientiſſimo, & Caii ipſius coœuo, quod ſcripſit, puer audierat. Certum itaque, exploratumque ſit, conductis onerariis navibus, aliis ad aliarum latera applicitis, ſuâque ſingulis anchorâ in ordinem duplicem benè firmatis, mirificè compactum Pontem; ſuis tabulatis æquâ planitie inſtructum, ſuis hinc indè aggeribus communitum eâ amplitudine, ut Appiæ viæ inſtar haberet. Ecce tibi (ſiquidem in mentem veniunt) ipſiſſima Svetonii verba: *Novum præterea, atque inauditum genus ſpectaculi excogitavit. Nàm Bajarum medium intervallum, & Puteolanæ Molis trium millium, & ſexcentorum ferè paſſuum ponte conjunxit,*

Relata initio ſententia refellitur.

Quà patebant Aquilonibus Pilæ, oppoſitis Mōtibus tegebantur.

Conductæ per Caligulam Naves, quibus duplici ordine in longum diſpoſitis, Pons conſtructus.

contractis undique onerariis navibus, & ordine duplici ad ancboras collocatis, Superiectoque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem ultro citroq; commeavit, biduo continenti. Primo die phalerato Equo, inſignis quercicâ coronâ, & ſecuri, & cetrâ, & gladio, aureâque chlamyde. Poſtridiè quadrigario habitu, curriculoque biiugi famoſorum Equorum, præſeferens Darium puerum ex Parthorum obſidibus, comitante prætorianorum agmine, & in Eſſedis coborte amicorum. Ut recitavi: quàm bellè, inquit Fannius, ſubjecta oculis pompa omnis! Teneo jam ſatis, & miram oppidò Molis novæ ſtructuram; & quod caput eſt, quem ad finem potentiſſimi hominis ſe jactaret ſuperbia. Illam nempè, quæ in Urbium frequentiâ celebratur, utpotè quæſitam cæteris, ovationem ſprevit: hanc uni ſibi inſolentem voluit, ac omninò ſingularem. Quaſi verò parum eſſet ad triumphantis libidinem Terram ſubjeciſſe, niſi & equo, & curru invectus ipſum etiam mare ſubiiceret ambitioſiſſimus Imperator. Cui Ego: Euge, inquam Fanni. Quod jam olim Dionis, & Joſephi hac de re ſcripta monuerunt, idem tu modò ad rem appoſitè innuis. At non hac tantùm de causâ Caligulam putes velim adductum. Eſt quod addam ex laudato nuper Tranquillo: id nimirum feciſſe, ut Perſarum Regem Xerſem imitaretur, qui ex Aſiâ in Græciam ponte tranſmiſit, & anguſtiorem Helleſpontum contabulavit. Vel ut Germanos, & Anglos, quibuſcum bellum erat commiſſurus, magnorum operum laboribus perterreret, vel deniq; cùm ſciret à Thraſillo mathematico dictum fuiſſe Tiberio, tunc Cajum in Imperio ſucceſſurum, cùm Equo mare Bajanum præternavigaret; ne Thraſillum fruſtrà ominatum proderet, eâ Mole conſtructâ præternavigavit. Veroſimilia quidem iſthæc, tum ille; ſingula tamen ſuperbiſſimi Cœſaris faſtum, atque arrogantiam explicant ſatis. Ita planè tùm Ego. At audi modo, non ſuperbi hominis tantùm, ſed crudeliſſimi monſtri ſævitiem oppidò inauditam. Quid (malum) iſtuc? tùm ille. Cui ego: dicam, nec ſine ſtomacho. Conſtitutum jam Pontem homo religioſiſſimus non antè ingreſſus, quàm Neptuno faceret; eodemque habitu Livori, ne qua opprimeretur invidiâ, ſacra perſolveret. Ubi verò Bajas, quaſi in Urbem hoſtium, aurata cyclade indutus, irrupiſſet celeriter, acclamante circùm frequentiſſimâ Turbâ, *Maris Victori*, ne dignum Caligulâ præmium deeſſet, populum de Ponte plaudentem in aquas juſſit illicò deturbari. Proh nefas, proh ſcelus! continere hîc vocem Fannius haud potuit,

Novæ Ovationis deſcriptio.

Inſolens hujuſmodi Ovatio Caligulæ ſuperbiam innuit.

Dio in Claudio Joſeph libr. 19. cap. 1.

Thraſilli Mathematici omen.

Antequam Cajus Pontem aſcéderet, Neptuno, & Livori fecit.

ſumma ejus in triumpho crudelitas.

tuit, quin exclamaret. Cui ego : paulisper ſuſtine, dum nefarium facinus numeris omnibus abſolutum expromam. Impius pepercit nemini; eoſque etiam, qui ſe morti eripere laborabant utcumque, per vim extrudi, ac deiici imperitavit. Id quoque parum crudelitati. Ut jucundius accideret Tyranno exitium, voluit frequentius. Atque idcircò ſactum putaverim, ut per certa in eo Ponte interſtitia, ſua locarentur ordine diverſoriola, quò ad compotandum confertim populus illectus, numero augeretur; itàque immaniſſimum vèl inter ludos Monſtrum furori ſuo devoveret. Ita ne vero? hîc Fannius. O' facinus, inquit, ne ipſis quidem Belluarum oculis exhibendum, ne poſt hâc Belluis utamur immanioribus! Faceſſamus hinc properè, amabo te, Parthenie, & conceptam animo ex acerbiſſimo facto indignationem feſtivâ aliquâ narratiunculâ lenito; atque ita reliquum viæ domum uſquè conficiamus. Cui ego : longiuſculum iter moras non patitur; gradus grandire oportet, ne de corrupto prandio ſubeat indignatio acerbior, quam nullo valeam pacto lenire. Benè mones, tum ille; & continuò perreximus.

Frequentiori gaudet ab nece immaniſſimus imperator.

CAPUT II.

Nonnulla de novi Montis eruptione, & de Lucrino lacu à prandio, ut promiſeram, diſſeruntur.

POſtquàm tardiuſculè Puer trulleum, & guttum ad perluendas manus paraverat : Ohe, inquit Fannius, adeſdum Fabiole, dentiſcalpium è lucubratoriâ menſulâ, & Nicoſiani pulveris thecam tandèm afferto. Vis iterum, ac tertiò dictum? Et ille : ſine pennis volare, & ſaltu in uno duos Apros capere, haud ità facile. Jam mox afferam; liceat tamen ſummo indice pulveris aliquantillum in meas etiam nares immittere; miro enim modo levatur capitis gravedo, dum excuſſa mihi ſternutamentis pituita detergitur. Cui ego : Vah delicatulum caput! An reticulo deinceps oloſerico fuat opus tibi? Hem Aſinus in unguento, & roſâ! Apage te hinc modò trifurcifer; ni plagis emendatum probè te velis. Hîc ſecum muſſitando Fabiolus : fumantem, inquit, Urſi naſum ne tenta. Statimque Fannio pulverariam thecam, & Odontoglyphidem attulit, hæc murmurillans in aurem : næ Ego naulum perdidi. Quid, tùm ego, Quid mutis mera inſcitia? Amove te ocyiùs. Cum verò ille ſubtriſtis aliquantulùm abire viſus : da, hic ad me Fannius, da veniam, rogo

Par-

Parthenie, nec rogare deſiſtam, quin tuam Fabiolo gratiam iterum impetraſſo: adornavit optumè prandium Puer, & oleraceam mihi pultem præſertim confecit perbenè. Cui ego: geratur, inquam, mos tibi Fanni; ſed Puerum nolo impudentem, nec in argenteâ, ut ajunt, quadrigâ bovem. Hic autem lotis jam manibus nos in hypæthram, Fabiolus in culinam, perreximus. Ut ſeſſum eſt, quis prohibet, Parthenie, inquit Fannius, quo minus ad jucundiſſimum hunc maris proſpectum inſtitutam hoc mane perſequamur diſſertationem? Duo quippè (nam probè tenes) in pomeridianum diſquirenda rejecimus. Unum de novo Monte: alterum de antiquo Lucrino. Ita planè tùm ipſe. Et quoniam comperta res eſt: quæ ad improviſæ eruptionis hiſtoriam attinent; ea, quamquam calles, innuam paucis; paulò fuſiùs occultam illius cauſam, dum lubet, proſequturus. Attende animum. Anno à reparatâ ſalute MDXXXVIII. ad Kal. Octobris propè Tripergulas, ubi olim publico Noſocomio locus: toto circùm ſuccuſſo litore: reboante mari: ſubnigro latè ſqualente Cœlo, ſub primam ipſam noctis vigiliam, Tellus intumuit; continuoque ex erecto telluris cumulo, multâ flammarum vi erumpente, vorago ingens aperta; mirum quantum ignium, lapidum, atque arenarum evomuit! Hinc dirutæ ſubſtructiones, Ædes, ac Villæ: hinc fruges, arbores, & campi vaſtati: quamplures oppreſſi homines, greges, armenta. Tùm mare ad bis centum fermè paſſus contractum; tùm novæ paſſim aquarum ebullientium ſcatebræ. Tanta interim diei, noctiſque unius continenti ſpatio cineris, arenæ, & pumicum moles excrevit, ut & montem, & monti fecerit nomen Cinereo. Is complectitur in gyrum paſſus ad termille. Quod in meridiem ſpectat latus, ad mare: quod verò in occaſum, exporrigitur ad Avernum; Eà verò parte, quæ orientem Solem patefacit, ejus pes Gauri pedem attingit. Atque hæc de novi Montis eruptione, amplitudine, ac ſitu. Reſtat jam, Fanni, ut cauſam inquiramus. Neque id ſanè novum, & inſolens; quod ignium vi per ſubterraneos meatus paſſim diſcurrente: cum prægnans aër, cum incluſus vapor, & craſſiores è terrà ſpiritus excitati, contineri anguſtiis nequeant, atque eluctentur quaquaverſum erumpere, & exhalari; indè motus in terris, in mari æſtus plerumque ſoleant exiſtere. Illud porrò tùm maximè uſuvenire certò affirmaverim, cum per id terræ genus bacchentur ignes, quod nitro, ſulphure, ac bitumine ſcatere plurimùm, experientiâ duce, compertum eſt. Neque enim

Hiſtorica Eruptionis hujus narratio.

Novi Montis ſitus, & circuitus.

Eruptionis cauſæ veſtigantur.

enim aliam putem reddi cauſam poſſe aptiorem, cur noſtrâ hæc præſertim Campania ſuccutiatur frequentiùs; niſi, quod circùmquaque, hinc flagrante Veſævo, hinc Leucogeis montibus, & ſulphureo Vulcani Foro, hinc Puteolanis, Bajaniſque Mephytibus, hinc denique Pythecuſarum Balneis, Thermis, caminis, igneâ naturâ tellus toto latè tractu conſiſtat. Quare per varias Telluris rimulas, veluti per opertos cuniculos, cum ſeſe provehit flamma; ubi, quam diximus, craſſam, pinguem, oleoſam nacta eſt materiem, corripit ſtatim, eamque involuit totam, ac permeat. Adeò tamen quandoque convaleſcit ab alimentorum congerie; ut intumeſcens magis, magiſque, dilatari ſe, laxarique contendat vehementiſſimè; Interim verò obluctante vel terræ, vel aquarum, vel montium ſuperpoſitâ mole, omnia motari primùm, ac diſcuti: tùm crepare, diſrumpi, ac dehiſcere neceſſum eſt. Indè qui fecit impetus viam: idem exeſos erigit ſcopulos: incendia evomit: eructat pumices, arenas, cineres, ferruminis etiam, & incocti æris interdùm ſpumas ejectat. Atque hinc eſt; quod non raró, cum combuſtæ telluris cavitates, ſpatiaque intercepta, corroſis jam montium viſceribus conſiſtere ultrà non poſſent, deprimi terras, monteſque ſubſidere partim vidimus, partim legimus. Hinc etiam attolli campos, atque in protuberantem latè tumulum, planitiem veluti inflari. Nonnumquam per abſtruſos meatus, ac rimas exſugi, atque attrahi, continenti uno, vehementique ſpiritu, aquas Fontium, Lacuum, & Maris; quas vel exſiccat Tellus argilloſa præſertim, atque arenoſa; vel ignis paulatim abſumit; vel aliò derivant tot, tàmque diverſi, ſubterranei ſyphonum inſtar canales; vel denique vis eadem, quæ ingurgitavit, per os recluſum propellit, reiicitque æſtuantes. Hæc paſſim omnia, quin longiùs abeamus, intra exiguum temporis in noſtro Veſuviano probè ſcis contigiſſe. Hìc autèm Fannius: ſiquandò, inquit, Parthenie, graculis datur locus, dum canunt cycni; ex iis, quæ jeciſti hactenùs, fundamentis, firmam ſatis de hujuſce Eruptionis cauſa ſententiam tuam certò jam colligo; Eamque montis cinerei molem, partim ex repentino prægnantis Terræ tumore: partim etiam ex aggeſta ejectorum corporum macerie ingenti extitiſſe; urgente raptim, ac ſubvortente omnia abditorum ignium violentiâ, tute opinaris, ni fallor. Ità planè, Fanni, tum ego; mentem oppidò jam tenes meam; neque in eâ hærere te quidpiam cenſeo, illud ſi reſcias quoque: biennio ante puteolanas oras terræ

Fusè ad ſubterraneos ignes hujuſmodi eruptio refertur, qui maximè convaleſcunt ab ſiccis varii generis alimentis.

Exemplis, atque experimentis res comprobatur.

Per Epitomen ratio colligitur.

con-

concuſſas motibus, aſſiduâque deinceps ad id uſque temporis trepidatione turbatas. Adde (quod nupèr innui) ſulphurata paſſim earundem viſcera, & marinæ aquæ falſuginem occulto ſuctu detractam, aliumque ejuſmodi collectis ignibus fomitem. Benè habet, hòc loco Fannius: omnia planè expedita. Sed unum aveo ſummopere, quod

Quî valeant ſalitæ aquæ ignē fovere?

ſaltem, Parthenie, velis paulò fuſiùs explicitum: quî nimirùm fiat, ut ignem foveant aquæ, licèt ſallitæ? Audio, tùm ipſe; & dicam verbo. Salſæ aquæ tenujores, vividioreſque particulæ faciliori negocio permiſcent ſeſe, immittuntque per ſulphuris, terræque bituminatæ poros, & canaliculos; itàque concretam illam, ſpiſſamque veluti maſſam ſubigunt, macerant, & quodam quaſi fermento reſolutam, atque friabilem diſponunt magis magiſque, ut ignefiat faciliùs. Neque hoc putem captu difficile. Illud profectò non adeò cuique expoſitum, quod in ſimili Ortelius refert: in Namurcenſi nempè ditione ex Terræ fodinis ejus naturæ lapidem erui, ut, qui inde excitatur ignis, extinguatur oleo, aquâ augeatur. Verùm aliàs in eo te, Fanni, Adipodem poſtulabo. Pergamus modò;

Lucrinum aliqui mare mortuum dixere.

atque eruditi aliquid lucelli è Lucrino libeat expiſcari. Permulta ſunt apud veteres, quæ olim vacuus cum lectitarem, mentem indidere ſatis implexam. Primò enim in alios incidi, qui Lucrinum mortui Maris nomine vocitarunt; atque hoc de facili dictum putavi ab aquarum tranquillitate, ac pigritiâ, ubi præſertim Juliis molibus marinus inde æſtus excluſus eſt. Tùm verò aliis nuncupatum

Alii Portum, Lacum, & ſinum.

inveni ſinum, aliis Portum, pleriſque demum ſtagnum, Lacumque. Porrò quod negocii plurimum dedit, Lucrinum cum Averno confundi penes probatæ fidei Authores legi, ac præcipuè apud Strabonem; cujus hiſce expreſſa verbis ſententia: λοκεῖνος κόλπος, καὶ ἐν τοῖς τούτου ἄορνος. Poſtremò quidem cum de Julio ibidem Portu ſit ſermo: nonnullos vidi, qui Julio Cæſari opus attribuant: nonnullos etiam, qui Auguſto: nec paucos tandèm, qui Agrippæ. Mitto cætera hac ſuper re abſtruſa multùm, atque impe-

Alii cum Averno confundunt.

dita. Equidem, hoc loco Fannius, nihil rebar, Parthenie, hac narratione dilucidum magis, atque extricatum. Cui ego: & extricabo ſingula, Fanni, quàm planiſſimè potero; Vacivas tu modò aures dato. Lucrinum, Roma-

Piſcatione olim præcipuè Oſtrearum lacus fuit celeberrimus.

norum delicias, Lacum fuiſſe piſcatione olim celeberrimum affirmare non dubito. Nemo unus fuat, quem (ſi modò Poëtas triverit) lateat veterum luxus in lucrini ſtagni oſtreis, & conchis. Nullæ id temporis Nobiles nuptiæ, quæ non viderent oſtreas lucrinas: nullæ Equitum

cænæ,

cœnæ; quas concha non commendaret ex eo lacu delicatiſſima; Atque hinc factum, ut laſcivuum Martialis lacum appellet.

Dum nos blanda tenent laſcivi ſtagna Lucrini;

Quamquàm illi à lucro datum eſt nomen. Obvia tibi Poetarum loca Fanni, lubens omitto. Pergamus. Neque enim certiſſimæ huic ſententiæ adverſantur, quæ nupèr innui, ſparſim à Scriptoribus edita; Nam, quandò parvâ admodùm iſthmo à Tyrrheno Lacus ſecernebatur; in eum, nondùm oppoſitis molibus, cum æſtuaret mare, irrumpebat; Quamobrem non ſecluſum à Tyrrheno ſtagnum, ſed ſinus eidem conjunctiſſimus videbatur. Exinde, cum jactæ in altum ſunt Juliæ moles, non excluſum penitùs ab eo ſinu mare, ſed æſtu refracto, moderatè immiſſum. Quoniam verò cum Tyrrhenis lucrinæ per Julium Portum aquæ communicabant, facillimè etiam, ut fieri plerumquè ſolet, communicata ſunt nomina; atque hinc, & undas dixere Julias, & Portum itèm Lucrinum. Satin'tenes hæc, Fanni; Satin'quadrant? & ille: miro modo; rem acu tetigiſti, Parthenie, & quidem candidiſſimè, ut promiſiſti. At illud ſupereſt, ut explanes, cui Portus Lucrino additus debeat tandèm adſcribi. Iſthùc ibam, tum ego. Et ſanè eos à veritate aberraſſe crediderim, qui Portum Julium ad Miſenum opinati ſunt à D. Julio extructum. Extant enim ad noſtra hæc tempora & Regiæ Molis ad Lucrinum veſtigia, & prærupta inibi adhùc ſaxa, ad communiendam molem dejecta. Audi Maronem abundè ſatis eo in loco verſatum.

Lucrinum à lucro dictum.

Olim cum Tyrrheno communicabat.

A' portu Julio parum diſiunct.

Julius Portus cui tribuendus.

Quid memorem Portus; Lucrinoque addita clauſtra;
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor?
Julia quà ponto longè ſonat unda refuſo,
Tyrrhenuſq; fretis immittitur æſtus Avernis.

Hinc autem, Portum ad Lucrinum à Julio Cæſare excitatum apertè ſatis erui videtur. Itane ſentiendum? Quod ad me, certum ratumque illud teneo, quod indubitantèr aſſeverat Svetonius; operâ ſcilicet vicies mille ſervorum, quos manumiſerat, & ad remum dederat, Portum Julium apud Bajas, immiſſo in Lucrinum, & Avernum Lacum mari, ab Auguſto Cæſare effectum. Hìc ad me ſtatim Fannius: Aſſentior authoritati; unum tamen evellas, qui me pungit, ſcrupulum, oro. Quid quæſo eſt, cur Julium potiùs, quàm ab Auctore ſuo Auguſtum Portum dixere? Cui ego. Attende; nodum diſſolvam. Sunt qui ab eodem Auguſto in gratiam Julii Patris, ità nuncupatum affirmant; cum eâdem etiam de causâ, quam certè

Svetonii ſententia probatur.

Solvitur Difficultas.

condidit Auguſtus legem, pari juſſerit pacto Juliam de Adulteriis legem vocari. Sunt etiam, quos ea tenet opinio: hujuſmodi nempè Portum, vel ab Julio excitatum, & ab Auguſto inde refectum; vel ab illo excogitatum, ab hoc poſtea ad normam poſitum accuratè. Sunt præterea (quod veroſimilius cenſendum eſt) qui Auguſtum eundem, & Caii, ut ex Floro: & Julii, ut ex Svetonio liquet, nomine utroque appellatum, nomenclaturam inde cùm Legi, tùm Portui dediſſe jure quidem merito putant. Exactè omnia, hìc inquit Fannius, ad amuſſim reſpondent. At illud, amabo te Parthenie, ne excidat; quânam ducti ratione opus hoc alii Agrippæ attribuant? Intelligo, tum ipſe. Atque inde datam Straboni anſam facilè rear, quòd proximum Miſeno portum Agrippa inſtruxerit, eamque ad Bajas viam munierit, quam primùm Hercules fecit, cum ad mare illàc ageret direptas Geryoni boves, unde perbreve iter ad Lucrinum erat. Quod demùm attinet ad Averni aquas intra Lucrinum fluentes, atque commiſtas; planum fiet recolenti ampliorem eâ tempeſtate Lucrini ſinum, per quem effuſi è Tyrrheno fluctus in Avernum conjuncto alveo immittebantur; unde illum complures Virgilii locum illuſtrant.

Aliæ aliorum ſententiæ curſim referuntur.

Portum ad Miſenum Agrippa inſtruxit.

Tyrrhenuſque fretis immittitur æſtus Avernis.

Averni aquæ intra Lucrinum fluebant.

Verùm (ò rem miſeram, Fanni, & luctuoſam!) Vix hoc tempore, ubi Auguſti Portus magnificentia, ubi fuerint Lucrini lacus divitiæ, deliciæque; vix, inquam, veſtigium aliquod, ac tenue monumentum habemus. Jacent obrutæ fluctibus regiæ moles; & qui primus in publicis vectigalibus Lacus numerabatur, novi jam montis eruptione teterrimâ, ingentibus cinerum, pumicumq; acervis nunc aret miſerrimè contumulatus. Quàm bellè ad rem Venuſinus.

Aliquod Juliæ molis veſtigium ſupereſt.

Debemur morti nos, noſtraq; ſive receptus
Terrâ Neptunus claſſes Aquilonibus arcet,
Regis opus; ſterilisve diù palus, aptaq; remis
Vicinas urbes alit.

Ita enim verò, tùm Fannius: Debemur morti, ſed quoniàm ſopor eſt *ſimillima mortis imago*, nolim te, Parthenie, meridiano fraudatum ſomnulo. Pluſquam ſatis eſt hodie relatum eruditi compendii. Hìc ego: & ſanè, dum ſopori aliquantillum impertio temporis in poſtmeridianum, meliuſculè me habeo: concedamus.

Lucrinum novi montis eruptione obrutum fuit, atque exſiccatum.

CA-

CAPUT III.

In Amici adventu de antiquâ Puteolis Religione ſermo inſtituitur.

DUm è Regiæ venationis ſylvâ, quò valdè manè, unâ cum Fannio, motandi corporis causâ perreximus, in Anianam domum redimus; ecce tibi ex inopinato Lælius Niger, adoleſcens ingenio, morumque ſuavitate nulli ſecundus, qui è Ciſio, quo erat invectus, citò deſiliens: da veniam, inquit, Parthenie, ſi Puteolis Neapolim rediturus hùc de improviſo diverterim. Dicam quod res eſt: incredibilis amor erga me tuus ſummâ cum benevolentiâ conjunctus, ut te ſalutatum deflecterem non ſuaſit modò, ſed etiam coegit. Cui tùm ſtatim ego: nihil planè gratius, feſtivius nihil adventu hoc tuo accidere mihi potuit. Quamobrem veniæ loco, quam modeſtè rogas, quàmplurimas tibi ex animo gratias habeo. Hæc ut dicta, pleniori gradu domum conceſſimus; ubi accito ſtatim Puero: Heus tu, inquam, ex quatuor, quos heri ad me dono miſit Puteolis Titus Minucius Sabinus pipiones duos depilato, ternoſque Turdos pinguiores, Fannio in cænam repoſitos, Amico hoſpiti aſſato. Fac præterea, ne deſint paſtilli, & quidem benè jurulenti, & caſeati. Audiſtin'? Et ille: teneo, inquit, factumque puta. Hoc Lælius loco: ne te, inquit, Parthenie vexes: ſcis enim quàm imbecillis ſtomachi ſiem, unum ſi turdum comeſſe integrum valeam, modum exceſſi. Cui ego: eſto; at quid tùm poſtea? Et Lælius: cætera, inquit, adornare ſupervacaneum mihi, & frugalitatis tuæ tranſilire leges videtur. At quàm bene, tùm ego: officii legibus congruit. Debetur hoc tibi, exiguum licet, amoris ſpecimen, ac lætitiæ: id abundè, ſi gratum habeas; quamquam delibaveris nihil. Præterquamquod ne dubita: ad coqui manus redibit nihil; eſt Fannius, qui ſuppleat vices peregregiè. Subiratus amicè hic Fannius: ego ne inquit, hanc ut Paraſitus ingrediar fabulam? Jam me diù noſti, Parthenie, non is ego ſum, cui dapes permultæ, atque exquiſitæ palatum vellicent; ſed contentus capitatâ braſſicâ cum ſamnitico petaſone ſcitè conditâ, baſilicè pranſito. Cui tùm ego: An iſtuc labores, ut mihi, aut Lælio perſuadeas? Sobrium te hominem probè ſcimus: at identidem coram Amico jocari quid officit? Si ità, tùm Fannius, quòd me ludum feceris, gaudeo: te enim hila-

hilari animo eſſe Muſis fuerit compendio. Eja tùm ego: quid hîc ſtamus ultra? Apertoque oſtio, Muſæum ingreſſi, vix conſedimus, cùm ad me Lælius: Quid tranquilla hæc, inquit, Ruris otia, Muſarum amor, huſuſque emolumenti literis contulere? Quouſque Hyemes tuas non Amici modò, ſed Europa etiam ferè univerſa expectaverint? Hùc literatorum omnium publica vota; nam ut vident, lentè nimis de illuſtri hoc Opere agis, quòd Muſis occupatus, de illo curam penè omnem depoſuiſſe videaris. Ego etiam, ſi quid meæ apud te valent preces, oro, obteſtorque, ut quàmprimùm poſtremam hanc Anni eruditi Partem in lucem proferas: Quantum in me excitet expectationis ea præſertim candidiſſimo ſtylo tuo deſcripta perlegere, quæ oculis ipſemet luſtravi, vix credas. Biduò (quod impetrare potui à Prætore noſtro) in Puteolano apud Minucium, affinem meum, ſum commoratus: dumque per ocium antiquæ Urbis, & Agri ampliſſimi Rudera percurrebam, hæc identidem pulſabat animum cogitatio; quàm concinnè, quàm elegantèr hæc velit Parthenius noſter eruta è tenebris, atque illuſtrata! Nihil erit profectò, quod litus hocce, quod ſinus, Moles, Ruinas, aliaque veterum monimenta perquiſitum exteri accedant; exhibebit omnia elegantiſſimè aureus Parthenii liber. Cui tùm ego: Quod ais, Læli, pro tuâ humanitate facis. Equidem ſi quid laboris, vigiliarumque Operi adiicere ſinunt acciſæ vires, id totum ſpondeo; enitarque, ut tanto Amicorum conſenſui videar non ingratus. Intereà Fannius aperto, ſimplicique animo vir; Quorſum, inquit, tanta in officiis mora? Expecto, Læli, ut quam potiſſimùm ex agro Puteolano rerum antiquarum notitiam hauſeris, aliquandò depromas. Et ille: Permulta habeo, quæ luſtrata curſim, & ordine exponam ſuo, & paucis.

Auguſti Templum media in Urbe poſitum.

Antequàm igitur in Agrum pedem efferrem, mediâ in Urbe, dicatum Auguſto Cæſari Templum, opere Corinthio mirificè concinnatum, ſummâ voluptate perſpexi. Mirum ſanè opus, tum ego: Illud ſiquidem quadrato extructum marmore; ac tenui adeò, ſi benè noſti, quod non ità obvium cuique, calcis juncturâ lapides colligati, ut tàm ingens, tàm ſuperba Moles uno ſtare ſaxo credatur. Digna proindè & quam Coccejus, ut inquiunt, perilluſtris eâ tempeſtate Architectus erexerit, L. Calpur. L.F. DD.; & cui tandem Tempus, Hoſtes, Flammæ pepercerint. Hoc Lælius loco; quàmmaximas, inquit, tibi gratias habeo, Parthenie, quod plus ex unâ tecum confabulatione didicerim,

cerim ; quàm attentis oculis egomet luſtraverim. Cui ego: coquinaria verba! ſed perge porrò. Et ille: vix, inquit, ab Urbe egreſſus, ſtatim in Neptuni Templum offendi. Magnificentiſſimum ſanè, ut ruinæ ipſæ ſatis commonſtrant. Hîc, ubi aliquantulùm immoratus, interiorem Templi partem curioſiùs, ut veſtigarem; oppleta adeò, atque impedita non modò cæmentorum cumulis, lapidumque congerie; verùm & ſpiſsâ ſerpentis hederæ, urticarum vepriumque ſylvâ inveni loca, viaſque omnes, ut tentare adytum difficile admodùm ſine periculo putaverim. Conſultius itaque è Tumulo, quæ poteram, partim oculis circumſpexi; partim mente conjeci. Hæc autem primò ſub aſpectum venere. Arcus aliquot, queis anteà fornicatum Opus ſuſtentabatur. Ex iis plerique collapſi: ſemiruti nonnulli; unus adhùc integer, ac ſolidus, hederaceis incultâ quadam venuſtate conveſtitus Corymbis. Tùm, contentâ magis acie, abſtruſa quædam penetravi loculamenta, ſtatuarumque Ædiculas, intercolumnia, columnarumque baſes prægrandes. Hinc Fani totius amplitudinem, majeſtatemque mecum ipſe admirabundus collegi. Et benè, inquit Fannius, ex unius digiti magnitudine Rhodii Coloſſi molem omnem deprehendere certo certius licet. Tùm ſtatim Lælius: Quoniam plura detegere, propiùſque accedere pendentes murorum non ſinebant ruinæ; monuit me comes Titus aliò ut pedem ferremus. Ut igitur extra Templum ad litus greſſum deflecterem, ſiſte, ex improviſo, hîc ad me Titus, atque intuere celebratæ olim propè Neptuni Ædem Porticus veſtigia ampliſſima. Vix loci ſitum ad contemplandum ſubſtiti; cum illicò in mentem venit, hanc illam eſſe, quam Tullius commemorans, *ò præclarum*, inquit, *Proſpectum! Puteolos videmus; at familiarem noſtrum Avianum, fortaſſe in Porticu Neptuni ambulantem, non videmus*. Cui ego: opportunè quidem Læli: Ipſiſſima illa eſt; ſed audi modò, quod latere T. Annium ſuſpicor citrà injuriam. Hoc nempè illi eſt Neptuno, Urbis Tutelari dicatum Templum; Cui, teſte Appiano, porrectis è Prætoriâ in mare extis, contra Antonium Puteolis profecturus Cæſar litavit. Hinc porrò eorum apud me vix ullam habet ſpeciem veritatis opinio, quibus id evulgatum, quod Adriano Cæſari Fanum hoc, ſepulchri loco, ab Antonino poſitum fuerit. Quamvis enim repertas inibi ſciam Adriani ſtatuas coronâ, & clamyde inſignitas; illud profectò oſtendit, inſtitutos ibidem in demortui honorem ludos, atque certamina ob vicinæ Urbis frequentiam, majoremque celebritatem;

Templum Neptuni magnificentiſſimum.

Nonnullorum ſententia rejicitur.

tatem; cùm cæteroqui ſatis exploratum habeamus; Adrianum in Ciceronis Villâ ſepultum. Hic ſtatim Fannius: Si fas eſt, inquit, Parthenie, & ipſe apponam calculum. Cui ego: effare, ut libet. Quid, tum ille, quid noſtræ, communique omnium ſententiæ refragetur, amabo te, qui dixerit, ad Neptuni è Tullianis Hortis deportatum Adriani Cadaver; quod ſummùm probare valeant cum Imperatoriis inſignibus educta indidem ſimulacra? & optumè, cui ego, optumè tu quidem Fanni addidiſti de tuo; idque veroſimilius reputo. Mox ad Lælium converſus: Age, inquam, quò pedem indè curioſus tuliſti? Et ille: Ad Dianæ, non admodùm à Neptuni longè poſitum lateritium opus, mirâ arte confectum; quadratum enim figurâ, foris; intus rotundum. At dicam ingenuè: anguſta moles, ac perexigua, ſi impenſiſſimus olim Puteolis in Venatricem Deam cultus ſpectetur. Cui ego: ſcin' Læli, quid cauſæ ſit, cur parva Ædes admirationi, ut quondam erat omnibus, tibi modò eſſe non potuit? Et ille: Num, inquit, quòd injuriâ temporum labefactata? Num quòd exciſa partim, ac deſtituta ornamentis? At quæ, tum ego, quæ (proh ſuperi!) ornamentorum copia! Quæ opes! Qui apparatus! Una præ cunctis maximum Fano pretium faciebat Tutelaris Deæ ſtatua, viſu pulcherrima, ſtaturâ enormis; quindecim nempè in altitudinem erecta cubitos, ac præter morem, geminis alis inſtructa. Illud porrò ad terrorem æque, ac voluptatem; quod latus dexterum ſervabat jubatus Leo; ſiniſtrum maculoſa Panthera; omniaque ſummo artificio elaborata. Mirandum planè opus, tùm ille, & ſacri plenum conſilii! Idque factum crediderim, ut Alæ Venatricis celeritatem, Belluæ Numinis in Lucos, Luſtra, & Feras auctoritatem, atque imperium ſignificarent. Moles denique immanis non admirationem modò, ſed neſcio quam in animos induceret arcanam Religionis vim, qua populos ad vota, & preces raperet vel invitos. Cui tum ego: conjectas optumè; *nec te cortina fefellit*. Hoc Fannius loco: Ut video, Læli, eò primùm curioſus animum applicuiſti, ut quæ Puteolis ad antiquam erga inanes Deos Religionem pertinent Templa conquireres. Ita prorſus, tum ille: Quid enim in Urbibus benè inſtitutis magnificentiùs invenias, quàm quod primos ſibi amores vindicet obſequium ſuperis, pompâ ditiori, ac ſuperbiſſimo apparatu præſtandum? laudo, tum ego, religioſum iſtuc in te, Læli, conſilium. Et quoniam cætera Puteolanæ Religionis vetera monumenta luſtraſſe te puto, per-

Elegans Dianæ Templi deſcriptio.

Enormis Dianæ Statua alis inſtructa, & quindecim cubitis alta.

perge, obſecro, ea enarrando percurrere: Complura ipſe ſubiiciam, quæ tu fortaſſis non pervidiſti, quæque Titus explicando non erat. Et ille: ubi, inquit, hanc teneo addiſcendi anſam, Parthenie, manibus elabi non ſinam. Poſtquàm igitur abundè ſatis de Dianæ Templo exploratum, alia magnique nominis indicavit Annius; quorum tamen nullum ibi, quod aliquando fuerint, vel leve veſtigium. Ex his, quæ teneo nomina (nihil enim præterea Titus commemoravit) hæc ſunt: Jovis Cuſtodis: Liberi Patris: Puteolanæ Urbis Geniorum: invicti Herculis: Serapidis; tandemque pulcherrimum, ut ajebat, Nympharum Delubrum; in quo illud oppidò mirificum prædicabat; perennem ſcilicet ad Ædem aquæ Fontem fuiſſe; cujus ea natura, atq; indoles, ut quantumcumque aut exhauſtis, aut infuſis undis, numquam vel aqua decreſceret, vel augeretur. Hîc ego: Complura, inquam, Læli, ex imperito magiſtro temerè coacervaſti. Nam primò Ædiculas in privatis domibus, Hortos, Villas, ac Rura, quæ Geniis dicata erant pro Templis Titus habuit, atque effutivit imprudens. Hoc me loco Fannius interpellavit, da veniam oro, Parthenie, ſi Annium hîc, aliqua ex parte purgatum velim: Quoniam anno elapſo, dum tecum unà ego, & Cotta Puteolana Rudera veſtigaremus, idem, qui Lælio dux, & Comes Titus acceſſit; narravitque tria olim Monumenta reperta, quibus hæ inciſæ notæ: *Genio Civitatis Puteolanæ*, & *Gen. Col. Put.* Atque ego, ſatis memini; quinimò duo erant lævigato ex lapide monumenta; ex Æreâ tabellâ tertium; hæc inquam memini; ſed quid tum inde? An quicquam eruas, undè Titum excuſes? Profectò ſi à monumentis hiſce, quæ inveneris ubique plurima, liceat Fana coniicere; nullus erit aut in Urbe locus, aut in Agro, quem non occupaverint Templa; cum nullibi Genio Monumenta non dicarentur. Ipſa etiam Balnea, Thermas, Horrea, Municipia, Centurias, Domus, Colonias, Amphitheatra, & quidquid ad vitæ uſum, voluptatemque pertinet, ſuperſtitioſa Antiquitas Geniis ſacravit. Ad hæc Lælius: Beaſti me, inquit, Parthenie; faciliùs extricari res iſta non poterat; perge porrò. Atque ego: illud præterea oſcitanter omiſiſſe, cum Herculis Templum indicaret, Titus videtur, quod erat planè dignum narratu. Inter Deos Tutelares præcipuum Puteolani habebant Herculem; quem adeò honoribus proſecuti, ut præter Vicos, & finitimos colles, Urbis Portam ab ejus nomine Herculeam, auſpice Trajano, vocaverint. Id quoque minùs ferendum, quod de Libero Patre aliquid, de Hebo-

Quæ Puteolis olim fuerint Baſilicæ, aut Ædes recenſentur.

Nympharum fons, ejuſque natura.

Puteolanis Hercules Tutelare Numen.

Hebone nihil prorſus te monuit. Cùm cæteroqui illud omnibus ſit in confeſſo, Puteolis, totique Campaniæ ſolennem Hebonis cultum fuiſſe. Paucis ab hinc annis ſtudioſiſſimo Antiquitatis Marco Brunio venere ad manus Puteolani aliquot cum græcis literis Nummi, quos inter, vir mihi amiciſſimus, unum oſtendit ſingulari notâ digniſſimum; præferebat hic alterâ ex facie criniti Apollinis caput; ex alterâ florentem Hebona Πετεολιτῶν. Hîc Fannius: ſine, unum rogem, Parthenie; idem ne hic Hebo, quem Jovianus noſter ſuâ in Uraniâ elegantiſſimè; & cujus ſimulacrum in Cryptâ Puteolanâ repertum memorat Falcus? Idem ipſe ipſiſſimus, tùm ego; quem ſcito, nunc omnipotentis Mithræ, nunc Serapidis, nunc Dionyſii, nunc Apollinis, nunc denique Hebonis nomine vocitatum. Quod vero, Læli, de Nympharum Fonte prædicavit Titus, id velim ſapiens introſpicias acie attentiori; non enim continuò portenti loco habendum, quod Naturæ ingenio fieri poſſe compertum eſt: Et primò, non id, ut ſingulare ſibi Puteolani vindicent: apud ſalentinos ſiquidem, juxtà Oppidum Manduriam, Fons ſalit uſque ad margines ſemper plenus, qui non minuitur quidquam quantumquantum aquæ exhaurias; neque augetur quidquam quantum quantum infundas. Præterea cauſam, quæ videtur utrique communis, paucis teneto. Fontes hujuſmodi per occultum ſubter terras canalem, cum aliâ ejuſdem altitudinis aquâ conjungantur, neceſſe eſt; ex quo fit, ut ſi quando ab iis Fontibus extrahatur aqua, continuò per aliam ex præfato canali repleantur; ſtatimque tantumdem ſufficitur, quantum natura exigit, ut æquilibrium ſervetur. Contrà verò, ſi fortè addantur aquæ, ob idem prorsùs rationis momentum, ad interiorem lacum influent illicò, quem vel à ſinu infra montem peramplo eſſe, vel diſtare longiſſimè dixeris, ut aquæ incrementum dignoſci vulgò non poſſit. Vix hæc, cum præſtò jam prandium eſſe monet Fabiolus. Cui annuentes, ſtatim è Muſæo unà omnes diſceſſimus.

CAPUT IV.

De Theatro, Amphitheatro, deque Tullianâ Villâ diſſeritur, datâque occaſione Carmen recitatur.

UBi frugali menſâ refecti ſummâ hilaritate ſumus, ad eruditos iterùm ſermones Lælium advocavi. Et, Age, inquam Læli, quæ tibi deindè ſpectabiliora Antiquitatis

Rude-

rudera commonſtravit Titus, facili tuo ſermone enarrato. Et ille: faciam, inquit, lubentèr; cum nihil mihi antiquius, quàm tuis juſſis obtemperare, eoque lubentiùs, quòd hujuſmodi intereſſe ſermonibus, tuâque uti conſuetudine didici non ſine lucro. Ut ad rem veniam. Poſtquàm Templa luſtravimus, Theatri cum Amphiteatro viſendi prima inceſſit Cupido. Jam quoad Theatri molem, ac Formam nihil ad me Annius, niſi unum illud: *Hìc erat*; locumque in Urbe indigitavit, ubi ipſa etiam veſtigia obruit vetuſtas; eundemque ſuis uſurpatum Hortis voluit Pomona. Magna oppidò urbanæ lætitiæ jactura! Itaque, tum Ego: præter Theatri nomen, ac ſitum, nihil Titus commemoravit? Et ille: nihil omninò. Nimis, hic Ego, jejunè nimis. Illud ſaltem innuiſſe ad ſingularis magnificentiæ laudem oportebat, Auguſto Inſtitutore poſitum, ordinatumque; quod colligi liquidò poterat ex inſcripto marmore olim indidèm eruto; in quo illæ ad Titulum notæ: *Genio Theatri Auguſti*. At plura fortaſſis de Amphitheatri ſuperbiâ retuliſſe ad te Titum putaverim. Ità enim verò, tùm ille. Primò mediâ in Urbe illud poſitum affirmavit, figurâ ovatum, ſummâque operis magnificentiâ extructum. Huic porrò parem patentis Areæ majeſtatem, in longitudinem nimirùm pedes CLXXII. in latitudinem pedes LXXVIII. exporrectam. Tùm veluti per manus duxit, ut multa circùm luſtrarem concamerato opere Ferarum Clauſtra. Hæc ut vidi, continuò in mentem venit Præſul Patriæ amantiſſimus D. Januarius ibidem à crudeliſſimo Timotheo feris objectus; atque hìc neſcio quo metu, ac pietate perculſus, primùm lacrymari, tùm ſtatim genu ſolum contingere, & centiès deoſculari. Cum ad me Titus: parce ulteriùs lacrymis, Læli, mox pietati fræna remittas, ubi non longè, ut vides, ſacram Martyri Laureato Ædiculam poſuit Dominicus Marcheſius, Puteolanus Antiſtes. Cui mox, inquam, alia ſibi poſtulat officia Sacellum; quo in loco memoriæ proditum ſcio detentum vinculis Januarium; hìc verò major tangit animum pietas, ubi feræ ipſæ, feritatis oblitæ, ad clementiſſimi Præſulis pedes provolui, eoſque miro modo allambere viſæ ſunt. Hìc Ego: laudo, inquam, Læli, atque amo eximium iſtum in communis Patriæ Patronum amorem tuum. Doleo tamen vehementèr, quòd illa olim Area, in qua dejecto, ac penè proſtrato inanium Deorum cultu, tot inter plauſus, atque orthodoxæ Fidei portenta triumphavit Religio; noſtrâ hac tempeſtate aſperis obſita

Auguſtus Puteolani Theatri Inſtitutor.

Ampliſſimi Amphitheatri ſitus, & figura.

Quæ ipſius longitudo, & latitudo?

Ferarum Clauſtra.

Quæ feritatis oblitæ ad D. Januarii pedes ſe provolverunt.

ſenticetis, in tanto jaceat ſqualore, & ſitu. Quid quæſo eſt, cur Populares noſtri, majoribus in dies beneficiis obſtricti, ſi non exornatam ingenti, at ſaltem tenui velint purgatam ſumptu; ut ipſi minimùm lapides, arena, lateres, Porticus Januarium benemerentiſſimum Tutelarem, Vindicem, ferarum ac Tyrannidis Domitorem eloquenti ſilentio perenniter prædicarent? Sed quid facies? hîc ad me Fannius; in difficillima, Parthenie, incidimus tempora; atque adeò, utut laudabilis, infructuoſa tamen querimonia, & caſſa. Tene jam curſum inceptæ narrationis, Læli. Et ille: poſteà verò quàm paulisper ad dictam Ædem, ut Sacra recolerem monumenta ſum immoratus: Age, inquit ad me Titus, & pedem retrò flectamus. Vide ſis quæ ſuperſunt multiplici ordine ad ſpectandos ludos pro dignitate diſtributa ſubſellia. Hæc porrò ut mirabundus circumſpexi, non procùl in labyrinthum, funali priùs accensâ tedâ, duxit me Annius. Vix ingreſſus per ſubterranea oſtiola fornicato opere Ædium ambages, Ducem monui, gradum ut illicò revocaremus; ſatis obſervatum de Ædificii genere, de Pilarum magnitudine, duriſſimâque, ac delicatiſſimâ parietum incruſtatione. Timui quippè, ne ſi ulteriùs viarum occurſus, recurſuſque cæcos tentarem, vel negaretur exitus; vel Cretico Minotauro nocentior aliquis ex putri loco ſerpens occurreret. Cui Ego: Puerilis iſthæc formido riſum excutit, Læli. Quotidiana illic advenarum frequentia metum abs te poterat omnem abigere. Dic, amabo te, quid reliqui de Amphitheatro Titus? Et ille: nihil prorſus. At omiſit, tùm Ego; nonnulla, quæ cæteroqui ſunt eruditis exploratiſſima. Illud in primis, quod Auguſtus Cæſar ſua cuique Ordini ſubſellia publicis in ſpectaculis juſſit addici; ne quam Romanis Patribus injuriam, ut anteà, videret illatam; cum in frequenti Theatro nobiliſſimum Senatorem nemo unus è Puteolanis recepit. Id prætereà, quod ad vulgi ſermonem, fidemque ſubterranea illa circùm Ædificia labyrinthum fuiſſe affirmavit; cùm circumducti fuerint Euripi, arcuatæque Cryptæ immittendis, atque aſſervandis aquis ad ſpectantium commoda elaboratæ; ſi remotiorem à vulgo, certioremque ſententiam conſectari velimus. Illud poſtremò, quod ad Puteolani Amphitheatri ſuperbiam facit quàmmaxime: à Nerone ſcilicet Thiridatem, Armeniæ Regem Ludis ibidem ſplendidiſſimè acceptum, ut indè barbarus Princeps aliquam Romanæ amplitudinis partem cognoſceret; ea enim apparatus pompa, ea magnificentia, & ſumptus, ea deni-

Ædicula, ubi vinculis D. Januarius detentus eſt.

Labyrinthus, ſubterraneum mirumque opus.

Auguſtus ſua cuique ordini ſubſellia addixit.

Labyrinthus, locus aſſervãdis aquis accomodatus.

Munificentiſſimi Thiridati Regi a Nerone parati ludi.

nique Civium, atque exterorum frequentia, ut neminem, præter Æthiopas ſolido unius dici ſpatio caperet Amphitheatrum. Atque hic illud memorandum roboris ſui ſpecimen præbuit Thiridates, ut uno nimirum ictu duos Tauros, toto plaudente Theatro, confoderet. Vix hæc, cum Lælius: Iſta ne, inquit, Parthenie, expectarem ab Annio? Hæc, inquam, nonniſi de penu tua depromenda. Sed ageſis, tùm Ego, & quæ ſubindè veſtigaſti, ſcitu digniſſima, enarrato. Ut pedem, tum ille, ex Amphitheatri areâ extuli, ſtatim ad me Titus, unum, inquit, neque hinc longè poſitum viſendum ſupereſt mirum oppidò Ædificium, aquis etiam factum ſervandis; undenis ingenti magnitudine innixum pilis, craſſo muro, opere lateritio, duriſſimo æquè ac delicatiſſimo circùm tectorio ſuper inducto. Cui tum Ego: Piſcinam, ut ajunt, mirabilem poſtquam Bajis vidi, id genus operis aliud nauci faciendum puto. Quod pervidere vehementer aveo, Villa eſt Tullii celebratiſſima, maximum agri Puteolani ornamentum. Hoc, tùm ille, æquiſſimum poſtulas; literato enim viro turpe eſſet ea, cum facilè poſſit, non inviſere loca, quò turmatim, vèl à longinquis regionibus Advenæ quotidiè confluunt: at quoniam longiuſculum iter, gradus grandire eſt opus. Et grandiamus tum Ego. Ubi porrò, nec ſine defatigatione eò perventum eſt; loci amænitas amæniſſima viæ moleſtiam omnem deterſit. Diù enim ſummâ animi voluptate correptus hæc mecum ipſe volucbam: o feliciorem Athenis omnibus Minervæ Puteolanæ Sedem, atque Receſſum! Hìc ille ruſticabatur omnium gentium defenſor, ſuaviſſimus Romanæ eloquentiæ parens, mens Curiæ, vox fori Tullius. Hìc illum de Philoſophiâ diſceptantem triumphalis Cæſar: illum Imperator Auguſtus: illum Conſules, cæterique Romanæ Reipublicæ præſtantiſſimi viri, alterum veluti Latii Platonem audiebant. Hìc deambulabat in Xyſto: hìc ſcribentem Pallas excipiebat: hùc demum gentes univerſæ, tanquam ad probitatis, ad Juſtitiæ, ad Sapientiæ domicilium undique commeabant: Et citra invidiam, hìc Fannius, Athenarum exemplo, potuit hanc Tullius Villam jure optimo Academiam vocare, indèque Academicas quæſtiones inſcribere. Sed age, quæſo te, Læli, quæ ibi tandem monumenta luſtraſti? Et ille, ſatis, inquit, dolui ex animo, Fanni; quòd celebratiſſimus Muſis omnibus locus nunc ovium paſcua redoleat; nunc referat Paſtorum jurgia, qui divinis olim eloquentiæ vocibus reſonabat. Quanquam enim Ædificii amplitudinem id, quod

Thiridatis robur, & dexteritas.

Piſcinæ mirabilis opus Lucullo adſcriptum.

Amæniſſima Ciceronis Villa.

Athenarum exemplo Academia a Tullio nuncupata

In ea Academicas Quæſtiones in lucem edidit.

 parie-

parietinarum ſuperat, palam facere videatur; perexigua tamen apparent Academiæ veſtigia. Adhùc namque compacti lateres ſuſtinent muri partem: adhùc deprehendi facilè poſſunt Stylobatæ, intercolumnia, & fornicatæ molis ſtructura. Cui Ego: vera prædicas tu quidem Læli; & jacturam hanc vel ipſe dolerem maximè; ni qualis illa fuerit ſitu, amplitudine, amœnitate graphicè Plinius ad memoriam Poſteritatis ſempiternam deſcripſiſſet. Hæc, ſi benè memini, Auctoris verba: *digna memoria tu Villa es ab Averno lacu Puteolos tendentibus impoſita litori, celebrata porticu, quam & vocabat M. Cicero Academiam ab exemplo Athenarum, ibi compoſitis voluminibus ejuſdem nominis; in qua & monumentum ſibi inſtauraverat; ceu verò non in tóto Orbe terrarum feciſſet. Hujus in parte prima, exiguo poſt obitum ipſius, Antiſtio Vetere poſſidente, eruperunt fontes calidi ſalubres oculis, celebrati Carmine Laureæ Tulli, qui fuit è libertis ejus.* Hìc Lælius: da, quæſo te, Parthenie, hanc mihi anſam diſcendi: Carmen, niſi id tibi moleſtum fiet, recitato. Atque Ego: jube, inquam, ut Fannius dicat. Tum Fannius: Ego, quippè qui auditor, diligenter attendam: Tu Parthenie, quippe qui Præceptor ediſſere. Quibus Ego: quoniam jubetis, audite.

Quæ Villæ ſuperſunt veſtigia.

Qualis fuerit, à Plinio deſcribitur.

Elegantiſſimum Antiſtii Epigramma.

Quo tu Romanæ vindex clariſſime linguæ,
Sylva loco melius ſurgere juſſa viret.
Atque Academiæ celebratam nomine Villam
Nunc reparat cultu ſub meliore Vetus.
Hìc etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuſo lumina rore lavant.
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope;
Ut quoniam totum legitur ſine fine per Orbem,
Sint plures oculis, quæ medeantur aquæ.

Vix hæc, cum ad me Fabiolus: Here, pultavit modò oſtium Puer, Sportulam cum Epiſtolio ferens Neapoli. Cui tum ego: Reſeraſti fores? Ita enim verò, tum ille, & ad Periſtylium præſtolatur. I citò, tùm ego, advola, eumque ad nos introducito. Ut autem Puer acceſſit: benè, inquit valeatis: Hanc Fannio Epiſtolam Balbus: Bellariorum Ciſtulam Parthenio plurimâ cum ſalute dedit tradendam. Cui ego: opportunè, inquam, atque Avi bonâ veniſti. Tu interim Fabiole bellaria ad ſecundas menſas ſervato. Tu Læli ſtatim ac remigraveris, maximas meo nomine gratias Balbo agas velim. Tu demum Fanni literas reſignatas perlegito. Interea loci vix Pueri receſſere, cùm Fannius elatâ voce: BAL-

BALBUS FANNIO SUO S. P.

Vt habes te, mi Fanni, in Puteolanis deliciis? Perbellè credo; cùm nullibi hac tempeſtate aër ſit clementior, locuſque ad ruſticandum commodior. Illud tamen quàm primùm abs te reſcire aveo; Quid iſthîc noſter Parthenius, quid tu cum illo? Hyematis certè eruditè; at quibuſnam potiſſimùm ſtudiis otioſum frangitis diem? ſtrictâ ne numeris, an ſolutâ oratione? Mihi crede, ſuaviſſime Fanni, interſum animo veſtris ſermonibus, ſi abſum corpore; utque abſentiæ moleſtia aliquantulum caſtigetur, veſtras aſſiduè mecum ipſe confabulationes revolvo, & gratas videor audire, & reddere voces. Sed hæc coram. Illud eſt modò, in quo & operam tuam, & te totum requiro. Nudiùs tertius in Olympiæ tractu ego, & Aſinius fortè fortunâ occurrimus Surrentino Antiſtiti, omnigenæ, ut noſti, literaturæ Viro, quîcum facta de aliis, aliiſque rebus mentione, de noſtro tandem Parthenio incidit ſermo; rogavitque, quì valeat, quàm hilariter, & quandiù in Aniano manſurus? Proſpera omnia ſignificavimus; eo vel maximè, quod tecum unà; cujus ingenium ad ſtudia, amænioreſque diſciplinas factum, neſcit ab alio fonte, quàm ab uno Parthenio, voluptatem haurire. De morâ nihil omninò; niſi quod feriis hiſce tranſactis, huc de more ſit reverſurus. Benè eſt, tùm ille; ſed ne vobis excidat, rogo, Parthenium meo nomine ſalutatum velle, admonitumque præterea, ut operi, quod eſt ad manus velit aliquando ultimam manum imponere; inſeratque, de novâ Æde quam Partheniæ Genetrici Parthenius inſtruxit, elegantiſſimum carmen; quod ſe non legiſſe modo, ſed iterùm, ac tertiò reguſtaſſe, & vix denique adductum, ajebat, ut per Tabellarium remitteret. Vt Antiſtitis amantiſſimi mandatis obſequerer, hæc ad te ſcripſi: ſimulq; tenue munuſculum, quod verbis meis Parthenio ſuaviſſimo ſiſtas, mitto: nolui enim leviſſimâ hac de cauſâ ad ipſum literas dare; ne fruſtrà eruditi ocii particulam ſuffurarer. Illud porrò in Epiſtolæ calce; ut ſummâ, qua polles, dexteritate laudatam à laudato viro opellam à Parthenio impetres, mihique legendam confeſtim mittas etiam, atque etiam oro. Vale.

Perlectis vix Fannius literis, ſtatim ad me: Quid iſtuc, inquit, novi carminis, Parthenie, quod nuſquam memini per te excuſum? Cui tum ego: ut properato illud ſtylo malè tornavi, confeſtim de manibus excuſſum

fuit

fuit; aliorumque antè in jus venit, quàm poſſem detrimenta ſarcire. Hoc Lælius, & Fannius loco: Qualecumque ſit carmen, ſine, rogamus hîc ambo, ut ſtatim frui liceat. Quod ſi grave tibi eſt recitare, legendum tradas. Quibus ego: Inurbanus ne ſim, do manus. En habeo in vidulo exemplar, ut à meritiſſimo Antiſtite nuper eſt traditum. Tu Læli, ſiquidem junior, clarè perlegito. Et ille, præſto ſum, inquit, elatâque occæpit voce.

AD NOVAM ÆDEM,

Quæ Virgini Deiparæ in Surrentino inſtruitur.

CARMEN.

PArthenidi ſacram qui cernis ſurgere Molem,
Cernis amoris Opus. Faber eſt operoſus, & ampla
Si quis adeſt, molitur Amor; ſatis omnibus una
Illius ars cæptis: uno vis omnis in illo eſt.
Regia Parthenius ſatagit dum tradere Chartis
Facta, per Æſtivos deducens otia menſes,
Et Surrentinæ delibans ubera terræ,
Ecce levis feſſo Sopor ingruit; ægraque docto
Rupe ſub umbroſâ furatur membra labori.
Ilicet Eöus, quà pandit Limina, Titan
Viſus adeſſe ſibi, Zephyroſque agitare jugales
Divorum in Sedem, loca ſtructa micantibis aſtris;
Et nitidum ſtellis ſulcare curulibus æquor
Illìc, quà medio fulgens patet Area Cœlo.
Nàm (Somni ſic viſa ferunt) ingentia Templa
Cælicolæ urgebant hilares, ſtudiiſque fremebant
Inſtantes Operi: mora nulla eſt grata labori,
Nec requies; ſtimulat manibus fabricanda beatis
Parthenidi Domus altiſonæ: ſonat omnibus una
Parthenis in linquis, unum alta per Atria Nomen;
Dum fervet labor, & cæptis ſublimibus inſtant,
Ora replet Superum, & ſacros accendit amores;
Unum cæleſtes operas ciet; ergo frequentes
Hùc, illùcq; meant, & voto quæritur omni
Pars opere in tanto; nec quiſquam muneris exſors
Eſſe cupit; labor hic cœlum beat, Ipſe Redemptor;
Dux-

Duxq; operis micat in mediis, urgetq; volentes
Divus Amor, celeriq; volans obit omnia pennâ,
Partiturq; operas, & nunc ſua cuilibet inſtans
Munia deſcribit, ſua nunc obit ipſe viciſſim
Penſa, manumq; operi tanto admoviſſe ſuperbit.
Audiit in terris, & pars avet eſſe laboris
Siren ſurrentina, ſuæ conferre Parentis
In decus ardet amans, refugitq; ingrata videri,
Siren Surrentina ſatis uberrima campis,
Temperieq; maris, tepidiſq; ſalubrior auris.
Ergo parat Cœlo ſua munera ferre, futuri
Materiem Templi, jam dites impigra venas
Solicitat, fuluæq; potentes ubere maſſæ
Rimatur latebras: immenſæ montibus imis
Effodiuntur opes; ſonat aurea gleba ſub ictu.
Nec minùs & ſylvas, Divâ nutante, per omnes
Procumbunt Ebeni annoſæ, pretioſaq; Cedri
Brachia deciſæ ponunt, nec ſeciùs album
Parthenidi ſacrum vovet indica bellua dentem.
Sed non his contentus amor, ſubit ocyor omnes
Nympha lacus, penituſq; humentibus abdita Regnis
Gangis, & Oceani Gazam, decus omne Profundi
Gemmiferæq; ſolum latè populatur arenæ.
Mox adamante graves ſcopulos, atq; intima ſaxa
Inclyta prædatrix ſubit, hærenteſque lapillos
Avellit fibris Silicum, dehinc æquore ab omni
Poſtquam legit opes, plauſtris ingentibus effert;
Mole gravant terras, affectantq; æthera currus.
Jamque vias tenues nimborum, & inania cuncti
Æquora corripuere, ſub agmine conditur aer,
Miſceturque rotis, volat aurea gaza per auras.
Nympha præit cunctis, atque alipedes Elephantos
Quadriugos urget, curruq; ſupervolat aureo.
  Vix ſola deſeruere, & jam ſupera ardua pulſant:
Panduntarq; fores orientis, & ampla pateſcunt
Atria Cœlicolûm, queis ſe ſuaque ocyus infert.
Dona ruens Siren non vilior Itala cultu
Deliciis ſubnixa ſuis; cætuq; ſororum,
Et levium Zephyrorum auris ſtipata beatis.
Ut ſtetit, Ætherei quà fervent orſa laboris,
Magnificas effundit opes, geſtitque tueri
Arte laboratas Divûm, dignaſq; ſacrari
Parthenidi Magnæ: ſedenim quis credet! Amori
Viſa levis nimium, ac cæptis ingentibus impar
Materies tanta; & veſtræ nil, dixit, egentes

Aut

Aut opis, aut gazæ ſuperi ſumus; eſt ſua Cœlo
Copia, nec pretio Terrarum æquanda, nec arte:
Tantum effatus; & ad molimina magna paratos
Oſtentat lapides; iſtos ſibi nuper in uſus,
Collibus æternis superûm, ſacræque Sionis
Montibus exciſos: non auri fulget in illis
Argentive nitor, non vivax flamma pyropi,
Stellarumq; faces, aut Lunæ candidus ardor.
Major honos lapidi, gemmis, & lumine major
Mygdonio, ſuperiſq; micantior ignibus ignis.
Tale jubar Phœbi, talis ſolia alta Tonantis
Ornat materies, & Divûm lumina paſcit.
Ne tamen ingratum meritò quereretur amorem
Siren Surrentina, videns ſua munera ſperni;
Eſſe operis partem terreſtris munera gazæ
Sivit amor; ſed, quæ terris ſit proxima, partem
Scilicet immenſæ jacit ad fundamina molis.
Quà ſola foſſa patent, fauceſque voraginis altæ,
Congeſſit telluris opes; data ſigna ſequuntur
Siderei Fratres, pretioſaque gurgite vaſto
Demittunt cæmenta, infoſſaque ſidera condunt.
Tantum opus, æternas Divæ conſurgere ſedes!
Ventum erat ad muros; queis ſole micantia ſaxa
Condendis aderant: ruit officioſa juventus,
Nobilitas pennata: ruunt heroica turma,
Aſſerti Cœlo Proceres; dum vita manebat,
Plebs quondam, & mortale ſolo genus; ad ſua cuncti
Penſa volant; lapidemq; ambit geſtare, rapitq;
Haud mora, quiſq; ſuum; geſtator plus nè coruſcet,
An lapis? Incertum eſt; gemini dant lumina Solis:
Hic geritur, gerit ille: micant ſpatia ampla, Tonantis
Aula quod invideat, longa ignea ſemita lucet
Pondera geſtantûm, & rutilâ ſub mole micantûm.
Quadrat amor lapides, certâque explorat amuſſi
Incumbens, Divæque inſcriptos nomine mittit.
Ipſe manu tenerâ gaudet ſubvoluere moles
Saxorum immenſas, ſubjectatque alite dorſo,
Et plumâ grave geſtat onus: jamque omne peractum
Extat opus. Quid non fingunt ſibi ſomnia? cœpta
Vix duci moles, jam tantum vertice ſupra
Sidereamque Domum, convexaq; ſurgit Olympi;
Quantum humiles clivos juga ſumma, caſaſq; jacentes
Deſpiciunt; tollunt faſtigia celſa columnæ
Dorides, & facies nitet omnis Dorica Templi.
Intereà non antè operâ ſpectata ſub omni
Sic agitat ſimulacra levis volitantia ſomnus:

Im-

Improviſa ſtetit mediâ teſtudine templi
Parthenis Aligerûm cœtu ſtipata beato;
Singulaque admirans, ſatis eſt, exclamat; & omnis
Reſponſat, ſatis eſt, latè locus; alta Tonantis
Regia, Chriſtiparâ carmen præeunte viciſſim,
Sacram iterat vocem; ſatis eſt, juga ſancta Sionis,
Et ſatis eſt, ſtellæ; ſatis eſt ipſique remittunt
Artifices ſuperi. Cunctis Amor obſtitit unus;
Nec ſatis eſt, dixit contra, ſed rettulit unum
Amplius, aſſenſere omnes; atque Amplius, unâ
Voce ſonant. Ergo juvat inſtaurare labores
Acriùs, atq; novum decori decus addere primo.
Si quod adhuc ſupereſt arti decus, ire colorum
Pars amat in fucos, pars ſculpere ſaxa figuris;
Ignotæque animant mortalibus omnia formæ.
Ampliùs intereà ſuperis in collibus unum
Frangitur in dulces modulos, interque laborem
Aſſiduo reſonat cantu, quo carmine moti
Ad numerum lapides (quondam ut mentita vetuſtas
Credula Dyrcæis feciſſe Amphiona terris)
Sedibus exiliere ſuis. Cæleſte choreas
Marmor agit; ſaltu tolluntur grandia ſaxa
Compoſito, ſaxiſque ultrò ſe grandibus addunt:
Nec requies lapidi datur, injuſſoque labori;
Donec ſtent nova tecta, & Templi limina circùm
Atria porticibus ſurgant prætenta ſuperbis.
Omnia cælicolæ divinis artibus augent;
Incumbuntque operi: Media inter talia pennis
Adſtitit allabens ſuperis, & talibus ora
Soluit Amor dictis: ſurgunt opera inclyta cœlo,
Quæ Terris imitere tuis: ſunt debita Terris
Parthenidi, Siren, quæ Surrentina beatos
Seceſſus habitas: pars maxima nobilis auſus
Ipſe adero cæpti Dux, & Comes: ipſe ſuperbi
Dicam operis leges. Superas Amor uſque ſub Arces
Parthenidi tollet Delubra; tuoque labores
Magnificus Divùm cedat labor. Hæc ubi fatus,
Nectare perfuſam ardenti ſub pectore tædam
Fixit, & in tenuem cum ſomno evanuit auram.

Ut de ſcripto Lælius recitavit; ſibi Fannius temperare non potuit, quin illicò aſſurgens: o beatas, exclamaret, lautiſſimæ Muſæ delicias! Uſqueadeò liquidiſſimam hanc animo meo voluptatem, Parthenie, Fortuna ne an caſus invidit? Et Lælius: bonus, inquit, Antiſtes non ſine cauſa inſerendum operi carmen tam enixè rogavit. Equidem, ſi quid

ſi quid valeo indicio meo, illud puto difficile definitu: admirabilior ne in condendis verſibus nitor, an in argumento excogitando ingenii acies? Ad hæc tum ego: næ mihi vos demulcetis leniter caput. Non id mihi amens arrogem, ut laudi vertendum cenſeam, quod amicè facitis. Intereà loci, cum ad veſperam declinaret jam dies, monuit me Lælius, Neapolim recurrendi copiam ut facerem. Cui, tradendam Balbo opellam, ubi ego, & Fannius demandavimus; ſolutis de more officiis, ille confeſtim Ciſio invectus Neapolim rectà contendit.

CAPUT V.

De Neapolitana Crypta, & Virgilii Maronis Tumulo cum Amicis diſſeritur.

BInos jam dies continuerant nos domi ſolutiſſimæ pluviæ; cum nitens ex inſperato dies, & quàm maximè amœnus ab illis tertius illuxit. Quapropter, ut placidiſſimâ illâ fruerer Cœli clementiâ, atque iners jam biduo corpus motarem, ad me Fannium accerſivi. Hic præſto cùm adfuit: deſcendamus, inquam, in Hortum, ne ſolitâ intermiſsâ corporis exercitatione torpentes diutiùs contabeſcamus. Atque ille: Laudo conſilium; at quid ni viam Ruris protritam teneamus? Sic longiuſculâ ambulatione, & contractum detergemus ſitum, & Cruditatem ſtomachi concoquemus, & Sexto Nigro denique, qui per literas hùc ſe venturum promiſerat, occurremus. Cui tum Ego: in tuam iſtam, Fanni, ſententiam pedibus irem, niſi lutulenta nimis via, & (quod nocentius) quaquà verſum nivali Boreæ foret expoſita. Quo circa ſalubriùs duco, ſi curſitemus per Xyſtum; tùm quòd tutus ab Aquilonibus ad meridiem quantus quantus eſt, patet: tum etiam, quòd ſiticuloſum æquè, ac ſolidum poſitum habet in loco ſolum ſenſim declivi. Quid demum? quòd Sextus Niger, aliâ per Anianum viâ ad nos poteſt contendere. Hìc ille: benè tu quidem mones, jam maturemus; at commendatum anteà Fabiolo velis Amico hoſpiti prandium. Cui Ego: datum Puero penſum, quod accuraſſit lepidè, priuſquam te accerſerem. Nihil igitur eſt moræ factum ulteriùs; acceptiſque bacillo, ac petaſo in Hortulum perreximus. Inter deambulandum ſic me Fannius compellat: ne iſtuc, inquit, Parthenie abeat ſine lucro ocium, illud te oro, ut inceptam heri de Neapolitanâ Cryptâ, quà Puteolos itur, diſſertationem abſol-

abſolvas; ſcis enim in omnes addiſcendi occaſiones me quaſi de ſpeculâ imminere. Tetricus ne, tùm ipſe, ſim adeò, ut renuam? Si tibi Iubet, per me factum. Tenes, ut credo, anicularum illud commentum, fuiſſe Cryptam à Virgilio magicis incantamentis perfoſſam? Teneo, inquit ille; imò Petrarchæ teſtimonium, & Roberti Regis verba ipſiſſima, quæ in medium protuliſti, in promptu habeo. At undè, quæſo te, data eſt hujuſmodi fabellæ anſa? Cui Ego: facilè eſt conjectare. Nam pervulgatum illud, ac tritum, quod magicis eo in monte incantamentis operam dederit Maro, cum ſeverus habitu, ac triſtis ibidem tanquam in ſecretiſſimo receſſu domicilium locaverit; eidemque prorſus vulgi figmento mirificum planè opus præſidium fecit. Hìc Fannius: veroſimilia quidem iſthæc; Vulgi enim animis nihil religioſum minùs, nihil credulum magis; ubi præſertim de ſpectris, oſtentis, atque hujuſmodi magicis cantaminibus inſanus rumor ſenſim crebreſcit. Sed pergeſis, te amabo. Fuit adhùc, tùm Ego, & novæ locus fabellæ, quam graphicè adornatam non nemò in medium protulit. Cum ea quondam loca, quæ circa Lucrinum ſunt, Avernum, & Bajas habitarent Cimmerii, ut obſcuris more ſuo caveis inter ſe commearent, ſubterranea ibidem effodere ſibi ſpeluncas, egeruntque paſſim Cuniculos, ac metallorum fodinas; potiſſimùm verò, ut Divinationes ſuas, Diiſque Manibus Sacra peragerent, ſedes iis in locis aptiſſimas paraverunt. Poſt Cimmerios Græci in eam Regionem venere; quæque in Thermas, Balnea, vias publicas, alioſque in uſus poterant permutari, permutarunt cavernas. Poſt Græcos autem qui in eum ſinum appulere Romani, auxerunt vetera, nova etiam Ædificia moliti magnificentiùs, Coccejo quodam Auctore, per longas foſſas, & Cryptas, ab Averno Cumas, à Puteolano Neapolim uſque ſubterraneas vias ducente. Audiſtin' Fanni? Ità planè, tum ille: at pace dixerim tuâ, Parthenie, non iſthæc mihi fabuloſa, primo aſpectu videntur. Scio enim Cimmerios, antiquiſſimos olim Campaniæ populos, ſuperſtitioſos homines, ac furaces antra, & Cavernas incoluiſſe; iiſdem deinceps Græcos, Græcis pariter ſucceſſiſſe Romanos. Cui, benè eſt, inquam Ego. Sed quid tum poſtea? facile eſt, Fanni, per ambages longiſſimas, fucatis mirâ arte mendaciis vera etiam involuere, ac permiſcere. Quotiès falſa quidem, ſed blanda veritatis ſpecie homo homini palpum obtrudit? An non ſimiliora veris quandoque ſunt falſitati reapſe magis obnoxia? Verùm

Maroni opus attribui, anile commentum.

Unde nam ortũ traxit fabella?

Novus Fabellæ locus præcluditur.

rùm eſto, Fanni, Bajas inter & Cumas primi olim Cimmerii juga, & Convalles inhabitaverint: effoderint etiam, ut lubet, ad Avernum ſpecus ingentes: & ſubterranea ibi domicilia, eaque omnia, quæ Feſtus inquit, veriſſimè effecerint; ideò ne ab ipſis Neapolitanam Cryptam initia habuiſſe mihi ſuadeam? Quid enim primùm Cumis, ac Baiis cum Urbe noſtra? Ampliores oppidò, quàm ut poſſet occupare fugax Cimmeriorum Colonia, Valles interjacent, Campique Cumas, & Bajas. Porrò autem: eo ne latrones ordine, Cavernas, atque Antra paraverint; ut eorum inſiſtendo veſtigiis, hàc illàc in diverſa tendentibus, tàm indè rectâ, tàm longâ ad commune bonum perfosſâ Cryptâ uteremur? Iſthæc, quæſo te, Fanni, relinque Cimmeriis ſomnia. Atque ad Coccejum, quem ex hiſtoricis noſtris plerique Cryptæ hujus volunt auctorem, convertamùs aliquantiſpèr ſermonem; quamquam hìc etiam cimmeriæ tenebræ. In eum omnes inclinant; quis verò fuerit: an Neruæ Imperatoris avus, an eodem nomine Architectus, an ditiſſimus ex equeſtri ordine alius quiſpiam, inter ipſos non conſtat. Eſt qui dierum quindecim ſpatio centiès mille ſervorum operâ Cocceii juſſu perfoſſam: eſt qui Cocceii ejuſdem operâ, atque conſilio cæptam, perfectamque aſſeverat; Id verò qua nixi authoritate, quo temporum diſcrimine, quademum Cocceii notâ (plurimos enim legimus eo nomine illuſtres Viros) pronuncient, non ſatis video. Res oppidò incerta. Utut autem dè certo inter latinos Auctore penes me non leve ſit dubium, certiſſimum tamen illud, quod Romanæ Gentis potentiſſimus aliquis fuerit Imperator. Neque id mihi addubitandi locum relinquit; ſatis quippè quid Romani Cæſares poſſent ex aliis abundè cognitum monumentis, quæ vel perfecta, vel incæpta ſolùm inter Orbis miracula numerari meritò poſſunt. Quod videſis, ut apertiſſimè comprobatum ex magnis magnorum operum, quæ hoc ipſo in agro, ad Romanæ oſtentationem potentiæ, adhùc extant veſtigia. Mitto, ne longus ſim, ferro exciſa præruptorum Montium latera, ut ad delicias in flexuoſum ſinum mare immitteretur, quò commearent ad piſcationem Cymbæ, ubi modò ſtagnat Anianum. Mitto etiam derivata per ſubterraneos Aquæductus longiſſimo flumina intervallo; aliaque id genus ſexcenta. Illud ſupra fidem certè, ſed infra Neronis audaciam opus ſatis ſit innuiſſe, quod ſuperbiſſimus Imperator excogitatum jamdiù, teſte Svetonio, moliri tandèm occæpit, Avernum nempè ad lacum excavatam immen-

Num Cryptæ Coccejus Auctor?

Romanorum certè Imperatori opus adſcribendum.

Conficitur à ſimili.

Maximè à Neronis Foſsà.

menſo propemodum ſumptu Foſſam videmus, quam Neronis adhùc vocant Indigenæ; unde ad Oſtia uſque Tiberina Quinqueremes Imperatoriæ ultrò citròque iter haberent expeditiſſimum. Papæ! hìc inquit Fannius: quid majus Artis induſtria, ingenii ſuperbia, Imperii vires, ipſius denique Neronis inſania tentare umquam potuere? Equidem puto, Parthenie, jucundiſsimum futurum fuiſſe iter, & compendii plurimum navigantibus allaturum: quòd tutò naves per maris aquas extrà maris pericula commeaſſent; niſi operi perficiundo fortè longinquitas obſtitiſſet; quam, præter difficillimæ ſtructuræ molem, eſſe paritèr non mediocrem reor. Ità enim verò, tum Ego: non parva profectò, quæ centiès ſexagiès mille circiter paſſus attingeret longitudo. At non hæc fuit in cauſa, cur incæptum opus deſtituit Nero. Sed (ſi laudato nuper Authori fides) poſtquàm Cæſar congeſtas rapinis ingentes opes profudit, manum ſubducere Ærarii inopiâ coactus eſt. Quid non arduum, hìc Fannius, quid non ſupra hominum expectationem aggreſſi, tùm potiſſimùm perficere Romani, cum opibus, gloriâ, amplitudine floreret maximè Imperium? Abſtine, quæſo te, plura Parthenie; hac ſuper re jàm nullus ambigo. Tanti operis molem unis tribuendam Romanis, firmiſſimè tecum ipſe aſſevero. At, quamquam in definiendo nùper Authore, ut tute videbaris, hærebas; quò ſaltem inclinet animus, dic ſodes, amabo te. Cui ego: Res quàm quæ maximè implexa, Fanni! Si majori ſcriptorum numero fides, in Coccejum, ut noſti, plures propendent; in quo ipſo circumſcribendo, quantùm inter ſeſe ipſi diſſentiant, jam modò audiſti. Quocircà illud flagitanti reponam ingenuè: Facilius mihi tanto in diſcrimine quid non ſentiam, quàm quid ſentiam, exponere; ancipiti adeò verſor in loco, totque diſtrahor ſententiis, ut illam ipſam denique amplectar, cui peritiſſimus antiquitatis adſtipulatus etiam eſt Blondus: Ignotum ſcilicet nobis certi nomen Authoris. Verùm, ni grave ſit, hoc Fannius loco, unum ſcitari lubet, Parthenie: Ullanè de L. Lucullo conjectura? hunc enim, quod apud noſtrates Hiſtoricos memini me legiſſe, perhibent etiam perfoſſi montis authorem. Nempè, tùm ego, Lucullo cryptæ opus attribuunt, Fanni, qui Varronis ſententiam perperam interpretantur, detorquent peſſumè. Ecce tibi, quæ in promptu habeo, ejuſdem verba ipſa, ipſiſſima: *Contra Neapolim L. Lucullus poſtea quàm perfodiſſet montem, ac maritima flumina immiſiſſet in pi-*

Leviſſima de L. Lucullo conjectura refellitur.

ſci-

ſcinas, quæ reciprocè fluerent, ipſe Neptuno non cederet de piſcatu. Ecquid hinc eruat ſanæ mentis homo, quod ad rem faciat hilùm, & Cryptæ huic quadret ullo modo? Numnàm maritima in eam, quaſi in piſcinam, flumina immitterentur? numnàm excipi maris aquæ poſſent, indèque continuò reciprocari? nùm tandèm opimæ in eâ Piſcationes, quamobrem Neptuno ipſi non cederet, exercerentur? Quî prætereà fieri umquam potuit, ut id unum Plutarchus oſcitantèr omiſerit, qui cæteroqui ejusdem opulentiſſimi viri opera omnia diligentèr eſt proſecutus? Nihil eſt ultrà, hic Fannius, cur de re tam apertâ diutiùs diſceptemus. Sine igitur, aliud ut rogem: quem ſcilicet à L. Lucullo exciſum montem ſignificare voluit Varro? Cui tùm ego: Eam certè Pauſilypi montis innuit partem, quæ in Meridiem vergit; totus enim maritimæ hujus oræ tractus, non perfoſſus modò; ſed Antris etiam, & aquarum reductibus ad hæc uſque tempora paſſim ſcatet; atque ad delicias ità factum dixeris, ut nonniſi Lucullo authore, vèl cum maximè lybicis flatibus æſtuat mare, per cryptas reciprocè commeantibus aquis, ad Lavationes, ad Piſcationes appoſitus commodùm videatur. Conjectas optumè, ut ſoles: tum ille. At unus adhùc de ſubjecto argumento ſcrupulus urget: Eâdemnè, qua nunc, latitudine: iisdemnè identidem ſpiramentis inſtructa olim; per quæ modò, & lucem recipit, & pulverem ejectat Crypta? me quippe apud Senecam lectitaſſe memini; quod cum ipſe Neapolim Baiis rediret, eâ exceptus cryptâ: *Nihil*, inquit, *illo carcere longius, nihil illis faucibus obſcurius, quæ nobis præſtant, ut non per tenebras videamus, ſed ut ipſas. Cæterùm etiamſi locus haberet lucem, pulvis auferret*. Benè habet, tùm ego: eruditè quidem, tu Fanni. Sed facili negotio ſcrupulum ejeciſſes, ſi veniſſet ad manus Strabonis locus; in quo, variis per montis jugum ſpiraculis, illam ætate ſuâ lumen accepiſſe luculentèr affirmat. Hoc loco Fannius: Si ita; quî ergo factum, Parthenie, ut Senecæ tempeſtate cimmeriis undique tenebris occuparetur? Cui ſtatim ego: aut Terræmotu, aut Alluvione, aliiſve de cauſis id contigiſſe crediderim, ut feneſtræ poſtmodùm obſtruerentur. Aſſentior prorsùs, tùm ille; nihil enim habeo, quod hìc reponam. Cui ego: reſtat igitur, ut quæ ſubindè facta ſunt Cryptæ additamenta, paucis expediam. Sub annum à partu Virginis MCDXLVIII. Alphonſus I. inter Neapolitanos Reges præclariſſimus, poſtquam plurimas circa Urbem paludes, quæ aerem vaporibus vitiabant, magnâ ex parte exſiccavit, pulveru-

Varronis Verba ad Pauſilypanū, verſus meridiē, tractum aptiſſimè referuntur.

De cryptæ ſpiraculis, ejusque latitudine.

Alphonſus I. Neapol. Rex Cryptam amplificavit, ſtravit Silice, & altioribus Oſtiis reddidit lucidiorem.

verulentam Cryptæ viam, regio ſumptu, & latiorem effecit, & complanatam ſilice ſtravit, faucibuſque demùm altioribus, teſte Pontano, reddidit lucidiorem. Hanc porrò ipſam recentiùs Petrus è Toleto Regni Vicarius, ut commodum ſibi iter ad ſuos Puteolis Hortos pararet; eam aliquâ ex parte labefactam ſolo reſtituit, exornavitque; ex quo factum, ut quadrigarum nobilium curru, Jumentis, Trahis, & Carris, octingentos & amplius paſſus, patefactis utrinque ad lucem clariorem oſtiis, tutiùs frequentaretur. Vix hæc, cùm opportuno canum latratu monemur, Hoſpitem adventaſſe. Statim occurrimus, Sextum Nigrum, ut promiſerat, adeſſe rati. Et ſanè divinavimus. Quem prior ut Fannius vidit: Quid rei eſt, inquit, quod te tamdiù expectatum voluiſti? Jàm omnem adventus tui ſpem ponebamus. Fortaſſis, tùm ſtatim ego, ſolito longior te Sexte oppreſſit ſomnus, quem cæteroqui ad multam diem protrahere conſueſti. Videſis quàm ſerò perveneris; Horologium hocce Sciotericum ad meridiem vix ſemihoram deſiderari examuſſim oſtendit. Haud inficior, tùm ille; at quæ fuerit potiſſimùm cunctationis cauſa, patere, quæſo te Parthenie, ut paucis aperiam. Hìc Fannius: Quæcumque fecerit moram cauſa, hìc diutiùs morando nocet referre: tibi, quòd ab longo itinere: mihi, & Parthenio, quòd ab diutinâ ambulatione aliquantulùm incaluimus. Benè eſt, tum Niger: I præ, Parthenie: in Muſæum conſcendamus. Quò ubi ingreſſi, ad lucubratoriam menſulam laſſi conſedimus. Atque ageſis, inquam, dic Niger, deliciæ noſtræ: quonam infortunio factum, ut dulciſſimâ conſuetudine tuâ tardiùs uteremur? Infortunium putas Parthenie? hìc ſtatim Sextus: an infortunium fuerit, tu Judex eſto. Ut ad Cryptæ Pauſilypanæ oſtium veni: vehementior neſcio quæ inflammavit animum cupido, ut quem non incommodè poteram, Virgilii Maronis tumulum, occaſione datâ, cognoſcerem. Acceſſit amici Equitis invitatio liberalis, à quo per compendiariam ductus, ad eam tandem Montis partem perveni, in qua Poëtarum Principis Buſta viſuntur. Hìc autem quanta animum voluptas permovit, quantus amor, ac pietas inhæſit pectori, explicando non ſum. Avidiſſimè totum circà receſſum, Muſarum olim ſedem, & Charitum, geniali abreptus gaudio luſtravi. O' ſuaviſſimum, ajebam, Neapolitanæ Urbis Parnaſſum! unde virtutum chorus: unde patriæ Sirenis gloria: unde, tamquam à Sapientiæ palæſtrâ tot Vates clariſſimi prodiere. Hinc Silius, hinc Papinius, Pontanus, Sannazarius, Torquatus, Marinus, aliique

Eandem Prorex Petrus è Toleto reſtituit partim, partim ornavit.

De Virgilii Maronis Tumulo, ac receſſu mentio gratiſſima.

que

que quàm plurimi, quorum celebratiſſimæ Muſæ neſcio quid grande, plenum, ſuave, acutum, abſolutumque ex illo, veluti ex nitidiſſimo omnium fonte, labris ſitientibus combiberunt. Fortunatiſſimi Cives; quibus domi eſt, quod exteri peregrinationibus, votis, ac ſtudiis omnibus quærant! Hæc ut animo volutabam lætitiis totus incedens, florentis urnæ locum propiùs acceſſi; idque unum anteà vehementèr dolui, quòd ſepultum penè Vatis Virginei monumentum; poſtea verò vehementiùs, quòd amicus Eques: & quotam, ad me inquit, quotam vides ornatiſſimi partem Sepulcri? ubi ſimulacra ſpirantia? ubi eleganti è marmore Columnæ novem, quibus Cinerum Urna candidiſſima incumbebat? Atque ubi tandem (proh dolor!) cineres ipſi? Ubi Maronis umbra, lauri, ſylvæ, lareſque? Hìc ego diutiùs mihi temperare non potui, quin impeditam fabulis narrationem abrumperem, ac plenè, planèque extricarem. Quid, inquam, amabo te, quid Sexte (malum!) comes effutiit? Adeone fungus ſis, ut ea tibi omnia veritati eſſe conſentanea ſuaſeris? Scio equidem affirmaſſe nonnullos; quod olim Mantuanis petentibus Vatis Mantuani cineres dederint noſtrates viri. At quàm ineptè, inde colligas; quod ſi ita, qui fieret, ut quam ſummam nacti eſſent felicitatem plenis buccis non jactitarent? An exteris eò confluentibus, quibus Andinas Virgilii cunas oſtentant, Urnam & Cineres non oſtentarent; cum cæteroqui in Numiſmatis ipſis celebratiſſi concivis ſui effigiem, ſummo ſtudio cudendam, cuſtodiendamque curaverint? Hìc Fannius, immortales, inquit, tibi Gratias, Parthenie; quòd argumentis iiſdem, illud quoquè penes me futile, de hac apud Ligures aſportatâ clanculùm Urnâ, commentum facilè oſtenderis. Atque ità planè, tum ego. Nempè hoc erat, ſtatim Sextus, quòd Virgiliani Cineris jacturam bellè adeò conquerebatur amicus; erat is quippe de Ligurum gente vir Princeps; qui nimirùm ligurire me ſenſim ac blandè furtum hocce voluerit, ut fabellam glutirem. Sed, quæſo te Parthenie, qui vèl à puero genialem proximæ Olympiæ tractum incoluiſti; ediſſere, latinè ut ſoles; quæ olim Virgineum ad Tumulum enata laurus? quæ circùm nemora tàm beata? quis loco Genius? quæ tandèm ſylvas umbra pervolitans? Cui ego: Currentem incitas, Niger; Dicam lubentiſſimè, apertis tibiis. Et ſanè memini non ſine liquidâ voluptate, cum Maronis mei Buſta recolerem ſæpiſſimè adoleſcens, vidiſſe me vernantibus ramis hærentem tumulo Laurum, ab eâque non ſemèl, quem

Falſum illud, quod Virgilii Cineres aliò ſint aſportati.

Verè apud Maronis Sepulcrum enata olim ſuà ſponte Laurus.

quem capiti per jocum inneĉterem, ramulum decerpſiſſe; jam tùm mihi neſcio quis ingruebat furor, ſaliebat oculus, pruriebant digiti, totiſque artubus exultabam, atq; illo agitari me ratus, quo Pöetæ inſaniunt œſtro, cantitabam hæc puer:

Muſæ, noſter Amor, Muſæ; quibus otia læta
Ducimus in Sylvis, pieriiſq; jugis.
O ego, ſi poſſem totas ibi ducere noĉtes!
Et totos poſſem delituiſſe dies!
Divitias alii, atque alii ſeĉtentur honores;
Illecebras alii deliciaſq; petant.
Aſt ego pierios colles ſeĉtabor; & illis
Blanda meis Muſis ſit mihi parta quies.

Virgilii Sepulcrũ puer Parthenius frequentabat.

Hoc Sextus loco: Jam tùm ſcilicet te Maro, Parthenie, te Muſæ omnes, laurique obſtriĉtum ſibi totum voluere. Quod res eſt ais, tum Fannius; atque ecce tibi, cur laurum, Sexte, propè tumulum, nullam inveneris: Virgineam laurum vindicavit ſibi Parthenius noſter: reliquit Idalias Mirthos Maroni. Quibus hìc ego: parciùs iſthæc, amabo vos. Amicum amicus ubi commendat, juſto officioſior ne ſit. Pergamus. Jucundiſſimæ procul dubio hanc montis partem accommodatæ manſuetioribus muſis Sylvulæ præcinxere; quas inter Bucolica ſua, Georgicaque ad unguem caſtigatiſſima cecinit Maro. Quàm ſuavitèr Amaryllida reſonarent, ac Tityrum jocoſæ rupes: quàm dulciſſimè conveſtiti floribus lares Philoſophiæ omnis præcepta divinis iterarent carminibus, reputatote! Quid porrò mirum, ſi nemoris gratiâ, deliciiſque obleĉtati, hùc Vates patrii, hùc exteri confluxere; locique Genium reveriti, quaſi adhuc Elyſiis ſuis pervagantem Maronis umbram, aut antiquis inſidentem penatibus coluere, dulcedine beatiſſimâ deliniti. Ad hæc Sextus: unum, inquit, Parthenie, enucleatum mihi à te velim, quod non rarò apud Jovianum noſtrum cum legerem, reſcire certò ſatis non potui. Patulcidem ille Nympham ſibi cariſſimam blando, ut ſolet, facilique ſtylo Antinianæ conjunĉtam lepidè celebrat: Quid, rogo, eſt; cur ſub Patulcidis nomine Virgilii ſepulcrum ſæpè intelligit Jovianus? Iſtuc, tum ego, enucleare facile eſt. Salubri amænitate nobilem in Antoniano Villam Pontanus habuit, à Patulcio, vel, ut vulgus appellat, Patruſculo monte, ubi Maronis tumulum tute vidiſti, non longè poſitam. Hinc feliciſſimus novis cudendis vocibus Jovianus, à Patulcio Patulcidem, ab Antoniano Antinianam deduxit, quas non ſine venuſtate Nymphas, Poëtarum more, confinxit. Te-

Circa illud Sylvulæ amœniſſimæ, ubi Bucolica, Georgicaq; cecinit Maro.

Quid Patulcidis, & Antinianæ Nympharum nomine intelligas Jovianus?

nes jam, credo, loci præſidem Deam pro loco ipſo uſurpatam quandòque; quandòque etiam pro loci parte celebratiſſimâ. Nec dubium, quin modò ad Vatis buſtum, modò ad Vatem ipſum principem per ejus Nymphæ nomen alluſerit Jovianus. En carmina:

.... tuque ò, mihi cara Patulci,
Prima adſis, primoſque mihi Dea, collige flores,
Impleat ut ſocios tecum Antiniana quaſillos.

Ne verò (hìc iterùm ad me Sextus Niger) ne ſim, Parthenie, ut dicitur, juxta ſalem ac fabam; quid eſt precor, ediſſere, quod loco fecit nomen Patulcio? An, ut Janus olim ab aperiendo Patulcius, ita & editior ſitu Collis, & Pauſilypanum hoc jugum, quòd apertum, patulumque exporrigat ſeſe, Patulcium ſit nuncupatum? Ità planè, tùm ego, rem optumè conjectaſti; quamquàm illud etiàm ſcito, non eos continuò improbandos, qui tale etymon haberi velint à Patulco quodam, cujus forte circa eum montem vel agri eſſent, vel ædificia. Sed, quoniam hìc ſumus, ait tùm Fannius; quod diù ſaxum volvo, Parthenie, amoveas oro, aliquando. Cui ego, cedo, inquam, properè: quid coquis rei? Et ille: Memoratum a Sexto Silium, ut puto, Italicum nupèr audivi; de quo, cum apud Plinii Secundi epiſtolas feriatus legerem, quod in Neapolitano ſuo inediâ vitam finierit, illa me dubitatio habuit ſemper ſolicitum: ubi potiſſimùm, cùm plures, ipſo teſte Plinio, Villas & prædia iisdem in locis ad emacitatis reprehenſionem cöemerit; ubi, inquam, potiſſimùm ad mortem inſanabilis Clavi tædio decurrit? nùm forte in hoc, quo de agimus, Virgilii agello? Ajo enim verò, Fanni, tùm ego. Atque iſtuc, ſi tenes quod Plinius, quod Jovianus etiam ſcribit de Silio, eruas non obſcurè. Nàm multas quidem celebravit hìc Silius Villas; *at Virgilii ante omnes, cujus natalem religioſiùs, quàm ſuum colebat, Neapoli maximè, ubi monumentum ejus adire, ut templum, ſolebat*. Quin imò compertum illud habemus, quod Andini vatis ſepulcrum pænè quotidiè viſeret Silius; doniſque, velut hoſtiis, propitiaret Genium, & Manes. Hoc verò quî tàm aſſiduè contingeret, niſi eo in ſeceſſu vir conſularis habuiſſet cum Muſis? Haud equidem abnuo, hìc Fannius; verùm, ſi licet obſtrepere Cicadæ Veſpam; poterat Silius, quam poſſidebat, Tullii Academiam id ætatis incolere. Cui ſtatim ego: & fateor incoluiſſe; quid tum indè? Scimus, Fanni, & Oratoris, & Pöetæ partes, Tullii, Maroniſque exemplar ſecutum, ſatis benè Silium impleſſe; at ſcimus etiam ætatem ultimam

Unde factum Patulcio nomen ſit.

Ubi Silius Italicus obierit: in Tulliine, an in Virgilii agello.

ultimam amænissimas inter Muſas ocio poëtico tranſegiſſe; meminiſtin' illud Martialis?

Emeritos Muſis, & Phæbo reddidit annos,
Proq; ſuo celebrat nunc helicona foro.

Cum bonâ, inquit, venia, hoc loco Sextus: id quàm quod maximè penes me certum, Parthenie; ne ampliùs te vexes. Nonne ad Caninium Rufum ſic orditur Plinius epiſtolam: *Modò nunciatus eſt Silius Italicus in Neapolitano ſuo inediâ vitam finiſſe?* Quid apertius? Profectò *Neapolitanum Silii*, ut aliàs tute me monuiſti, non Ciceronis Villam & Hortos; (hæc enim in Puteolano erant) ſed Maronis olim agrum in Patulcio, a Silio emptum ſignificat. Euge, hic ego, & Fannius, euge Sexte, rem confeciſti. Atque ille, bona verba, quæſo vos; jam meam me intra pellem non continebo. Hæc cum dicerentur, adeſt Fabiolus, & quandiù, inquit, cum Muſis? Here, ni corrumpi vis prandium, accumbendi tempus jam eſt. Hic Sextus: Ad Minervæ menſam hìc benè accumbimus. Tùm puer: Nec labra iſthæc, nec palatum rigat. Cui ego: argutule, ſpartam tuam accurato; fac inſtructa omnia ſint perbenè. Et ille: præſterga, cocta, parata. Atq; hìc ſtatim è muſæo itum eſt ad Triclinium.

CAPUT ULTIMUM.

Occaſione cujusdam pareliæ ab authore viſæ, quomodo fiat explicatum, & nonnulla curſim de Iride quæſita, & expoſita.

Appetente jam veſpere, ego, & Lucilius ad otium in Calopſide ſedebamus Homerum lectitantes, inque illud ventum erat:

Αυτὰρ ἐπεὶ κατέδυ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Cum Lucil: En, inquit, ut numeroſè cantat poëta, purus, nitiduſque Sol nobis occidit, viſurus Indos, nec niſi tenues circùm nubes auro veluti interpingit: ut bellè Actius noſter.

Et jam plena dies fluctus vergebat Iberos,
Purpureas pelago nubes, aurumque relinquens.

Illum tu imitatus in Nauticis hiſce verſiculis: memini enim: libellos nam ego tuos identidem lectito, nec facilè è manibus elabi patior. Cui ego: Tantumne tibi abs re tua eſt otii, ut meos centones lectites? ille verò verſiculos cantitavit:

Et jam Sirenum ſcopulos provectus adibam,
Cum roſeas Titan nubes, aurumque relinquens
Conditur Oceano.

Parelia circa Finitorem viſa, cœlo ſereno.

Vix dum carmen recitavit, cùm de improviſo mirum oppidò, & pulchrum ſeſe noſtris oculis intulit oſtentum, inſolens certè, & nunquam antea ſpectatum nobis. Dum enim paulatim ſeſe Sol in mare demitteret, alter ex adverſo, & ut ajunt Geometræ, è diametro, rubeſcere miro modo, atque attolli videbatur: qui quidem fictus Sol, primo, ac vero prorſus extincto, conſpicuus uſque ſupra Finitorem apparebat, ac ſenſim ſurſum emori cernebatur; ut refugere potiùs in aërem, ibique ſe occulere, quàm in aquas deſcendere crediddiſſes: tenuiſſimus tandem factus, evanuit omninò. Hic Lucil: Vidiſtin', inquit unquam, quidquam elegantius in cœlo pingi, quod pulchriorem hac præſe ſpeciem ferret, quodque ſumma in ſe oculos voluptate alliceret, traheret admiratione? Cui ego nunquam tàm pulchrum, tam elegans me vidiſſe in cœlo oſtentum recordor. Geminos interdum Soles nubes inter lucidas apparere, ſi non frequens, certè non inſolens, ac novum; verùm ipſo in finiente, aëre tam ſudo, ac ſereno, atque in hunc modum, ſi non inſuetum, perquàm rariſſimum admodùm viſu eſt. At Lucilius, qui in omnem ſemper diſcendi occaſionem imminebat; Age ſis, inquit, de ratione nunc videamus: ſiquidèm tui hæc muneris ſunt: teque petit hæc Sparta. Ne pigeat ergo quibus de cauſſis id contingat, enucleatè explicare; ſcis nimirum me ſummo noſcendarum rerum deſiderio teneri. Cui ego: Faciam aliàs, in præſentiarum tempus non ſuppetit, & res perplexa admodùm eſt. Et ille: Quà oſtentata eſt porta, ingrediamur: non enim ratio eſt hujuſmodi occaſionem amittere. Eja ſis, age, dum veſpertinum crepuſculum tam ſereno, nitidoque cœlo diem nobis, & otium producit. Tum ego: Geratur mos hic tibi; & quæ extemporario ingenio è Minervæ noſtræ penu proferre potero, expromam: preſsè tamen rem perſtringam. At Lucilius: Age, age, ſubitis in caſibus multum, & acre eſſe ingenium ſolet. Tum ego ſic orſus telam, ut dicitur, pertexere. A Sole, (quem ego unum & auctorem, & fontem lucis exiſtimo) innumeri propemodùm radii magno impetu evibrantur, & temporis perpauciſſimis admodùm momentis ſuperato, quod interjacet, immani ſpatio, in vapores, qui plurimi circa Finientem circulum inſidunt, ità offendunt, ac ſi in objectum, ſolidumque corpus inciderent: quocirca derepentè reſiliunt: eo prorſus modo, quo luſoriæ pilæ, quas Hiſpanienſes vocant, folliſque pugillatorius, cùm in læve æquè, ac du-

Quonam pacto radii ſolares, in vapores incidentes reſiliant; & qui ex partibus aquæ opacis repercuſſi, ſolis imaginem in aere depingant.

durum planum impingunt. Tenes iſthæc? Et ille: Teneo: non enim adeò duriuſcula: perge porrò; reliqua expecto. Tum ego: Mox illiuſmodi radii è nubibus, ac vaporibus repercuſſi in aquas incurſant, quoniam verò hæc non adeo perlucida, ac tranſparens, ut etiam opaca non ſit; idcirco ex radiis plurimi reſiliunt; nempe quot quot in opacas particulas ceciderunt: plurimi, qui in perlucidas, permeant: verùm obliqui, utque Optici dicunt, refringuntur. Hic Lucil: Curnam iſtuc? Quia, tum ego, denſiorem in aquam ex aëre minus denſo inciderunt. Atque ita fit, ut in aëre, qui repercuſſi reſilivere reflexam præ ſe Solis imaginem gerant, quæ quidem reapſe nihil eſt, ſpecimen tamen offert, quam εἴδωλον Græci dicunt. Indeque eſt, ut Sol alter ſupra aquas appareat. Quia verò, occidente Sole, repercuſſi ad nos radii magis, magiſque convergunt; idcircò ad nos ſpecies illa accedere videbatur, quæ adeò pariter diutiuſculè viſendam ſe exhibuit, quia radii adhuc vapores illuſtrabant. Hoc loco Lucil: Rem habeo: ſed ut planè, ac latinè fatear, ut ſcis me ſolere, quaſi per nebulam in pariete pictam. Cui ego: Res eſt, non nego, perdifficilis; ut nec ego planè verbis, nec tu animo complecti poſſis. Efficiam tamen, & ſi non ſim Theſeus, ut te ad intelligentiam perductem, utar pro filo, inſigni ſimilitudine, qua ſpero futurum, ut benè rem animo concipias. Et ille: Eris mihi & Theſeus, & Apollo. Atque audi tum ego: Vidiſti, & quidem non ſemel, è pelvi poſitâ in feneſtra, atque aqua benè plena, repercuſſum Solis, Lunæve lumen in conclavi apparere: & modò hàc, modò illàc, vago irrequietoque curſu pervolitare. Hic ille: Id puer vidi ſexcenties, & non ſine animi voluptate luſi. Tum ego: Benè eſt, attento ſis animo, lumen illud, quod intus in pariete, vel fornice pingitur, nihil ſanè eſt, quàm Solis, Lunæve radii, qui in aquam incidentes, atque è veſtigio repercuſſi, in parietem tectumque pervolitant. Quoniamque tremulo æſtu agitatur humor in pelvi; idcircò fit, ut radii, tum hàc, tum illàc refugiant, depictaque ab illis imago diverſim vaga pervolitet. Id verò quàm graphicè, quàm bellè Poëta depinxit! non dubito quin teneas verſiculos: eſt tamen recitare voluptas. Et ille: Ità, quæſo; mirum enim quantum in me à Muſis voluptatis affluat. Tum ipſe:

Explicatur exemplo repercuſſi luminis è pelvi aqua benè plena, & in feneſtra poſita.

Sicut aqua, tremulum labris ubi lumen ahenis
Sole repercuſſum, aut radiantis imagine Lunæ,
Omnia pervolitat latè loca: jamque ſub auras

Eri-

Erigitur, ſummique ferit laquearia tecti:

Hic Lucil: Feciſti, inquit, ut pulchrâ hac ſimilitudine; quæ quò uſu tritior, eò minus ratione nota, rem planè conſequerer. Verùm age, quando in hujuſmodi re ſumus, doceas me quæſo, quonam modo Iris pingatur in aëre: id enim jam diù ſcire deſidero, & quoniam oſtentata occaſio eſt, abs te requiro; quamquam enim hiſce verſiculis quos habes v Nauticorum

Modus, quo Iris in aere pingitur, explicatur.

Phœbæos velut ipſa ſinu cùm roſcida nubes
Accepit radios, circùmque remiſit in arcum:
Extemplo curvata polo micat aurea ſummo
Thaumantis ſoboles, centumque coloribus ardet:

explicatum concinnè ſit, & conciſè: velim tamen, dummodo ne minimum quidem negotii tibi exhibiturus ſim, ut ſoluta oratione rem paulò uberius complectaris. Cui tum ego: Faciam: geratur hic etiam mos tibi. Adeo mihi charus es, ut nihil præ te grave ducam, quamquam hujuſmodi res ſine figuris mathematicis, & exponi verbis, & concipi animo arduum oppidò eſt; contendam nihilominus id efficere, quoad potero, ad facilem captum accomodatè. Ut igitur diſſeram enucleatè, ſcias primùm Solis radios in roſcidas aquarum guttas (roſcidum quippè ſit cœlum opus eſt, ut in illo Iris depingatur) incurſantes ſtatim refringi, ac veluti deflectere à via: ſubinde verò hoc obliquos modo in aërem ex aqua permeare, infringique iterum; lux enim ſuapte natura ſic eſt, ut ex uno in aliud corpus means, ſi diverſa illa ſint, nimirum plus, minuſque craſſa, iter ſtatim flectat, atque aliam ſemitam progrediatur. Habes iſtæc: Et ille: Ita verò: ſunt enim expoſita dilucidè. Benè eſt; tum ego: contendam ad reliqua. Jam verò illiuſmodi radii hunc in modum refracti, atque obliquam progreſſi viam, certo quodam ſub angulo opacitatem induunt; atque hoc modo colorantur. Et quod mirum oppidò eſt, juxtà variam anguli menſuram, varios ſeſe pariter variant in colores, ac diverſimodè interpinguntur. Id verò quò faciliùs percipias, experimento proclive tibi, imò & perſpicuum faciam: atque in vitro triangulo, ſive in phiala aqua benè plena explicabo. Etenim ſi triangulare illud vitrum, vel ſi phialam Soli obiiciamus, videbimus illicò, radios in vitrum, phialamve irrumpentes, refractos ſtatim ex illis exilire, atque Iridem quaſi verſicolorem exhibere, vario colorum ordine, quàm pulcherrimè depictam, luteolo nimirum, cæruleo, & purpurante, qui colores reapſe nulli ſunt, coloratæ tamen lucis ſpeciem offe-

In roſcidis aquarum guttis ſolis radii Iridem colorant.

offerunt. Hic Lucil: Iſtuc admiratus ſum ſæpenumerò, ſicque animum inducebam, ut præter lucis coloratæ ſpeciem, nihil omnino eſſent. Tum ego: Si hæc mihi concedis, & concedenda quippè; jam quo Iris modo pingatur in nube (quæ roſcida ſit, ut dicebam) perſpicuum fiet: & perquàm facilè animo complecteris. Et ille: Perge porrò: attento te ſequar animo. Ego verò: Jam telam ordiar. Cùm ſtillum cœlum eſt, èque roſcidis nubibus quamplurimæ continuò guttæ depluunt: Sol verò finientem ſupra circulum 40. partes elevatus irradiat, (idem fit ſi minores, ſi majores verò non ità) tum radii in guttas illas incidentes, colorati mox abeunt; inque aëre verſicolorem Iridem arcuatam inſtar orbis depingunt. hoc tamen colorum ordine, in ſuperiore ſcilicet limbo purpureus, medio viridis, in inferiore tandem cæruleus color interniteat. Quia verò omnes eodem ſub angulo colores induunt, & contiguæ ſeſe inter guttæ ſunt depluentes, inde fit, ut in arcum bellè, fabrèque variegatum, atque interpictum ſe Iris decircinet. Hoc loco Lucil: Dilucidè, & paucis, quoad potuit, res eſt explicata Sed age (parcas, quæſo, ſi tot te ego interrogatiunculis fatigo.) Pluviam ne Iris, an ſerenitatem prænunciat? Cui tum ego: Certè aqueum ſignum eſt: nempe ſine pluvia fieri nequit ullo modo. Et ille: Jocaris! non enim, ut hoc teneam, Oedipo opus eſt: quod autem noſcere aveo eſt, ſecutura nè ſit pluvia poſt Iridem, an futura ſerenitas? Tum ego. Habeo id 111 Naut: & miror ſanè te præteriiſſe. En tibi quid ſentiam.

Quænam Solis elevatio requiratur ad Iridem depingendam.

Quandonam Iris pluviam prænunciat, quando ſerenitatem.

Ipſa tibi pariter picto Thaumantias arcu
Signa dabit: pluviam cęlo ſi fulſerit ante,
Fundet aquas; lætos ſi poſt curvabitur imbres,
Auricomos aperit Soles, cœlumque ſerenat.
Purpureis ſi tincta notis nimis illa rubebit,
Æoliæ flabunt animæ: dare vela per altum
Ne dubites: tua vela canent felicia Coris.
Verùm cæruleo ſi fulſerit illa colore,
E cœlo largos demittet Juppiter imbres.
Si geminæ geminos latè curventur in arcus,
Ingenti torrente cadent de nubibus undæ.
Verſicolor tepidum cùm ſe diffudit ad Auſtrum
Iris, aquas, tonitruq; & concita fulmina mittet:
Si verò in Borean, fulgebit candida ſummo
Lux cœlo; cœlique ſimul convexa nitebunt.

Hic Lucil: Abundè inquit: nec quidquam profectò eſt, quod amplius deſiderem. Interea loci, dum ſic Lucilius, en

en Fabiolus pavens, ac pallidus ſupervenit. Ut vidi; Quid rei eſt? inquam. Et ille: Perii, mi here. Tum ego: Cedo, quid iſtuc tandem eſt? Et ille: Haud equidem fari audeo. Cui ego: Quidquid ſit incommodi, dicito, mihi odioſus non eris, non me planè noſti? Ille verò: Nóvi equidem; & idcircò dicere non audeo, nam tu iracundulus es. At ego: Tu certè malus es: neque tibi ſanum eſt ſinciput: fare tandem. Et ille confidentior factus: Canis quidam, inquit, è via domum ingreſſus, in culinam irrupit. Hic ego: Quid? Et ille. Me miſerum! diſperii: faxint Superi, ut hinc ſanus abeam. Quid? inquam tum ego. Et ille: Audias, quæſo, pacatis animis, canis aululam ſubvertit, & jurulentam carnem ipſo ſimul cum juſculo devoravit; malè ſit cani illi. Tum ego: Malè tibi erit, verbero: non te pluries admonui, ut fores ſemper occluderes? Et ille: Occluſi: imò etiam clave, & vecte obfirmavi, quis verò poſtea reſeraverit, haud ſcio. Dii me perdant, ſi mentior. At ego: Tuâ certè negligentiâ id factum; ſed faxo, ut in te damnum recidat. Hic Lucil: Imò vereor, ut ne in me recidat pueri negligentia; quid obſonabo, ſi canis vitulam ſubripuit? Tum ego: Aliquid fiet, quo damnum compenſem. Et ille: Videlicet? Tum ego: Libulum ex ovis frixis butyro: teneo enim tuo ſtomacho delicatiſſimo oleum non quadrare: vel, ſi mavis, ex diſperſis in ferventem aquam ſine putamine: quæ præ reliquis ſalubriora ſunt: vel, ſi potiùs tibi eſt, ex inaſſatis in cymbulis cum caſeo bubulo edulium apparabo; ſi verò ames frixa globulata, aut ſuccidiata, apponam tibi illa. Tum Lucil: Satis eſt libulum ex frixis butyro cum tantillo caſei, infundes etiam tantillum aquæ; fiet enim ſic tenerrimum: ſpargas ſuper libulum momentum ſacchari, & cinnamomi. Sed næ ego ſtultus, qui piſcem natare doceo. Sub hæc amici viri famulus me convenit: & Dominus meus, inquit, proſperam tibi noctem ominatur, rogatque, ut in ſuæ erga te obſervantiæ teſtimonium ſex hoſce turdos, quos in retibus captos è veſtigio ad te mittit, accipere ne dedigneris. Tum ego: Dic illi meo nomine ſalutem plurimam, meque gratias plurimas ei agere ob munuſculum, quod mihi cadit peropportunum. Mox puero dimiſſo, Lucili, cuncta tibi in ſinum cadunt an tu gallinæ filius albæ? ut dicitur. Et ille: imo tibi id dandum, cui verè ſemper feliciter cadunt Jovis taxilli. Sed vide ne miſſum facias libum, illo ego libens veſcor: & in hiſce avibus vix unciola cibi eſt. Cui ego: Numnam me Diogenem putas?

tas? Heus tu; furcifer, i, citò, & emito quatuor ova: ſint decumana, & recentia, cave ne ſingula paria emas plus quàm duobus aſſibus. Actutum redi: mox ad Lucilium. Recipiamus nos hinc domum; jam enim extabeſcente die, nox humida nos comprehendit, neque innoxium eſt eſſe ſub dio.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 2. v. 33. lege, viridans. Ibidem v. 43. lege, Quas quidem. Pag.8. v. 42. lege, Phulcro. Ibidem, v. 44. lege, apertiſſimis. Pag.9. v.14. lege, proferatur. Pag.10. v.41. lege, diſſeramus. Pag.12. v.18. lege, fecerunt. Ibidem, v. 19. lege, Tumulum. Pag.13. v. 32. lege, Surrentinarum. Ibidem, ver.45. lege, tanquam. Pag. 16. v.8. lege, hibernam. Pag. 17. ver.12. lege, contra ji. Pag. 21. v.44. lege, de more. Pag.27. v.5. lege, Paleſtram. Pag. 29. v. 32. lege, tranſcripſeram. Pag. 32. v.6. lege hyacinte. Pag. 34. v. 11. lege, Egredimur. Ibidem ver.17. lege, Valetudinem. Ibidem v.34. lege, ſi eam. Pag. 35. v. 30. lege, protruditur. Pag.36.ver.29. lege, tranſmiſerunt. Pag. 38. v. 39. lege, Scrobe. Pag.39. v. 21. lege, audiat. Pag. 60. v.39. lege, Venuſinus. Pagina 63. ver. 36. lege, quamnimis. Ibidem v.41. lege adamuſſim. Ibidem, verſu 43. lege, unguem. Pag. 80. v. 30. lege, Amabiliam. Pag. 92. v. 21. lege, conſultis. Pag. 93. v.19. lege, ieiunus. Pag. 98. v. 40. lege, Collaltorum. Pag. 99. v. 28. lege, inſperatus. Pag.103. ver.5. lege, numiſmata. Ibidem v.13. lege, pereleganter. Pag.104. v. 41. lege, rigideque. Pag.109. v.27. lege, Alphonſus. Pag. 319. v.10. lege, Romani. Pag.121. v.25. lege, cumulatiſſimè.

JACOBUS PERRECA

Præpoſitus Provincialis Soc. Jeſu in Regno Neapolitano.

CUm librum, cui titulus *Hyemum Puteolanarum*, à P. Nicolao Parthenio Giannettaſio Societatis noſtræ conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſsum fuit, recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint: poteſtate à P. Michaele Angelo Tamburino Præpoſito Generali, ad id nobis tradita, facultatem concedimus, ut Typis mandetur, ſi ita iis ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas dedimus. Neapoli 24. Kal. Januarii 1718.

Jacobus Perrreca Provincialis.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

DOmenico Raillardo ſupplicando eſpone à Voſtra Eminenza, come deve dare alle Stampe un libro intitolato *Hyemum Puteolanarum*, compoſto dal Padre Nicolò Giannattaſio della Compagnia di Gieſù, e per tanto la ſupplica per la reviſione; per la ſolita licenza, e l'averà a grazia ut Deus.

R. D. Cajetanus de Amato Rhettorices Prælector in Seminario Archiepiſcopali revideat, & referat.
Neapoli 15. Septembris 1722.

HONUPHRIUS EPISC. CASTELLANET. VICAR. GENERALIS.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

NOn ſine magna animi voluptate legi libellum *Hyemum Puteolanarum* olim conſcriptum ab eruditiſſimo, & numquam ſatis laudato Viro inclytæ Societatis Jeſu Nicolao Parthenio Giannattaſio, qui inter cætera illius typis edita præclariſſima Opera quum non ultimum ſibi vindicet locum, meritò in lucem dari poterit, ſi ita Eminentiæ Tuæ videbitur, eoque præſertim, quod nihil contineat aut ab Orthodoxa Fide, aut bonis moribus abſonum; quinimò ad plurimam eruditionem, atque oble-

ęta-

ctamentum proderit. Ex Ædibus Seminarii VI. Idus Novembris MDCCXXII.

Em. Tuæ

Humill. Addictiſs. & Obſequentiſs. Servus.

Cajetanus Maria Amato.

Attenta ſupradicta relatione Imprimatur. Neapoli 7. Novembris 1722.

HONUPHRIUS EPISC. CASTELLANET. VIC. GENERALIS.

D. Petrus Marcus Giptius Canon. Deput.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

DOmenico Raillardo ſupplicando eſpone à V. E. come deſidera dare alle ſtampe un libro intitolato *Hyemum Puteolanarum*, compoſto dal Padre Nicolò Giannattaſio della Compagnia di Gieſù, per tanto la ſupplica per la reviſione, e per la ſolita licenza, e l'averà a grazia ut Deus.

Rev. Dom. de Ludovicis videat, & in ſcriptis referat.

MAZZACCARA Reg. ULLOA Reg.
ALVAREZ Reg. GIOVENE Reg.
FALLETTI Reg.

Proviſum per S. E. Neap. 9. Novembris 1721.

Maſtellonus.

EMINENTISSIME DOMINE.

JUſſu Em. V. Vidi librum, cui titulus *Hyemes Puteolanæ* authore P. Nicolao Parth. Giannettaſio S. J. & quoniam in eo nihil offendi, quod Regiæ obſit Juriſdictioni, quinimò nihil non plenum eruditionis, elegantiæ, atticique candoris dignum cenſeo, qui typis mandetur.

Eminentiæ Veſtræ

Omni obſequio addictiſſimus Famulus

Dominicus de Ludovicis è Soc. Jeſu.

Viſa relatione imprimatur, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.

MAZZACCARA Reg. ULLOA Reg.
ALVAREZ Reg. GIOVENE Reg.
FALLETTI Reg.

Proviſum per S. E. Neap. 9. Novembris 1722.

Maſtellonus.